✠

THEOLOGIA SCHOLASTICA

JUXTA PRINCIPIA SCHOLÆ

AUGUSTINIANO-THOMISTICÆ

PRO COMMODIORI STUDENTIUM
usu præcipuis, quæ noviſsimè in Scholis verſantur,
difficultatibus brevitate, & claritate
poſsibili

ILLUSTRATA

PER R. P. M. Fr. HENRICUM FLOREZ,
Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini, Provinciæ Caſtellæ
alumnum, in Regali Collegio Complutenſi Sacræ Theologiæ
Primarium Profeſſorem, ejuſdemque Univerſitatis
Doctorem, ac pro Cathedris obtinendis
decertatorem.

TOMUS II.

DE PROVIDENTIA DEI, PRÆDESTINATIONE,
Reprobatione, & SS. Trinitatis Myſterio.

ACCESSIT ETIAM INDEX OMNIUM LIBRORUM, ET TRACTATUUM
qui in Operibus M. P. Auguſtini continentur, ordine alphabetico digeſtus cum
remiſsionibus tam ad veterem Theologorum Lovanienſium editionem,
quàm ad noviſsimam Monachorum Benedictinorum
Congregationis S. Mauri.

CUM LICENTIA : Matriti, ex Typographia Antonij Marin.
Anno M.DCC.XXXIII.

APPROBATIONES, ET LICENTIA ORDINIS.

APprobationem & licentiam Ordinis pro toto hoc opere in quinque Tomos distributo reperies in principio Tomi I. ubi etiam aliæ Censorum approbationes habentur, quatenus illud ipsum judicium de hoc secundo, tribusque sequentibus volumi-nibus tulerunt, quod in initio Tomi I. continetur, ut latiùs consta-tat ex originali pro facultatibus obtinendis præsentato. Ordina-rij autem licentiam hìc pro omnibus apponimus, & Regij Cas-tellæ Senatus facultatem singulis cum taxatione præfigemus.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Licenciado Don Miguèl Gomez de Escobàr, Inquisi-dor Ordinario, y Vicario de esta Villa de Madrid, y su Partido, &c. Por la presente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que se pueda imprimir, è imprima el Segundo, y tres restantes Tomos, en que se contiene la Theologia Escolasti-ca, compuesto por el P. M. Fr. Henrique Florez, Doctor Theo-logo de la Universidad de Alcalà, del Orden de Nuestro Padre San Agustin; mediante hallarse de nuestra orden visto, y recono-cido, y no contener cosa que se oponga à nuestra Santa Fè Ca-tholica, y buenas costumbres. Fecha en Madrid à seis de Octubre de mil setecientos y treinta y tres.

Lic. D. Miguèl Gomez de Escobàr.

Por su mandado,

Miguèl Alameda Landeras.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DOn Miguèl Fernandez Munilla, Secretario del Rey nuestro Señor, su Escrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno del Consejo: Certifico, que por los Señores de èl se hà concedido licencia à Fray Henrique Florez, Doctor de la Universidad de Alcalà, del Orden de San Agustin, para que por una vez pueda imprimir, y vender el Segundo Tomo de la Theologia Escolastica, su Autor el referido Fray Henrique; con que la impresion se haga por el Original que và rubricado, y firmado al fin de mi firma, y que antes que se venda se trayga al Consejo dicho Segundo Tomo impresso, junto con su Original, y Certificacion del Correctòr de estàr conformes, para que se tasse el precio à que se hà de vender: guardando en la impresion lo dispuesto, y prevenido por las Leyes, y Pragmaticas de estos Reynos. Y para que conste, lo firmè en Madrid à diez de Octubre de mil setecientos y treinta y tres.

Don Miguèl Fernandez Munilla.

MENDA

MENDA SIC EMENDA.

PAg. 2. lin. 4. Culuci, legè *Culici*. Pag. 7. col. 1. lin. 30. amerescat, legè *amarescat*. Pag. 56. col. 2. lin. 5. deficit, *qui fuit*. Pag. 77. col. 1. lin. ult. lege *imputabilis*. Pag. 81. col. 2. lin. 33. lege *cognoscibilis*. Pag. 96. col. 1. lin. 12. tale, lege *talem*, col. 2. lin. 21. impiis, lege *impius*. Pag. 97. col. 1. lin. 33. lege *abominabilis*. Pag. 155. col. 1. lin. 23. elegi, lege *eligi*. Pag. 193. col. 2. lin. 30. sic, lege *sit*. Pag. 226. col. 2. lin. 33. voluntas, lege *voluntatem*. Pag. 256. col. 2. lin. 7. allatam, lege *alatam*. Pag. 260. col. 1. in tit. duobus, lege *duabus*. Pag. 261. col. 2. lin. ult. & 317. col. 1. lin. 30. loquente, lege *loquens*. Pap. 303. col. 1. lin. 13. relativis, lege *absolutis*.

His demptis originali respondet. Matriti die 16. Octobris 1733.

Lic. D. Emmanuel Garcia Alessona
C.M. Generalis Corrector.

SUMA DE LA TASSA.

DOn Miguèl Fernandez Munilla, Secretario del Rey nuestro Señor, su Escrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno del Consejo: Certifico, que aviendose visto por los Señores de èl, el Tomo segundo de la Theologia Escolastica, compuesto por Fr. Henrique Florez, del Orden de San Agustin, que con licencia de dichos Señores ha sido impresso, tassaron à seis maravedis cada pliego, como mas largamente consta de su original. Y para que conste, lo firmè en Madrid à veinte de Octubre de mil setecientos y treinta y tres.

D. Miguèl Fernandez Munilla

AD

ADVERTENTIÆ.

QUotiescumque tam in hoc, quàm in præcedenti & sequentibus voluminibus Divum Thom. citatum repereris, in aliqua quæstione & articulo sine additione *ad primum*, vel *ad 2.* &c. id denotat, doctrinam illam, vel auctoritatem in corpore articuli contineri.

Cumque tam hic, quàm in aliorum Scriptorum operibus plures Magni Parentis Augustini Tractatus diverso modo citentur, in aliis sic, in aliis verò sic, secundùm editionum varietatem, & librorum distributionem; placuit Indicem illorum texere, ordine alphabetico digestum, cum remissionibus tam ad veterem Theologorum Lovaniensium editionem, quàm ad novissimam Monachorum Benedictinorum Congregationis S. Mauri: ut nullo negotio singulos Tractatus vel libros in qualibet editione, qui litteram Sancti Doctoris velit consulere, reperire possit.

INDEX

INDEX TRACTATUM, QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM HUJUS TOMI II.

TRACTATUS VII.

De Providentia Dei, Prædestinatione, & Reprobatione.

Quæst. 1. De Providentia Dei in generali.

Art. 1. Utrum detur in Deo Providentia? Pag. 3.

§. 1. Probatur conclusio affirmativa, ibi.

§. 2. Solvuntur objectiones, 6.

Art. 2. An providentia sit actus intellectus? 12.

§. 1. Explicantur aliqua ad intelligentiam tituli & resolutionis, ibi.

§. 2. Statuitur conclusio nostra, 14.

§. 3. Solvuntur argumenta, & an sit de ratione Providentiæ generalis non solum ordinatio, sed etiam consecutio finis in particulari? 16.

§. 4. Relegatur à Deo imperium monasticum; 19.

§. 5. De differentia Providentiæ à Scientia, solicitudine, Gubernatione, Dispositione, Ordine, Arte, & Fato, 30.

Art. 3. An Deus ut provisor generalis non solùm offerat, sed conferat omnibus auxilia sufficientia? 32.

§. 1. Supposita oblatione auxiliorum referuntur sent. & plura notatu digna ad intelligentiam quæstionis explicantur, ibi.

§. 2. Quid tenendum sit circa parvulos? 38.

§. 3. Prima concluſ. de justis contra Jansenium, 43.

§. 4. Præcipua concluſ. de Peccatoribus, 46.

De Peccatoribus obduratis, 47.

§. 5. De Infidelibus & Paganis, 53.

§. 6.

§. 6. Solvuntur argumenta, 67.
§. 7. Solvuntur argumenta contra tertiam conclusionem, 71.
§. 8. Solvitur præcipuum argumentum contra ultimam conclusionem, 78.
Art. 4. Utrum Deus prædeterminet ad materiale peccati? 88.
§. 1. Quibusdam suppositis referuntur sententiæ, ibi.
§. 2. Statuitur concursus immediatus in actum peccati, 90.
§. 3. Rejicitur influxus Dei in formalem malitiam, 93.
§. 4. Statuitur nostra conclusio, 99.
§. 5. Solvuntur argumenta, 107.
§. 6. Alia argumenta contra tertiam conclusionem solvuntur, 114.

QUÆST. II.

DE PRÆDESTINATIONE.

Art. 1. De Comparatione Prædestinationis ad Providentiam, 125.
§. Unic. Probatur existentia Prædest. & quod non sit pars subjectiva Providentiæ, ibi.
Art. 2. Quid sit, & in quo actu consistat Prædestinatio? 129.
§. 1. Ponitur diffinitio tradita ab Augustino, ibi.
§. 2. Assignantur actus concurrentes ad Prædestinationem, & statuitur conclusio, 132.
§. 3. Solvuntur argumenta, 135.
Art. 3. An aliquis possit salvari, quin sit prædestinatus? 138.
§. Unic. Resolvitur dubium negative, ibi.

QUÆST. III.

DE CAUSIS PRÆDESTINATIONIS.

Art. 1. An ex parte nostra detur aliqua causa prædestinationis? 144.
§. 1. Referuntur errores Hæreticorum, & catholicorum sententiæ, ibi.
§. 2. Impugnantur aliquę sententiæ, & statuitur nostra, 149.
§. 3. Solvuntur aliqua argumenta in favorem Massiliensium adducta, 158.
§. 4. Explicatur axioma de *faciente quod est in se*. Impugnantur aliqui RR. Thomistæ; & Molina cum Ripalda, 165.
Art. 2. An prædestinatio ut est electio efficax prædestinatorum ad gloriam ut coronam, sit ante absolutam prævisionem meritorum? 173.
§. 1. Quibusdam notatis referuntur sententiæ, ibi.
§. 2. Statuitur nostra conclusio, 176.
§. 3. Solvuntur argumenta, 186.
§. 4. Præcipuum ex August. testimo-

timonium solvitur ex ipso Magno Parente, & aliorum solutiones rejiciuntur, 188.
§. 5. Solvuntur argumenta à ratione; ubi de decreto intentivo & executivo, 199.

QUÆST. IV.

DE PRÆDESTINATIONIS effectibus.

ART. 1. An omnia dona supernaturalia in electis sint Prædestinationis effectus? 209.
§. Unicus. Resolvitur dubium de Glorificatione, justificatione, Gratia, & vocationibus, ibi.
Art. 2. Utrum substantia prædestinati, & alia dona naturalia sint prædestinationis effectus? 217.
§. 1. Statuitur conclusio affirmativa, ibi.
§. 2. Solvuntur argumenta, 223.
Art. 3. Utrum permissio peccati ex præintenta pœnitentia sit effectus prædestinationis? 229.
§. 1. Probatur conclusio affirmativa, ibi.
§. 2. Solvuntur argumenta, 234.
Art. 4. De diversis ad Prædestinationem spectantibus, 246.
§. 1. De infallibilitate, & certitudine prædestinationis, ibi.
§. 2. De numero electorum in comparatione reproborum, 248.
§. 3. De signis Prædestinationis, 254.

QUÆST. V.

DE REPROBATIONE.

ART. 1. Quænam sit causa reprobationis hominum? 257.
§. 1. Prænotantur aliqua & sententiæ referuntur, ibi.
§. 2. Duabus conclusionibus declaratur nostra sententia, 260.
§. 3. Solvuntur argumenta, 275.
Art. 2. Quinam sint effectus reprobationis? 281.
§. Unicus. Resolvitur dubium quantum ad peccata, substantiam reprobi, & permissionem peccati, ibi.
Art. 3. An reprobus possit salvari? 285.
§. Unicus. Resolvitur dubium & agitur de liberatione animæ Trajani, ibi.

TRACTATUS VIII.

DE SS. TRINITATIS mysterio.

QUÆST. I.

DE DIVINIS PROCESSIONIBUS.

ART. 1. De existentia SS. Trinitatis, 288.
§. Unicus. Referuntur & refel-

luntur errores Hæreticorum, ibi.
Art. 2. Utrum in Deo dentur processiones ad intra? 293.
§. Unicus. Dantur in divinis duæ processiones, & tres Personę, ibi.
Art. 3. In quo consistant divinæ processiones activè sumptę? 296.
§. 1. Statuitur esse veras actiones, & resolvitur dubium, ibi.
§. 2. Solvuntur argumenta, 302.
Art. 4. Quodnam sit principium *quo* divinarum processionum? 303.
§. 1. Quibusdam notatis statuitur prima conclusio, ibi.
§. 2. Assignatur constitutivum principij proximi divinarum processionum, 307.
§. 3. Solvuntur argumenta, 311.
Art. 5. Cur processio Verbi & non Spiritus S. sit generatio, 318.
§. 1. Supposita & explicata Verbi generatione, referuntur sententiæ & impugnantur, ibi.
§. 2. Statuitur nostra conclusio, 325.
§. 3. Solvuntur argumenta, 333.

QUÆST. II.

DE DIVINIS RELATIONIBUS.

Art. 1. An in Deo dentur relationes? Quomodo differant ab essentia, & inter se? Et de illarum numero, 340.
§. 1. Resolvitur prima & secunda pars, ibi.
§. 2. Resolvitur tertia & ultima pars, 343.
Art. 2. An essentia divina sit de conceptu essentiali, & quidditativo relationum, & è converso, 350.
§. 1. Referuntur sententiæ, & nostra probatur, ibi.
§. 2. Solvuntur argumenta, 357.
Art. 3. An relationes divinæ importent perfectionem relativam, 360.
§. 1. Referuntur DD. placita, ibi.
§. 2. Statuitur prima conclusio, 361.
§. 3. Probatur secunda conclusio, 367.
§. 4. Statuitur tertia conclusio, 371.
§. 5. Solvuntur argumenta ab auctoritate, 374.
§. 6. Solvuntur argumenta à ratione, 381.

QUÆST. III.

DE PERSONIS DIVINIS.

Art. 1. Quid sit Persona? An Deo conveniat? Et quodnam sit significatum talis nominis? 393.
§. 1. Deo convenit Ratio Personæ, & illius diffinitio explicatur, ibi.
§. 2. Resolvitur ultima pars quæsiti, 395.

Art. 2. Utrum præter existentiam absolutam & communem, dentur in divinis tres existentiæ relativæ? 398.
§. 1. Probatur conclusio negativa, ibi.
§. 2. Solvuntur argumenta, 399.
Art. 3. An detur in Divinis una subsistentia absoluta & tres relativæ? 404.
§. 1. Assignantur variæ acceptiones subsistentiæ, & probatur dari subsistentiam absolutam, ibi.
§. 2. Ostenditur, Dari in Deo tres subsistentias relativas, 407.
§. 3. Solvuntur argumenta contra 1. conclusionem, 411.
§. 4. Solvuntur argumenta contra 2. conclusionem, 415.
Art. 4. De his quæ pluraliter, vel singulariter de Deo dicuntur, 418.
§. 1. Traduntur regulæ generales: & quid de ente & ejus passionibus dici debeat, ibi.
§. 2. De nominibus ad declarandam unitatem essentiæ & distinctionem Personarum, 422.
Art. 5. De cognitione divinarum Personarum, 423.
§. 1. Trinitas nequit per naturalem rationem cognosci, ibi.
§. 2. De notionibus Personarum, 424.
§. 3. De actibus notionalibus, 429.
Art. 6. De Persona Patris.
An ingenitus prout est nomen Patris consistat in privativo? 430.
§. Unic. Resolvitur dubium, ibi.
Art. 7. De Persona Filij.
An verbum procedat per se in quarto modo ex cognitione omnium, quæ formaliter, & eminenter sunt in Deo? 432.
§. 1. Statuitur verbum per se procedere ex cognitione Personarum, & creaturarum possibilium, ibi.
§. 2. Solvuntur argumenta, 438.
Art. 8. An Verbum divinum per se procedat ex cognitione creaturarum futurarum & existentium? 443.
§. 1. Probatur sententia negativa, ibi.
§. 2. Solvuntur argumenta, 448.
Art. 9. De Persona Spiritus S.
An si Spiritus S. non procederet à Filio, distingueretur ab illo? 449.
§. 1. Statuitur contra Græcos Spiritum S. procedere à Patre & Filio, ibi.
§. 2. Probatur sententia negativa, 453.
§. 3. Solvuntur argumenta, 459.
Art. 10. An Spiritus S. pro principio sui productivo per se postulet pluralitatem suppositorum? 465.
§. 1. Resolvitur dubium, ibi.
§. 2. Solvuntur argumenta, 468.
§. 3. Pater & Filius sunt unicum principium Spiritus S. & unus Spirator, 470.
Art. 11. De comparatione Personarum

sonarum ad relationes.
Quodnam sit constitutivum Personæ in esse talis? 472.
§. 1. Rejiciuntur modi dicendi aliorum, ibi.
§. 2. Assignatur & probatur nostra sententia, 478.
§. 3. Solvitur ratio dubitandi cum aliis objectionibus, 484.
§. 4. De constitutivis Filij, & Spiritus S. & circumincessione Personarum, 486.
Art. 12. De missione Personarum.
An & quibus divinis Personis conveniat mitti? Quid & quotuplex sit missio, 488.
§. 1. Resolvitur prima & secunda pars; & quid importet missio, ibi.
§. 2. Explicatur ultima pars, & quod tantum temporaliter dicatur missio, 491.
§. 3, Alia dubia solvuntur, 493.
§. ult. De missione visibili Filij & Spiritus S. 497.

TRACTA-

TRACTATUS VII.

DE PROVIDENTIA DEI, PRÆDESTINATIONE, ET REPROBATIONE.

PROVIDENTIA Etymologicè consíderata est quasi *procul videntia*: & in hoc sensu dixit M. P. Augustinus, lib. 83. Quæst. quæst. 31. *Providentia est per quam futurum aliquid videtur antequam factum est.* Theologicè sumitur pro ratione ordinandorum in finem: & in hoc sensu agit de illa P. August. in Libris de *Ordine*, in quibus totus est in explicando, Divinam Providentiam usque in hæc ultima & ima pertendi, & præter ordinem etiam ipsa mala non esse. De illa etiam agit in Libris de Civitate Dei, & in expositione super Psalmos. Audiatur autem super Psalm. 148. dicens: *Totum Dei providentia fit in terra.* Attendat charitas vestra. Quis disposuit membra pulicis, & culicis, ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? Unam bestiolam brevem, minutissimam considera quam volueris. Si consideres ordinem

membrorum ipsius, & animationem vitæ, qua movetur, pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, devitat molestias, exerit sensus diversos, viget in motu congruo sibi. Quis dedit aculeum culuci, quo sanguinem sugat? Quàm tenuis fistula est qua sorbet? Quis disposuit ista? Quis fecit ista? Expavescis in minimis, lauda magnum... Qui fecit in Cælo Angelum, ipse fecit in terra vermiculum. Et Deus (ut ait 11. *de Civit. cap.* 22.) ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit *in parvis*.

Quidquid ergo hic accidit contra voluntatem nostram noveris non accidere nisi de voluntate Dei, de providentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius; & si nos non intelligimus quid quare fiat, demus hoc providentiæ ipsius, quia non fit sine causa, & non blasphemabimus... Quasi si intrares in officinam fortè fabri ferrarij, non auderes reprehendere folles, incudes, maleos. Et da imperitum hominem nescientem quid quare sit, & omnia reprehendit. Sed si non habeat peritiam artificis, & habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicit? Non sine causa hoc loco folles positi sunt, artifex novit quare, etsi ego non novi. In officina non audet vituperare fabrum, & audet reprehendere in hoc mundo Deum? Hæc Augustinus. De hoc agit D. Thomas in hac 1. *part. quæst.* 22. quia post tract. de Scientia, & de Voluntate, rectus ordo exposcit de his quæ respiciunt simul intellectum, & voluntatem pertractare. Hujusmodi autem est, ait S. D. providentia quidem respectu omnium: prædestinatio verò & reprobatio respectu hominum specialiter in ordine ad æternam salutem. N. Fundament. Doct. Ægidius agit de hoc *in* 1. *Sent. dist.* 39. & ibid. veteres Theologi.

QUÆST.

QUÆST. I.

DE PROVIDENTIA DEI in generali.

PRovidentia definitur à D. Thom. ex Boëcio: *Divina ratio in summo omnium principe constituta, qua cuncta disponit*: & alia est *naturalis*, qua Deus res naturales ordinat ad suos fines naturales: alia *supernaturalis*, qua creaturas intellectuales dirigit in finem supernaturalem: & hæc alia est communis, & generalis, qua Deus omnibus providet media sufficientia ad salutem ex voluntate antecedenti erga illam: alia est specialis, qua electis providet media efficacia ad consequutionem salutis; seu qua ordinat actus liberos creaturæ, mediis quibus salus est obtinenda. Et secundùm hanc divisionem ait P. Aug. 8. *de Gen. ad litt. cap.* 24. *Deus dipertito providentiæ suæ opere præest universæ creaturæ: naturis ut fiant; voluntatibus ut sine suo jussu, vel permissu nihil faciant.* Primò agendum est de illa in genere; deinde de providentia speciali, & prædestinativa, quarè fit.

ARTICULUS I.

UTRUM DETUR IN DEO Providentia?

§. I.

PROBATUR CONCLUSIO affirmativa.

MUlti *stulti* (ait P. Augustin. supr. Psalm. 148.) *non valentes contemplari, & discernere creaturam locis suis, & ordine suo, sub nutu, & jussu Dei agentem motus suos, visum est illis quia superiora omnia Deus gubernat, inferiora verò despicit, abjicit, deserit, ut nec curet ista, nec regat, sed casibus regantur quomodo possunt, quà possunt.* Democritus, & Epicurei totaliter providentiam negaverunt, ponentes, mundum factum esse casu, ut ait D. Thom. in præsenti. Et his adhæserunt Cicero, & Stoici, ut constat ex Aug. 5. *de Civit. cap.* 9. & 10. Catholica autem veritas docet esse in Deo providentiam, non solùm circà sublimes mundi partes, sed etiam circa sublunaria adhuc minima. Et ita senserunt etiam Platonici, ut de Plotino testatur August. 10. *de Civit. cap.* 14. ubi ait: *Providentiam usque ad hæc terrena, & ima pertinere flosculorum atque foliorum*

pulchritudine comprobat. Et id ipsum ibid. comprobat S. D. ex verbis Christi *Matth. 6. Considerate lilia agri quomodo crescunt... quod si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, sic Deus vestit, quanto magis vos modicæ fidei?*

2 Eamdem veritatem probat S. D. ex illo Psalm. 148. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus, (*quæ omnia turbata videntur quibusdam stultis, & quasi casibus agitari*, ut ait S. D. in expositione ejusdem Psalm.) *Cum* enim *addidit* Propheta: *Quæ faciunt verbum ejus; satis ostendit* (reponit Augustinus) *earum quoque rerum ordinem divino subditum imperio. Quod autem ore suo Salvator dicit. Matth. cap.* 10. Unum passerem non cadere in terram sine Dei voluntate: & quòd fœnum agri post paululum mittendum in clivanum, ipse tamen vestiat; *nonne confirmat, non solum totam istam mundi partem rebus mortalibus, & corruptibilibus deputatam, verùm etiam viliſsimas ejus abjectiſsimasque particulas divina providentia regi.* Hæc Augustinus 5. *de Gen. ad litt. cap.* 21.

3 Id ipsum probat S. D. *ibi cap.* 20. ex illis verbis Christi: *Pater meus usque nunc operatur*, concludens: *Movet* itaque occulta potentia universam creaturam suam, dum Angeli jussa perficiunt, dum circumeunt sidera, dum alternant venti, dum abyssus aquarum lapsibus, & diversis etiam per aërem conglobationibus agitatur; dum vireta pullulant, suaque semina evolvunt, dum animalia gignuntur, dum iniqui justos exercere permittuntur, explicat sæcula... quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille qui condidit provido motu administrare *cessaret.* Vide etiam ibi *cap.* 22. & 23. Et *lib.* 83. *QQ. quæst.* 27. & 53. *post med.*

4 Prob. conclus. ex D. Th. hìc *quæst.* 22. *art.* 1. dicente: *Omne bonum quod est in rebus, à Deo creatum est.* In rebus autem creatis invenitur bonum non solum quantum ad substantiam rerum, sed etiam quantum ad ordinem earum in finem, & præcipuè in finem ultimum, qui est bonitas divina. Hoc igitur bonum ordinis in rebus creatis existens à Deo creatum est. Cùm autem Deus sit causa rerum per suum intellectum, & sic cujuslibet sui effectus oporteat rationem in ipso præexistere; necessè est, quòd ratio ordinis rerum in finem in mente divina præexistat: ratio autem ordinatorum in finem propriè providentia est. In art. autem 2. probat dari in Deo providentiam rerum etiam quantum ad individua non solum incor-

rup-

ſuptibilium, ſed etiam corruptibilium; tum quia cauſalitas Dei ſe extendit ad illa omnia; tum quia Deus omnia cognoſcit etiam in particulari.

5 A ratione prob. Ubi datur ordinatio plurium, imò omnium effectuum in finem, ibi datur formaliter providentia: ſed in Deo datur ordinatio omnium creaturarum in finem: ergo. Prob. min. In hoc diſtinguitur agens prudens, & rationabile ab agente irrationali, & caſuali, quod iſtud non ordinat ſuos effectus in finem, benè verò illud: ſed Deus eſt agens rationabiliſsimum, & prudentiſsimum: ergo. *Conf.* Datur in creaturis paſsiva ordinatio in finem; ſunt enim in diverſis gradibus perfectionum; habent diverſas operationes in ordine ad diverſos fines particulares, qui ordinantur ad pulchritudinem, & varietatem univerſi, & ultimò ad oſtenſionem divinæ bonitatis: undè Auguſt. diffinivit ordinem *lib.* 19. *de Civit. cap.* 13. dicens: *Ordo eſt pariumdiſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio.* Ergo datur in Deo ordinatio activa, quæ eſt cauſa talis ordinationis paſsivæ; creatura enim, quæ eſt effectus, nequit ordinare ſeipſam, quia ordinatio effectus eſt ab agente: tum quia paſsivo debet correſpondere activum, ſicut producibilitati paſsivæ correſpondet activa potentia productiva.

6 Hanc rationem exponit Auguſt. *lib.* 11. *de Civit. cap.* 22. loquens de rebus minimis contra Manichæos divinorum operum vituperatores. *Nec attendunt*, inquit, quam vel in ſuis locis naturiſque vigeant, pulchroque ordine diſponantur: quantumque univerſitati rerum pro ſuis portionibus decoris tamquam in communem rempublicam conferant, vel nobis ipſis, ſi eis congruenter, atque ſcienter utamur, commoditatis attribuant: ita ut venena ipſa, quæ per inconvenientiam pernicioſa ſunt, convenienter adhibita in ſalubria medicamenta *vertantur*.

7 Et *tom.* 1. *lib.* 1. *de Gen. cont. Manich. cap.* 16. *Solent*, inquit, Manichæi movere quæſtionem, ut dicant: Quid opus erat, ut tam multa animalia Deus faceret ſive in aquis, ſive in terra, quæ hominibus non ſunt neceſſaria? Multa etiam pernicioſa ſunt, & timenda. Sed cùm iſta dicunt, non intelligunt quemadmodum omnia pulchra ſunt conditori, & artifici ſuo, qui omnibus utitur ad gubernationem univerſi... & certè omnia animalia aut utilia nobis ſunt, aut pernicioſa, aut ſuperflua. Adverſus utilia non habent quid dicant. De perniciosis autem, vel punimur, vel exer-

exercemur, vel terremur, ut non vitam istam multis periculis, & laboribus subditam, sed aliam meliorem, ubi securitas summa est, diligamus, & desideremus; & eam nobis pietatis meritis comparemus. De superfluis verò quid nobis est quærere? Si tibi displicet, quòd non prosunt; placeat, quòd non obsunt: quia etsi domui nostræ non sunt necessaria, eis tamen completur hujus universitatis integritas, quæ multo major est, quàm domus nostra, & multo melior. Hanc enim multo melius administrat Deus, quàm unusquisque nostrum *domum suam.*

8 Secundò prob. Quia si non datur in Deo providentia, evertitur religio nostra: Deus enim colentium obsequio nullam gratiam referret, nec impiis, & facinorosis erit ullum supplicium, quia tunc casus, nec bona provideret, nec mala permitteret. Undè rectè ait Aug. *tom. 6. de Utilitate credendi, cap. 16. Si Dei providentia non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum.*

9 Ultimò prob. Providentiam non esse in aliquoi agente, vel est ratione imperfectæ cognitionis, quia non cognoscit media proportionata ad consecutionem finis, vel ratione debilis potentiæ, quia licèt cognoscat, tamèn non potest talia media apponere, vel defectu bonitatis, quia etsi cognoscat, & possit illa communicare, attamen non vult: sed Deus est agens perfectissimum, summè cognoscens, summè potens, & summè bonus: ergo.

§. II.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

10 OBjicies 1. ex Apostolo 1. *ad Cor. cap. 9.* dicente: *Numquid de bobus cura est Deo?* Ergo in Deo non datur providentia de irrationalibus. Respondet August. super Psalm. 145. quòd ad præcepti tenorem non est de bobus cura Deo, sed ad providentiam universitatis, quæ creavit omnia, & mundum regit, homines, & jumenta salvos facies Domine, ut dicitur Psalm. 53. Ergo & præter hominem animalia pertinent ad curam Dei, ut pascantur, non ut legem accipiant. Quod ergo ad dandam legem attinet, de bobus cura Deo non est: quod autem ad creanda, ad pascenda, ad gubernanda, & regenda, omnia ad Deum pertinent. Hæc August. & similiter respondet D. Thom. *hìc art. 2. ad 5.*

11 Objicies 2. cum Gentilibus, qui ut quasi probent non dari providentiam, gemino (inquit

quit Auguſt. 5. *de Gen. ad litt.* *cap.* 22.) abutuntur argumento, vel quod ſupra commemoravi de inconſtantia tempeſtatum, vel de felicitatibus, atque infelicitatibus hominum, quòd non pro vitæ meritis accidunt. Si enim eſt providentia circa tempeſtates, vel ſi Deus pluerét, numquid plueret in mari? Qualis, inquiunt, providentia? Getulia ſitit, & mare compluitur. Ita arguunt apud Auguſt. ſuper Pſalm. 148. & quare percutiunt montem fulmina, & non percutiunt latronem? *Quare via impiorum proſperatur: & benè eſt omnibus qui prævaricantur, & iniquè agunt?* Jerem. 12. E contra verò juſti, & amici Dei miſeriis, & calamitatibus opprimuntur.

12 Ad 1. reſpondet Aug. quod pluit in mare, quia ſunt ibi piſces, & animalia, quæ alantur pluvia, & indigent aqua dulci. Et quare, inquit Getulus, piſci pluit, & mihi non pluit? Ut cogites, ait Aug. Te in regione eſſe deſerti, & ut amareſcat tibi vita præſens, ut futuram deſideres; aut ut flagelleris, & corripiaris, & corrigaris. Imò quia in Getulia non frequenter pluit, oſtenditur divina providentia in diſtributione regionum. Ex eo enim quod in Libia pluit propè omni anno, ſervari ibi frumentum diù non poteſt: citò corrumpitur, ait Aug. ſed omni anno datur; in Getulia verò, Africæ interioris regione, quia rarò pluit, & multum frumentum datur, & diù ſervatur. Sic Auguſtinus ſupr. Pſalm. 148.

13 Ad aliud reſpondet S. Doct. ibi, quod ideò percutiunt fulmina montem, non latronem, quia fortè adhuc latronis converſionem quærit, qui gubernat nubes: *Et ideò percutitur mons, qui non timet, ut mutetur homo, qui timet. Et aliquando ferit & quem vult hominem.* Ad aliud de tribulationibus Juſtorum reſp. cum ipſo S. Doct. 13. *de Trin. cap.* 16. *Proſunt iſta mala*, quæ fideles piè perferunt, vel ad emendanda peccata, vel ad exercendam probandamque juſtitiam, vel ad demonſtrandam vitæ hujus miſeriam, ut illa, ubi erit beatitudo vera, atque perpetua, & deſideretur ardentiùs, & inſtantiùs *inquiratur.*

E contra, *Mores nequiſſimos vides* (inquit S. D. *ſup. Pſalm.* 36.) facultates copioſiſſimas reſpicis: & dicit cor tuum nullum divinum judicium, omnia caſibus fieri, & fortuitis motibus ventilari. Nam ſi Deus, inquis, res humanas reſpiceret, non floreret illius iniquitas, & mea innocentia *laboraret.* Sed contra hoc ſubjungit Auguſt. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaberis facientes ini-*

iniquitatem. Quoniam tamquam fœnum velocitèr arescent. Deus ergo impiis confert prosperitates, & bona temporalia, ut vel illis remuneret bona, quæ aliquando gesserunt, vel ad majorem misericordiæ, & justitiæ ipsius ostensionem, si illis non profecerunt. Unde & Romanis terreni imperij concessit augmentum, quia *quibus daturus non erat vitam æternam, si neque hanc eis terrenam gloriam concederet, non redderetur merces virtutibus eorum*, ut Aug. docet 5. *de Civit. cap.* 15.

14 Objicies 3. Non cadit sub providentia, quod non ordinatur in finem: sed in his inferioribus sunt multa mala, & peccata; peccata autem non ordinantur in finem, quinimò sunt privatio ordinis: & ideò ait Aug. 5. *Conf.* 10. *Peccatorum tantum non ordinator* Deus: ergo. *Conf.* Non est prudens qui sustinet malum evenire in illis, quorum actus ejus providentiæ subsunt, si possit prȩcaveri, vel impediri: sed Deus est prudentissimus, & potentissimus: ergo cùm ista mala eveniant in inferioribus, actus particulares inferiorum Dei providentiæ non subduntur. *Rursùs.* Si Divina Providentia præsidet rebus omnibus, ut quid tot malos, & sceleratos homines permittit, cùm ad exercitationem bonorum pauci sufficiant?

15 Hoc argumentum opponebat Trigetius apud Aug. *lib.* 1. *de Ordine, cap.* 7. existimabat enim, quod non poterant mala ordine contineri, & ipsum ordinem manare à Deo, atque ab eo diligi, quin etiam mala essent à Deo, & ab ipso diligerentur. Respondet autem Licentius *ibi*, quod eo ipso mala non sunt præter ordinem, quia à Deo non diliguntur, nam iste ipse est malorum ordo, ut non diligantur à Deo. *An parvus rerum ordo tibi videtur, ut & bona Deus diligat, & non diligat mala?.. Qui ordo, atque dispositio, quia universitatis congruentiam ipsa distinctione custodit, fit ut mala etiam esse necesse sit. Ita quasi ex antithetis quodammodo, quod nobis etiam in oratione jucundum est, id est, ex contrariis, omnium simul rerum pulchritudo figuratur.* Circa mala respectiva naturæ respondet S. D. *lib.* 7. *Conf. cap.* 13. dicens: *Et tibi omninò non est malum; non solum tibi, sed & universæ creaturæ tuæ: quia extra te non est aliquid quod irrumpat, & corrumpat ordinem, quem posuisti ei. In partibus autem ejus quȩdam, quibusdam quia non conveniunt, mala putantur: & eadem ipsa conveniunt aliis, & bona sunt, & in semetipsis bona sunt.* (nam si venenum Scorpionis malum esset per seipsum, eum-

eundem Scorpionem magis, priusque interimeret, quod si ei penitus detrahatur, interibit Scorpio, ut ait *lib. de Morib. Manich. cap.* 8.) *Et omnia hæc, quæ sibimet invicem non conveniunt, conveniunt inferiori parti rerum.*

16 Ex D. Thom. resp. *Quod quamvis malum secundùm quod exit ab agente proprio sit inordinatum, & ex hoc per privationem ordinis diffiniatur; tamen nihil prohibet, quin à superiori agente ordinetur, & sic sub providentia cadat. quæst. 5. de Virtut. art. quarto.* Ai Deo ergo ordinatur malum in quantum illud permittit, ne impediatur aliud majus bonum: & in hoc sensu dixit Aug. *in Enchir. cap. 27. Melius judicavit de malis benè facere, quàm mala nulla esse permittere.* Sed non est ordinator malorum, illa intendendo, aut præcipiendo, & in hoc sensu intelligitur auctoritas objecta ex Aug.

17 Ad cons. respond. ex D. Thom. ubi proximè ad 4. quod quilibet prudens sustinet aliquod parvum malum, ne impediatur totum bonum, quod libet naturam particulare bonum est parvum respectu boni alicujus universalis: non posset autem impedire malum, quod ex aliquibus rebus provenit, nisi natura eorum tolleretur, quæ talis est, ut possit deficere, vel non deficere, & quæ alicui particulari nocumentum infert; & tamen universo quamdam pulchritudinem addit: & ideò Deus, cùm sit prudentissimus, suâ providentia non prohibet mala, sed permittit, unumquodque agere secundùm quod natura ejus requirit; ut enim dicit Dionys. 4. *de Divin. Nom.* Providentiæ non est naturam perdere, sed salvare. Et ideò ait etiam Aug. quod cùm *Deus Angelos quosdam per elationem beatæ vitæ futuros desertores præsciret, non eis ademit hanc potestatem, seu libertatem, potentius, & melius esse judicans etiam de malis benè facere, quàm mala esse non sinere. 22. de Civit. cap.* 1.

18 Sed dices: Bonum est potentius, quàm malum: ergo magis de bono potest elici bonum, quàm ex malo: ergo non est necesse, quod mala permittat fieri, ut eis eliciat bona. *Resp.* quod aliquod bonum est, quod non posset elici nisi ex aliquo malo: non enim esset vita leonis necessaria ad universum, si non esset occisio animalium; nec esset patientia Martyrum, si non esset persecutio tyrannorum; nec bonum pœnitentiæ, quod est ex malo culpæ: nec hoc impedit infirmitas mali respectu boni, quia hujusmodi non eliciuntur ex malo quasi ex causa per se,

sed quasi per accidens, & materialiter.

19 Ad ult. resp. ex August. quod *omnis malus, aut ideò vivit, ut corrigatur, aut ideò vivit, ut per eum bonus exerceatur: super Psalm. 54. Non ergo dicas* (ait S. D. *Serm.* 154. *de Temp.*) Quare sunt ipsi in domo Dei? Respondetur tibi, vasa sunt in contumeliam. Non errat qui creavit, quoniam qui potuit creare, novit ordinare. Habent in domo magna locum suum. Pictor novit (ait S. D. *Serm. de Machab.* 110. *de Diversis, cap. 6.*) ubi ponat nigrum colorem, ut sit decora pictura: & Deus nescit ubi ponat peccatorem, ut sit ornata creatura? Aliqui mali servantur, ut boni inde nascántur. Quid diabolo nequius: & de ejus nequitia tot bona facit Deus? Non funderetur pro salute nostra sanguis Redemptoris, nisi proditus fuisset *nequitia desertoris.* Ita etiam in *epist.* 141. *ad Maximam.* Cur autem permittat Deus, malos superare bonos in numero, si ad exercitationem bonorum pauci sufficiunt? Respondet Aug. *Serm.* 44. *in Communibus. Considera vir prudens, quod pauci mali multis bonis nocere non audent, & si non audent, non exercent: nunc vero laboratur à paucis bonis inter multos malos; & cum laboratur, sudatur: & cum sudatur, aurum purgatur.*

20 Objicies 4. juxta D. Hieron. *super cap. 1. Habacuc: Absurdum est ad hoc deducere Dei Majestatem, ut sciat per momenta singula quot culices nascantur, atque moriantur... Non sumus tam fatui adulatores Dei, ut dum providentiam ejus etiam ad ima retrudimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem irrationabilium, & rationabilium providentiam esse dicentes.* Ergo. *Resp.* quod S. D. solum negat Deum talia scire successivè, vel alternatim, sicut ipsa animalia in tempore incipiunt, vel deficiunt: hoc enim videtur significare ly *per momenta singula.* Vel secundum ultima verba resp. solum negare eamdem esse providentiam respectu irrationabilium, ac respectu rationalium. Vide *num.* 10.

21 Objic. 5. In Deo non est solicitudo, cùm hæc sit causa laboris, & anxietatis: sed providentia exigit solicitudinem de rebus provisis: ergo. 2. Quod est in Deo formaliter, est æternum: sed providentia non est æterna, cum versetur circa creaturas temporales: ergo. 3. Providentia est pars prudentiæ: sed in Deo non est formaliter prudentia, cùm hæc sit benè consiliativa: & Deus nullum dubium habet, unde eum consiliari oporteat: ergo.

22 *Resp. ad* 1. quod soli-

ſſicitudo importat formaliter promptam collationem mediorum: laborem autem, anxietatem, & alias paſsiones ſolùm importat materialiter ratione ſubjecti, quod quia non eſt omnipotens, laborat, difficultatem patitur, & anxietatem. Deus autem in providendo, diſponendo, & gubernando poteſt dici ſolicitus, & habere curam (ut docet N. Ægidius) quim patiatur laborem, vel anxietatem, quia omnipotens, & incapax paſsionum, quę prout in nobis accidunt providentiæ. Unde ait Aug. 1. *Confeſſ. cap.* 4. Deus meus *ſemper agens*, res producendo, & conſervando, *ſemper quietus* abſque perturbatione, fatigatione, &c.

23 Sic reſpondet D. Thom. *ad* 3. quod licèt conſiliari non competat Deo, ſecundùm quod conſilium eſt inquiſitio de rebus dubiis, tamen præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet (quod eſt proprium prudentię, quia propriè eſt præceptiva juxtà Ariſt. 6. *Ethic. cap.* 9.) competit Deo. Et ſecundùm hoc competit Deo ratio prudentiæ, & providentiæ. Quamvis etiam dici poſsit, quod ipſa ratio rerum agendarum conſilium in Deo dicitur, non propter inquiſitionem, ſed propter certitudinem cognitionis, ad quam conſiliantes inquirendo perveniunt. Unde dicitur *Epheſ.* 1. Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. Hęc D. Thom. hìc *queſt.* 22. *art.* 1. *ad* 1. Datur ergo in Deo prudentia non monaſtica, quæ ſit regulativa ſuarum actionum; ſed archimonarchica, quæ ſit regulativa, & præceptiva actionum ſuorum ſubditorum: & in quantum, eſt conſiliativa, non conſilio ſumpto pro inquiſitione de dubiis, ſed pro certitudine cognitionis. Similiter datur cura, & ſolicitudo ſumpta pro prompta collatione mediorum, non verò prout dicit anxietatem, vel laborem.

24 Ad 2. reſp. cum D. Th. ibi ad 2. quod ad curam duo pertinent, ſcilicet, ratio ordinis, quæ dicitur providentia, & diſpoſitio, & executio ordinis, quæ dicitur gubernatio. Quorum primum eſt æternum, ſecundum temporale. Sic arguente Auguſtino *lib.* 2. *de Ordin. cap.* 7. quomodo poſſet eſſe ordo, cùm malum non erat; & quomodo Deus eſſet juſtus quando non erat malum, ſi ideò juſtus eſt, quia judicat inter bonos, & malos; reſpondit Trigetius, quod ſemper Deus juſtus fuit quantum ad rationem formalem juſtitiæ, ſed non quantum ad uſum; *quia quando extitit malum, non tunc Deo erat diſcenda juſtitia, ſed tunc ea utendum, quam ſemper habuit.*

buit. Postea verò cùm Beata Mater Monica, quæ illi disputationi interfuit, quamdam, in qua nescio quomodo sententiam lapsa est, corrigeret, & sperneret, eamdem doctrinam ordini, seu providentiæ divinæ aptavit, dicens: *Non debui dicere, postquam malum natum est cœpisse ordinem: sed ut illa justitia de qua Trigetius disseruit, ita & ordinem fuisse apud Deum: sed ad usum ejus non venisse, nisi postquam mala esse cœperunt.*

Quomodo autem divina providentia non tollat rerum contingentiam, & libertatem, constat ex dictis *tom. 1. tract. 6. quæst. 3. art. 4. num. 25.*

ARTICULUS II.

AN PROVIDENTIA SIT actus intellectus?

§. I.

EXPLICANTUR ALIQUA ad intelligentiam tituli, & resolutionis.

AD providentiam ultra intentionem finis concurrunt plures actus: consilium scil. de opportunis circa finem: judicium, electio, & imperium. Ad benè consiliandum datur virtus *eubuliæ*, ad benè judicandum dantur *synesis*, & *gnome*, quæ sunt partes judicativæ. Distinguuntur autem synesis, & gnome secundum diversas regulas, quibus judicatur. Nam synesis est judicativa de agendis secundum communem legem: gnome autem secundum ipsam rationem naturalem in iis, in quibus deficit lex communis. Ita D. Th. 1. 2. *quæst. 57. art. 6. in corp. & ad 3.* Ad benè præcipiendum datur prudentia: principalis autem pars prudentiæ est providentia, ut constat ex Aug. *lib. 83. QQ. quæst. 31.* ubi exponit partes providentiæ, memoriam scil. præteritorum, intelligentiam præsentium, & providentiam futurorum: ex præteritis enim memoratis, & præsentibus intellectis conjecturamus, de futuris providendis, & ideò ait D. Thomas quod principalis pars prudentiæ est providentia, quia omnia alia, quæ requiruntur ad prudentiam, ad hoc necessaria sunt, ut aliquid rectè ordinetur in finem. Ita D. Thom. hìc *quæst. 22. in corp. & 2. 2. quæst. 49. art. 6. ad 1. & 1. 2. quæst. 57. art. 6. ad 4.* ubi addit, quod memoria, intelligentia, & providentia non sunt virtutes diversæ à prudentia, sed comparantur ad ipsam sicut partes integrales, in quantum omnia ista requiruntur ad perfectionem prudentiæ.

2 Cum igitur in recta ordinatione ad finem, qui includitur

tur in ratione providentiæ, importetur actus voluntatis, qui est electio mediorum, & rectitudo consilij, & judicij, & præcepti, sine quibus recta ordinatio ad finem esse non potest; quærimus in quonam ex iis actibus consistat formaliter providentia, quia solum de his potest esse difficultas, cum providentia non dicatur propriè in speculativis, sed in practicis, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 49. *art.* 6. *ad* 2.

3 Prima sent. vult consistere in actu voluntatis, quo eligit media, & proponit ea exequi in ordine ad finem cognitum. Ita Scotus, Suarez, Vazquez, & alij. Secunda sent. vult consistere simul in actu intellectus, & voluntatis: & pro illa stant aliqui RR. apud Gonet. Tertia sent. docet consistere in actu intellectus: sed divisa est, nam Durandus, Molina, & alij dicunt consistere in judicio ante electionem mediorum. N. Gavardi docet consistere in solo actu intellectus practici, qui quidem non est imperium, sed ordinatio creaturarum in finem. Eo autem docet non consistere in imperio, quia existimat imperium non esse actum intellectus, quod est falsum, quia juxta Aug. *lib. Imperf. de Genes. cap.* 5. ad illa verba: *Dixit Deus: Fiat lux*: *In eo quod dixit, imperium ejus intelligatur.* Sed dictio est actus intellectus: ergo & imperium. Est etiam contra D. Thom. 1. 2. *quæst.* 17. *art.* 1. *in corp.* dicentem: *Imperare* est essentialiter actus rationis: imperans enim ordinat eum, cui imperat, ad aliquid agendum, intimando, vel denuntiando. Sic autem ordinare per modum cujusdam intimationis, est rationis. Cum autem primum movens ad exercitium actus sit voluntas, & secundum movens non moveat nisi in virtute primi moventis, sequitur, quod hoc ipsum, quod ratio movet imperando, sit ei ex virtute voluntatis. Unde relinquitur, quod imperare sit actus rationis præsuppositò actu voluntatis, in cujus virtute ratio movet ad exercitium *actus.*

4 Fundamentum, quo utitur Gavardi, opposuit contra se D. Thom. ibi in 2. argum. sic: *Imperare* pertinere videtur ad id, quod est maximè liberum: sed radix libertatis est maxime in voluntate: ergo voluntatis est imperare. Ad hoc respondet S. D. dicendum, quod radix libertatis est voluntas sicut subjectum: sed sicut causa est ratio. Ex hoc enim voluntas liberè potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas *conceptiones boni.* Et ad 1. dixerat, quod *imperare non est movere quocumque modo, sed*

cum

cum quadam intimatione denuntiativa ad alterum, quod est rationis.

5 Ut hæc amplius elucescant, adverte, quod ad imperij rationem tria concurrunt, ordinatio alicujus ad aliquid, intimatio, & motio. Cum enim præcipitur, dilige Deum, ordinatur aliquis ad amandum Deum, & intimatur hoc ei, & movetur ad hoc ab imperante. Ordinatio autem, & intimatio ad rationem spectant: motio autem ad voluntatem: unde actus imperij componitur ex eo quod est intellectûs, & ex eo, quod est voluntatis. Et quia actus compositus ex duobus, spectantibus ad diversas potentias, illius est potentiæ essentialitèr, & elicitivæ, cujus est materialiter, seu quantum ad substantiam actus; hinc est, quod imperium est essentialiter, & elicitivè actus intellectus, quia ordinatio intimativa in imperio se habet, ut materia; motio verò, quæ est ex virtute voluntatis, se habet, ut forma. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. constatque ab exemplo, quia si aliquis mortem sustineat propter Christum, actus ille est fortitudinis, & charitatis: formaliter quidem charitatis, essentialiter verò, & elicitivè fortitudinis.

His suppositis sententia D. Thom. & omnium Thomistarum docet, providentiam formaliter, & in recto consistere in actu intellectus practici, qui sequitur ad intentionem finis, & electionem, & dicitur *imperium*. Cum his

§. II.

STATUITUR CONCLUSIO nostra.

6 DIcimus: *Providentiam formaliter consistere in actu intellectus, non verò voluntatis, licèt actum voluntatis includat.* Ita deducitur ex P. Augustino, qui *epist.* 5. *ad Marcelinum* ait, divinam providentiam esse rationem, per hæc verba: *Nec mutatur divinæ providentiæ ratio, qua fit ut ista mutentur*: sed ratio pertinet ad intellectum: ergo. Rursùs, providentiam appellat S. D. *lib.* 83. *QQ. quæst.* 31. præscientiam futurorum: sed præscientia est actus potentiæ videntis, seu scientis: ergo non consistit formaliter in actu voluntatis.

7 Ex D. Thom. constat expresè hìc *quæst.* 22. *art.* 1. *ad* 3. dicente: *Providentia est in intellectu, sed præsupponit voluntatem finis. Nullus enim præcipit de agendis propter finem, nisi velit finem.* Et *quæst.* 5. *de Verit. art.* 1. *in fine corp. Providentia includit, & scientiam,*

tiam, & voluntatem : sed tamen essentialiter in cognitione manet, non quidem speculativa, sed practica. Ratio est, quia providentia est ordinatio rerum in finem, ut constat ex illius diffinitione: *Divina*, scil. *ratio in summo omnium principe constituta, qua cuncta disponit*; sed ordinatio est opus intellectus præsuppositâ voluntate finis; ergo consistit formaliter in intellectus actu, licèt voluntatis actum involvat. Hinc dicit Arist. 2. *Metaph. cap.* 2. *Sapientis est ordinare.*

8 Ex his constat, providentiam non importare ex æquo actum intellectus, & voluntatis. Et ulterius, quia providentia est pars prudentiæ, ut constat ex *num.* 1. sed prudentia, etsi actum voluntatis supponat, formaliter tamen consistit in intellectus actu, cùm sit una ex quinque virtutibus intellectualibus, ut constat ex Arist. 3. *Ethic. cap.* 6. ergo. *Et tamen* (ait D. Thom. *hìc art.* 1. *ad* 3.) *si providentia ex æquali respiceret voluntatem, & intellectum divinum, hoc esset absque detrimento divinæ simplicitatis, cum voluntas, & intellectus in Deo sint idem.*

9 Diximus 2. *Providentiam consistere formaliter non in actu judicij antecedente electionem, sed in actu imperij, qui subsequitur ad illam.* Prob. ex Parente Aug. qui ut probet dari in Deo providentiam ex illo Psalm. Ignis, grando, nix, glaties, ait: *Cum addidit Propheta, quæ faciunt verbum ejus; satis ostendit, earum quoque rerum ordinem divino subditum imperio.* 5. *de Gen. ad litt. cap.* 21. Sed per hoc intendit Aug. probare rerum inferiorum ordinem subditum esse divinæ providentiæ: ergo satis ostendit illam consistere in imperio.

10 Ita etiam D. Thom. hìc *art.* 1. dicens ad 1. *Præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit Deo secundum illud Psalm.* 148. Præceptum posuit, & non præteribit. *Et secundùm hoc competit Deo ratio prudentiæ, & providentiæ.* Ratio est, quia prudentia propriè est præceptiva eorum, de quibus eubulia rectè consiliatur, & synesis rectè judicat, ut ait Arist. *6. Ethic. cap.* 9. *&* 6. finis enim prudentiæ est, quodnam sit agendum, aut non agendum, præcipere: & sic essentialiter in actu imperij consistit. Sed providentia est principalis pars prudentiæ, ut diximus: ergo.

11 Quod autem non consistat in judicio antecedente mediorum electionem, constat ex eo, quod si aliquis dux rationabiliter, & providenter agit, mittens milites ad alicujus Arcis

cis obsidionem, prius debet intendere finem captionis, vel direptionis illius, & postea dirigere, & ordinare milites ad talem finem: sed ut illos dirigat & ordinet, indiget hos prius eligere præ illis, quos non dirigit, aliter casualiter provideret: ergo providentia, quæ consistit in ratione ordinationis mediorum in finem, non stat in actu judicij antecedente electionem, sed qui ad illam subsequitur.

§. III.

SOLVUNTUR ARGUMENTA, & an sit de ratione Providentiæ generalis, non solum ordinatio, sed etiam consecutio finis in particulari.

12 Arg. 1. SS. PP. sæpè vocant divinam providentiam voluntatem, electionem, & propositum miserendi, ut ait Aug. loquendo de prædestinatione, quæ est providentia specialis: sed talia sunt formaliter actus voluntatis: ergo. *Resp.* quòd, cùm plura concurrunt ad integritatem alicujus, potest illud vocari nomine singulorum, quamvis illa importentur materialiter, vel quodam eo includantur. Sic respondet D. Thom. quod *pro tanto Damascenus dicit providentiam esse voluntatem, quia voluntatem includit, & præsupponit.* 5. *de Verit. art.* 1. *ad* 1. 2. *loco.*

13 Arg. 2. Actus qui tendit in objectum formale voluntatis, est formaliter actus voluntatis: sed providentia formaliter tendit in objectum voluntatis; cùm tendat in finem, qui est objectum formale voluntatis: ergo. *Resp.* quod providentia non tendit in finem sub ratione finalizantis, & boni moventis voluntatem: & sub hac ratione est finis objectum formale voluntatis. Respicit ergo providentia finem sub ratione dirigibilitatis, & ordinabilitatis, quatenus ad ipsum dirigunt, & ordinantur media: & ut sic conformis mediis ordinatis, & directis ad ipsum est objectum intellectus, quia conformitas importat veritatem.

14 Arg. 3. Providentia in Deo differt à scientia practica, seu potentia immediatè executiva rerum: sed scientia practica consistit in imperio: ergo providentia non consistit in imperio. *Resp.* ex dictis *tom.* 1. *tract.* 5. *quæst.* 2. *art.* 5. *num.* 15. quod in Deo datur triplex imperium artis, prudentiæ, & scientiæ, quæ quidem non differunt formaliter ex parte subjecti, sed ex parte objectorum. Potentia executiva est actus providentiæ, & sic *actus potentiæ præsupponit actum providentiæ*

si-

ſicut dirigentis, ut ait D. Th. *quæſt.5. de Verit. art.* 1. *in fine corp.* ac per conſequens ſufficienter diſtinguitur providentia à potentia immediatè executiva.

15 Et nota, quod licèt triplex illud imperium ſit efficax, & immutabile, non oportet, quod ſemper ſit conjunctum effectui, ut ait D. Thom. *in* 1. *ad Annib. diſt.*42. *art.* 1. *ad* 3. *Potentia activa Dei ſemper eſt conjuncta operationi, cùm ſua operatio ſit ejus ſubſtantia; non tamen ſemper effectui, cùm effectus ſequatur ad determinationem voluntatis.* Deus autem voluit ab æterno creaturas eſſe, ſed non eas eſſe ab æterno, ſed ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ, vel in tempore ab ipſo prædefinito. Unde imperium, ſecundùm quod includit actum voluntatis, vel dilectionis interiorem, eſt ab æterno, & denotat effectum in creatura, non in actu, ſed in habitu: & in hoc ſenſu poteſt dici imperium providentiæ. Imperium autem, quod conſtituit potentiam immediatè executivam rerum ad extra, involvit actum dilectionis exteriorem; in quo ſenſu denotat efficientiam, & hic actus voluntatis exterior dicit effectum in creatura in actu; ſed ſic non eſt æternus, ſed temporalis. Ita D. Thom. 3. *ad Annib. diſt.* 32. *art.* 3. *in corp. & ad* 3.

16 Arg. 4. Providentia generalis in eo differt à prædeſtinatione, quod hæc ſemper impletur, non verò illa; ut patet in providentia generali reſpectu reproborum, & prædeſtinatorum in genere ſupernaturali, quæ in prædeſtinatis ſemper impletur, in reprobis fruſtratur effectu: ſed implicat providentiam fruſtrari, ſeu ad rationem ipſius non requiri actualem finis conſecutionem, ſi conſiſtit in actu intellectus practici, qui dicitur imperium; quia hic actus ſemper eſt efficax: ergo.

17 Pro ſolutione nota, quod duplex eſt finis, unus particularis, ad quem creatura ordinatur; alius generalis, qui ab ipſo proviſore intenditur. Et ulterius *in qualibet ordinatione ad finem eſt duo conſiderare*, ait D. Thom. *quæſt.6. de Verit. art.* 1. *in corp. ſcil. ipſum ordinem, & exitum, vel eventum ordinis.* Igitur ad providentiam generalem ſolum pertinet ordo in finem: exitus verò ordinis pertinet ad providentiam particularem, ſeu prædeſtinationem. Ita D. Thom. ibid. *Providentia ordinem in finem reſpicit tantùm, unde per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur: ſed prædeſtinatio reſpicit etiam exitum, vel eventum ordinis: unde non eſt niſi eorum, qui gloriam conſequuntur. Sicut igitur ſe habet*

bet providentia ad impositionem ordinis, ita se habet prædestinatio ad ordinis exitum, vel eventum.

18 Dum autem S. D. ait, quod providentia generalis respicit tantùm ordinem in finem, non verò exitum ordinis, vel consecutionem finis, utique loquitur de fine in particulari, & non de universali: quia respectu finis ultimi à Deo, ut universali provisore intento, non datur ordinatio tantum in illum, sed etiam assequutio. Ille enim finis est manifestatio attributorum, & ab hoc numquam recedit creatura, nec in illo frustratur Dei providentia; ut ait D. Thom. hìc *quæst.* 19. *art.* 6. *in corp. Cùm voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est, quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde quod recedere videtur à divina voluntate secundùm unum ordinem, relabitur in ipsam secundùm alium: sicut peccator, qui quantum est in se, recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus justitiam punitur.*

19 Quam doctrinam desumpsit S. D. ex P. August. *super Psalm.* 110. dicente: *Non vult Deus*, ut pecces, nam prohibet: tamen si peccaveris, non putes hominem fecisse, quod voluit, & Deo accidisse, quod noluit. Sicut enim vult, ut homo non peccet, ita vult peccanti parcere, ut revertatur, & vivat: ita vult postremò in peccato perseverantem punire, ut justitiæ potentiam contumax non evadat. Ita quidquid elegeris omnipotenti non deerit unde suam de te compleat *voluntatem.*

20 Licèt autem creatura non consequatur finem in particulari ad quem per providentiam generalem ordinatur, non ideò dici debet, quod providentia frustretur in aliquo effectu, ut aliqui Thomistę fatentur; quia consecutio talis finis in particulari non est effectus providentiæ generalis, nec voluntatis antecedentis, sed ut ait D. Thom. *in* 1. *dist.* 46. *quæst.* 1. *art.* 1. *Hujus voluntatis effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis*: vel ut ait ubi supra *providentia ordinem in finem respicit tantum*, non verò exitum ordinis. Respectu autem talis ordinis in finem salutis non frustratur, quia ut ait ibid. *sicut se habet providentia ad impositionem ordinis, ita se habet prædestinatio ad ordinis exitum*; & per consequens sicut prædestinatio non frustratur in eventu, nec providentia in eo quod creatura sit ordinata ad finem in particulari. Quid autèm contra efficaciam imperij providentiæ, quod crea-

creatura non consequatur finem in particulari, si consecutio illius, vel exitus ordinis non respicitur per providentiam generalem, nec est illius effectus? Imperium ergo providentię generalis solùm versatur circa illud, quod creatura sit ordinata in finem, vel circa impositionem ordinis, ut ait D. Thom. & in hoc semper est efficax. Unde meritò canit Ecclesia: *Deus cujus providentia in sui dispositione non fallitur.* Hæc doctrina fundatur in eo, quod nequit admitti in Deo voluntas aliqua propriè, & formaliter, quæ non impleatur, ut diximus *tract. præced.*

§. IV.

RELEGATUR A DEO imperium Monasticum.

21 ARg.5. Si providentia consistit in actu imperij ordinante creaturam in finem, talis actus alicui debet imperare: sed non ipsi Deo, ut eliciat actum, nec ipsi creaturæ: ergo. Minor quoad 1. partem prob. quia imperium illud esset imperium monasticum, quo quis seipsum gubernat; hæc autem providentia monastica Deo repugnat; quia Deus non potest ordinare suos actus in finem, cum quidquid est in Deo sit finis, non ad finem. Quoad 2. prob. quia imperium illud, si est respectu creaturarum esset purè gubernativum, vel politicum, quo quis inferiores gubernat: unde debet esse respectu eorum, quæ possunt obedire, & debet supponere subditos, quibus imperet. Sed hoc ipso non dabitur in Deo imperium proprièe tale respectu irrationalium, & insensibilium, cùm istæ creaturæ nequeant cum proprietate obedire: ergo. Aliàs imperium hoc gubernativum providentiæ non supponit creaturas, sed potius causat, & infert illarum productionem: ergo.

22 Circa materiam hujus argumenti variè sentiunt etiam ipsi Thomistæ: nam Cornexo, Salmantic. Godoy, & alij propugnant dari in Deo imperium monasticum, seu respectu suorum actuum. Cajetanus verò, Bañez, Alvarez, Carrasco, à Sancto Thoma, Illust. Montalv. *tom. 2. de Prov. dub. 1. §. 6.* & alij negant tale imperium. Hæc sententia videtur conformior menti D. Thom. & ideò illi adhæremus. Ait ergo hic *quæst. 22. art. 1. in corp. Prudentiæ proprium est secundum Philosoph. 6. Ethyc. ordinare alia in finem, sive respectu sui ipsius, sicut dicitur homo prudens, qui benè ordinat actus suos ad finem vitæ suæ: sive respectu aliorum sibi subjectorum in familia,*

vel civitate, vel regno... secundum quem modum prudentia, vel providentia Deo convenire potest. Nam in ipso Deo nihil est in finem ordinabile, cùm ipse sit finis ultimus. Et *quæst.* 5. *de Verit. art.* 2. *in fine corp. Assimilatur providentia ista, qua Deus mundum gubernat, providentiæ æconomicæ, qua quis gubernat familiam: vel politicæ quæ quis gubernat civitatem, vel regnum, per quam quidem aliquis actus aliorum ordinat in finem: non enim potest esse in Deo providentia respectu sui ipsius, cum quidquid est in eo sit finis, non ad finem.*

23 Respondent Adversarij, quod D. Thom. solùm negat ordinationem formaliter talem suorum actuum in finem, non verò virtualem. *Sed contra*, quia vel illa virtualis ordinatio actuum divinorum in finem per imperium ab ipsis propugnatum sufficit, ut in Deo salvetur propriè imperium constitutivum providentiæ monasticæ, vel non? Si non sufficit: non dabitur in Deo verè, & propriè imperium monasticum: Si primum: dabitur in Deo verè, & propriè providentia monastica, & non tantùm politica, vel æconomica, quod est contra D. Thom. *locis laud. Secundò.* Ut in Deo detur illa virtualis ordinatio suorum actuum in finem, necesse est, quod Deus distinguat virtualiter suos actus: sed respectu intellectus divini non datur distinctio virtualis, ut dixi *tom.* 1. *tract.* 3. *quæst.* 1. *art.* 2. §. 4. ergo. Eadem ratione negavimus, dari in Deo scientiam respectu attributorum; quia ad hoc necesse erat, quod Deus cognosceret ex parte objecti essentiam, ut distinctam ab attributis, aliàs ex parte objecti non cognosceret unum, ut prius alio, & ratione alterius. Similiter si non salvatur ex parte objecti, quod Deus concipiat actus suos, ut unum, & aliud, nequit ex parte objecti unum ad aliud referre, & per consequens nequit propriè, & ex parte objecti salvari in Deo providentia monastica, quæ in tali ordinatione proprij actus in finem formaliter consistit.

24 Pro majori autem intelligentia hujus inter Thomistas dissidij nota, quòd in voluntate creata post electionem mediorum subsequitur actus, qui dicitur *usus activus*, quo voluntas movet potentias executivas ad operis executionem, unde medium est inter electionem, & executionem, ut docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 16. *art.* 4. *ad* 1. *Dicendum, quod ipsam executionem operis præcedit motio, qua voluntas movet ad exequendum, sequitur autem electionem: & sic cùm usus pertineat ad prædictam motionem*

vo-

voluntatis, medium est inter electionem, & executionem. Ad regulandum hunc usum activum voluntatis creatæ statuitur necessitas imperij monastici, quod mediet inter electionem, & talem usum, ut deducitur ex D. Thom. 1. 2. *quæst.* 17. *art.* 3. *ad* 1. dicente: *Non omnis actus voluntatis præcedit hunc actum rationis, qui est imperium: sed aliquis præcedit, scil. electio, & aliquis sequitur scil. usus, quia post determinationem consilij, quæ est judicium rationis, voluntas eligit, & post electionem ratio imperat ei, per quod agendum est, quod eligitur: & tunc demum voluntas alicujus incipit uti exequendo imperium rationis: quandoque quidem voluntas alterius, cùm aliquis imperat alteri: quandoque autem voluntas ipsius imperantis, cùm aliquis imperat sibi ipsi.* Supposito ergo, quod in voluntate creata detur usus activus distinctus ab efficaci mediorum electione, & qui subsequatur ad imperium; dubium est, an similiter propugnandus sit talis usus activus in voluntate divina, ut distinctus ab electione mediorum, & pro cujus regulativo debeat præcedere imperium monasticum?

25 Dicimus, quod *in Deo non distinguitur usus activus ab efficaci electione mediorum, consequenterque judicium regulativum electionis sufficienter regulat usum activum, & sic non est necesse adstruere imperium monasticum, quod mediet inter electionem, & talem usum.* Ita præter AA. laud. N. Basil. Poncius *quæst.* 6. *Schol.* §. 9. & Palanco *disp.* 7. *de Prædest. quæst.* 3. *num.* 13. & 21. Prob. assumpt. Intellectus divinus est ipsa potentia executiva: ergo postquam resolutoriè judicavit, hæc media præ aliis esse utilia consecutioni finis, & postquam hoc judicium per subsequentem electionem à voluntate fuit approbatum, non indiget ulteriori motione voluntatis, ut media electa exequatur. Sed usus activus nihil aliud est, quàm efficax motio voluntatis potentias executivas impellens ad mediorum executionem: ergo hæc executio in Deo non indiget usu activo voluntatis distincto ab electione mediorum. Prob. 1. conseq. Dum potentia executiva est omninò resolutoriè determinata ad executionem rei, in qua nulla est difficultas, superfluit impulsus, quo ad exequendum determinetur: sed intellectus divinus est potentia executiva resolutoriè determinata ad executionem hujus medij per judicium approbatum ab electione, & in tali executione nulla restat difficultas: ergo.

26 Explicatur. Ideò in nobis

bis est necessarius usus activus voluntatis pręter efficacem electionem mediorum, quia major est difficultas in executione, quàm in sola electione : multi enim sunt benè judicantes, consulentes, & eligentes, qui in executione deficiunt, sicut D. Petrus eligebat mori pro Christo, & postea defecit; & ideò præter synesim, & eubuliam requiritur prudentia specialis virtus. Ratio est, quia per judicium regulans electionem imperfectè tantùm, & abstractivè cognoscuntur difficultates in executione occurrentes, quas cùm incipiunt experiri benè eligentes, apparet esse majores, quàm antea apprehensæ abstractivè : & ideò præter judicium regulativum electionis requiritur alius intellectûs actus, quo non obstantibus difficultatibus experimentaliter cognitis intimet voluntati talem usum activum, seu applicationem potentiæ executivæ : unde ait D. Thom. 2. 2. *quæst.* 137. *art.*4. *Plerumque cadit in nostram potestatem electio, sed non executio*, ex eo quod potentia executiva in nobis distinguitur ab intellectu, & voluntate.

27 Sed hæ rationes non tenent in Deo, in quo post efficacem electionem mediorum non occurrit major difficultas in ipsorum executione : ergo in Deo non est ponendus usus activus ad quem præcedat imperium. Prob. min. Respectu Dei, & executionis mediorum nullum est impedimentum, quod obstare possit post efficacem electionem, cùm potentia executiva non differat ab illius intellectu, & voluntate; & sic difficultates in executione occurrentes non apparent Deo majores, quàm antea apprehensæ per judicium regulans electionem : ergo. *Confirm.* Imperium monasticum ad hoc unicè deserviret, ut intellectus divinus intimaret voluntati, ut ipsum moveret ad opus; siquidem solùm deservit, ut intimet voluntati, ut potentiam executivam impellat ad opus; potentia autem executiva in Deo est intellectus. Sed semel, quod intellectus sit resolutoriè determinatus per efficacem electionem voluntatis ad operis executionem, otiosè consumeret efficaciam suæ intimationis, ut alter ipsum moveret ad opus, dum nulla occurrit nova difficultas: ergo superfluit imperium, quod præcedat usum activum, & usus activus distinctus ab efficaci mediorum electione.

28 Tandem prob. assumpt. ex eo quod etiam juxta adversarios Godoy, Gonet, Paulum à Concept. & alios potentia executiva in Deo non distinguitur ab actu intellectus practici, qui est imperium, & sic imperium

rium divinum, quo media exe-
cutioni mandantur est executio:
sed executio non potest non
supponere voluntatem exequen-
di; voluntas autem exequendi
est usus activus: ergo impe-
rium divinum supponit usum
activum, vel non distinguitur
ab illo, & sic non datur in Deo
imperium monasticum, quod
tantùm adstruitur ab adversa-
riis, ut regulet usum activum.

29 Respondent, imperium
considerari posse secundùm du-
plex inadæquatum munus diri-
gentis, & exequentis; ut diri-
gens supponitur ad usum acti-
vum; ut exequens supponit il-
lum. *Sed contra*, quia ad hoc
subsequeretur imperium usum
activum, ut ab illo participa-
ret efficaciam executionis, ut
ipsi fatentur: ergo imperium
pro illo priori ad usum activum
voluntatis non est imperium.
Prob. cons. quia pro illo priori
non potest esse efficax, semel
quod ad hoc subsequatur, ut
pro illo signo posteriori parti-
cipet efficaciam: nequit enim
pro illo priori gaudere eo præ-
dicato, quo præcisè gaudet
dum est posterius, & quia pos-
terius. Ergo vel erit inefficax
quoad exercitium, vel pro illo
signo priori erit præscindens ab
efficacia, vel inefficacia: hoc
ipso non erit imperium, quia
actus positivè inefficax nequit
esse imperium. Aliàs si præscin-
dit ab efficacia, & inefficacia,
erit actus præscindens à ratio-
ne imperij; quia efficacia est de
ratione intrinseca imperij etiam
monastici: ergo. Min. implici-
ta prob. Imperium monasticum,
ut distinctum à politico est ac-
tus, quo operationes proprij
subjecti, scil. voluntatis, ordi-
nantur efficaciter in finem: sed
imperium solùm, ut præcedens
usum, potest esse actus ordina-
tivus talis usus in finem: nam
pro formalitate posteriori est
ipsa executio rerum ad extra:
ergo si pro illo priori non præ-
cedit, ut efficax, sed ut præs-
cindens ab efficacia, non præ-
cedit, ut imperium. Unde so-
lùm, ut subsequitur ad usum
erit imperium; & sic non erit
monasticum, sed politicum,
quia illa formalitas non est in
ordine ad Deum, sed rerum ad
extra.

30 Conf. Non potest præ-
cedere imperium ut dirigens,
si nullus est usus distinctus ab
electione, seu ab imperio in-
tellectus, ut moti à voluntate
per efficacem electionem: quia
ut hunc usum regulet, requiri-
tur; sed non datur, ut proba-
vimus *num.* 26. ergo. *Urgetur:*
Efficacia, quam participat im-
perium in linea dirigentis ab
electione, est efficacia de linea
exequutionis: ergo superfluit
usus à quo provenit efficacia de
linea executionis. Prob. ant.

Illa

Illa efficacia est impulsiva ex parte voluntatis ad executionem: ergo quoties in usu non reluceat nova difficultas, quam in actibus præcedentis voluntatis, illa efficacia ex electione erit de linea executionis saltim initiativè, & terminativè de linea intentionis. Ergo electio est talis, ut ex illa derivetur ad imperium efficacia de linea executiva.

31 Hinc percipies doctrinam D. Thom. asserentis, quod actus intellectus solùm participat efficaciam ab actu præcedenti voluntatis, non à subsequenti; quia in actibus subordinatis virtus prioris actus manet virtute in sequenti, sicut electio participat ordinationem à judicio præcedenti, & imperium intellectus participat ab electione efficaciam; & ideò concludit D. Thom. 1. 2. *quæst.* 17. *art.* 1. quod *imperare sit actus rationis præsupposito actu voluntatis, in cujus virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus*: ergo si imperium quoad substantiam, & ut dirigens præcedit usum activum divinæ voluntatis, nequit ab illo participare efficaciam. Quod ulterius constat, quia imperium est regula actus imperati: ergo sub nulla formalitate propria sui potest dependere effectivè ab usu imperato, & sic nec ab illo dependere in accipiendo efficaciam, quia hoc esset dependere effectivè. Conseq. patet; quia actus regulans supponitur omninò completus in propria ratione independenter à regulato. Antec. est certum.

32 Objicies præcipuum adversariorum fundam. Datur in Deo usus activus, qui sit adæquatè distinctus ab electione, & qui determinet potentiam executivam Dei ad opus: ergo datur imperium talem usum dirigens, & sic imperium monasticum, quod in eo consistit. Prob. ant. In Deo datur actus, qui reperitur in voluntate creata, si ille in suo conceptu non dicit imperfectionem; sed in voluntate creata datur usus activus distinctus ab electione, ut docent Thomistæ cum D. Th. 1. 2. *quæst.* 16. & in præsenti supponunt contra Vazquez, & non dicit imperfectionem in suo conceptu formali: ergo. Prob. min. quoad secundam partem ex D. Thom. ibi *art.* 4. distinguente duplicem habitudinem voluntatis ad volitum, unam secundum quam volitum est in voluntate *per quamdam proportionem, vel ordinem ad volitum. Unde & res, quæ naturaliter sunt proportionatę ad aliquem finem, dicuntur appetere illum naturaliter: sed sic habere finem est imperfectè habere ipsum. Omne autem imperfectum tendit in perfectionem:*

nem: & ideò tam appetitus naturalis, quàm voluntarius tendit, ut habeat ipsum finem realitèr, quod est perfectè habere ipsum: & hæc est secunda habitudo voluntatis ad volitum... Ultimum autem, quod pertinet ad primam habitudinem est electio...sed usus jam pertinet ad secundam habitudinem voluntatis, qua tendit ad consequendum rem volitam. Sed hic titulus voluntatis ad volitum, ut habitum affectivè, & habendum effectivè militat similiter in Deo: ergo.

33 Conf. In Deo linea intentiva est alia à linea executiva: ergo alij sunt formaliter actus pertinentes ad lineam intentivam ab spectantibus ad executivam. Sed ideò differunt realitèr tales actus in creatis: ergo eadem ratio militat, ut differant ex suo conceptu formali in divinis. *Secundò.* Ideò non admitteretur usus omninò distinctus ab electione, quia arguit difficultatem in executione mediorum electorum, quæ nequit esse in Deo: ergo vel difficultatem subjectivam, & ex parte potentiæ executricis, vel formalem objectivam, quæ sit diversa ratio formalis objecti. Sed primum non est ad rem, quia D. Thom. non probavit distinctionem usus ex difficultate subjectiva: secundum est falsum, quia ex D. Thom. constat, quod sit diversa ratio formalis objecti, ut habiti affectivè, & ut habendi effectivè, & per consequens diversa sit amabilitas objecti: ergo. *Tum*, quia in Deo ultra intentionem finis distinguitur electio: & tamen ex parte Dei nulla est difficultas in tali electione, sed tantùm diversa ratio formalis objecti: ergo licèt non detur ex parte Dei difficultas in exequendis mediis electis, dabitur usus ab electione distinctus, quia in mediis est diversa ratio, & amabilitas, ut electis, & ut executis.

34 Resp. negando ant. Ad illius probat. nego min. quoad secundam partem, & nego subsumptam ex authoritate D. Th. quia in divinis inadæquatè est diversa illa habitudo ad volitum, non verò adæquatè, quia aliàs ita pure affectivè conjungeretur divina voluntas cum volito efficacitèr electo, ut novo indigeret conatu, ut cum illo effectivè conjungeretur: & sic esset imperfectio privativa ex parte voluntatis. Quod constat ex D. Thom. ibid. asserente, quod habere finem affectivè *est imperfectè habere ipsum*: & ideò linea intentionis non est per se, & adæquatè distincta à linea executionis, sed hæc est quoddam præcisè munus illius.

35 Ad conf. dist. ant. Est alia adæquatè, nego: inadæquatè, conc. Igitur electio efficax

mediorum & est in linea intentiva, & in executiva; in intentiva terminativè, quia illa linea terminatur in electione: & in executiva initiativè, quia electio non respicit media, ut præcisè effectus finis, sed ut ipsius causas; cujus ratio est, quia electio terminatur ad media, quia conducentia ad consecutionem finis, & quatenus ad id conducunt, ut per se patet: sed actus qui media respicit, quatenus conducentia ad finis consecutionem non respicit illa præcisè, ut effectus finis in genere causæ finalis, sed ut causas consecutionis ipsius: ergo. Per electionem igitur qua primariò divina voluntas approbat medium hoc ad finis consecutionem, secundariò, & ex consequenti applicatur intellectus ad imperium politicum, quo res ordinantur in finem; vel ad imperium quo hìc, & nunc executioni mandentur. Et ideò linea intentiva non est adæquatè distincta a linea executiva. Quomodo cum hoc salvetur doctrina communis de distinctione decreti intentivi ab executivo, exponetur postea.

36 Et nota, quod non diffitemur dari in Deo usum activum, quo voluntas applicet potentiam executivam, ut hìc, & nunc mandet executioni medium electum; sive hoc fiat per usum adæquatè distinctum ab electione, sive non distinctum adæquatè: in quo sensu diximus *tract.5. quæst.2. art. 5. num. 9. & 10.* quod imperium scientiæ approbationis habet munus movendi voluntatem ad actum usus activi quatenus voluntati intimat electionem ab ipsa factam. Sed difficultas est, an illa motio, & imperium sit ad actum ex parte actus, vel ad actum ex parte objecti, mediorum scil. & hoc est, quod defendimus in præsenti; & similitèr, quod talis usus adæquatè non differt ab electione, quod ad citatum locum non spectabat: AA. enim, qui defendunt distinctionem talis usus ab electione, & imperium monasticum, etiam conveniunt nobiscum in eo quod potentia immediatè executiva non differat virtualitèr à linea intellectiva, & volitiva, seu ab intellectu practico, de quo ibi disceptatur.

37 Ad 2. confirmat. dic, sermonem esse de utraque difficultate, subjectiva sumpta pro indifferentia potentiæ executricis ad exequendum, vel non exequendum: nam etiam supposita electione in voluntate creata potest non imperare executionem, & ideò ut exequatur opus, indiget nova determinatione, qua applicet, & impellat potentiam executivam ad opus: in Deo autem non datur talis titulus, quia posita electione

ne

nè efficaci non datur indifferentia ad exequendum, vel non exequendum, & ideò in eo non differt usus ab electione. Similitèr nego, quod detur nova difficultas objectiva, seu diversa ratio formalis, & amabilitas objecti: solum enim datur hæc nova amabilitas in objecto, ut exequendo, quando per ipsam executionem vincuntur aliqua impedimenta: & sic quando hæc non dantur, superfluit ille efficax voluntatis conatus impellens ad executionem, qui sit distinctus à determinatione efficacis electionis, & sic superfluit usus activus ab illa distinctus. Illa ergo nova ratio, seu amabilitas objecti solum est nova inadæquata expressio ejusdem bonitatis, & sic actus non debent esse adæquatè distincti. Sic juxta adversarios licèt in creaturis, in quibus potentiæ executrices sunt externæ, exequi differat adæquatè à dirigere, exequi ponitur in Deo, ut munus purè secundarium directionis, quia imperium, quod primario est dirigens, purè secundario est exequens.

38 Ad ult. conc. maj. quia respectu electionis militat diversa formalis ratio objectiva, cùm etiam suppositâ intentione finis in Deo, adsit nova indifferentia ad hæc media præ aliis eligenda: hæc enim indifferentia est propria voluntatis cum deliberatione, & consilio procedentis. Pro executione autem suppositâ electione efficaci non datur nova indifferentia, & sic nec nova difficultas, vel ratio formalis objectiva, quæ sit nova amabilitas absolutè, & adæquatè distincta à bonitate utilitatis jam electæ, sed est tantum nova expressivè: & ideò pro illa non est necesse adstruere conatum impulsivum voluntatis adæquatè distinctum ab efficaci electione.

39 Hinc ad argum. positum *num.* 21. resp. quod imperium, in quo consistit providentia, nec est, nec ab AA. quos in hoc §. impugnavimus dici debet monasticum, ut falsò affirmat Gonet hìc *num. 96.* sed politicum. Ratio est, quia imperium constitutivum providentiæ est actus intellectus quo virtute electionis voluntatis de mediis magis conducentibus ad consecutionem finis præintenti, hìc, & nunc talia media ordinantur in finem. Unde prius est res esse in finem ordinatas per tale imperium, quàm quod in illo concipiamus formalitatem dirigentis, & imperantis respectu usus activi, quo media ad extra executioni mandentur: hæc enim formalitas supponit providentiam completam, mediâ illa ordinatione in finem: & per consequens nec formalitas imperij, ut exequentis,

tis ; nec ut dirigentis potest constituere providentiam ; quia utraque supponit media, ut de facto in finem ordinata. Et usus activus, quem dirigit imperium monasticum, non est respectu ordinationis mediorum in finem, sed respectu executionis ad extra : aliàs si daretur usus activus distinctus ab electione respectu talis ordinationis, daretur processus in infinitum in actibus intellectus, & voluntatis. Cum autem usus activus, pro cujus regulativo adstruunt adversarij imperium monasticum, sit distinctus adæquatè ab electione, & tendat immediatè ad executionem suppositа ordinatione ; ideò in tali imperio monastico nequit consistere providentia, sed illam supponit constitutam. In præsenti autem disputamus de existentia talis imperij, & usus activi adæquatè distincti ab electione, licèt hoc non requiratur per se ad quidditatem providentiæ ; quia in nullo alio loco potest congruentiùs hoc dubium excitari, quàm ubi expressè agitur de imperio providentiæ divinæ, & illius quidditate.

40 Dicimus ergo, imperium illud esse purè politicum, & gubernativum, & dirigi ad omnes creaturas etiam insensibiles, quia omnes ordinat Deus in suum finem, quia *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suavitèr*, ut dicitur Sap. 8. & *cap.* 11. *Æqualitèr est ei cura de omnibus.* Et *cap.* 14. *Tu, pater, providentia ab initio cuncta gubernas.* Et significantèr de præcepto erga insensibilia loquitur Psal. 148. *Ipse mandavit, & creata sunt.* Et Job 38. inducit Deum mari loquentem : *Usque hùc venies, & ibi confringes tumentes fluctus tuos.* Christusque imperavit ventis, & mari, ut dicitur Matth. 8. *Ex quo loco intelligimus* (ait Hieronym.) *quod omnes creaturæ sentiunt Creatorem imperantem, non errore Hæreticorum, qui omnia putant animata, sed majestate conditoris.*

41 Respectu ergo insensibilium imperium non erit morale, & directivum, sed physicum, & effectivum, quod non requirit cognitionem in re subjecta, sed dependentiam, & sic illius obedientia erit naturalis, & physica, non moralis, & libera. Sic potentiæ executivæ hominis obediunt, & subjacent imperio hominis, licèt tales potentiæ non sint intellectivæ. Sic omnes creaturę legi æternæ Dei subduntur, etiam inanimatæ, ut dicitur 1. 2. *quæst.* 93. *art.* 5. Cum autem hoc imperium providentiæ sit efficax ordinatio non solum de operatione rerum, sed etiam de ipsarum productione, non opus

est,

est, quod supponat, sed potiùs quod faciat sibi subditos ad differentiam imperij moralis, & directivi. Et licèt creaturæ prædestinatæ, vel provisæ non sint in se existentes ab æterno, sunt tamen capaces imperij æterni, ut exequendi in tempore: quia imperium tunc requirit existentiam rei, quando illius fit executio, non quando mente concipitur. Sic poni potest in aliqua civitate lex, quæ etiam nascituros obliget, licèt non executivè, nisi quando jam sunt: potiori autem titulo omnia subjacent imperio divino, quia omnia per illud fiunt; & ideò dicitur, quod Deus *vocat ea quæ non sunt, tamquàm ea, quæ sunt.*

42 Quæres ad quam mentis operationem pertineat hoc imperium? Quidam respondent ad nullam pertinere ex iis, quæ communiter assignantur, quia illæ pertinent ad intellectum speculativum: imperium autem pertinet ad intellectum practicum, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 1. *ad* 3. ubi ait: *Illi tres actus pertinant ad rationem speculativam: sed ulterius ad rationem practicam pertinet causare aliquid per modum imperij, vel per modum petitionis*, & ideò ait, quod oratio est actus rationis. Alij asserunt imperium pertinere ad *judicium*, quo intellectus cognoscit media fuisse electa à voluntate, & esse exequenda juxta præscriptum electionis divinæ: quod judicium non distinguitur à scientia approbationis.

Hæc positio videtur conformior dictis in *Quæst. de Causalitate Scientiæ Dei.* Patet autem, imperium esse cognitionem, tùm quia est actus intellectus, ut sæpè docet D. Thom. intellectus autem nequit elicere actum, qui non sit intellectio, aut cognitio, sicut voluntas nequit elicere actum, qui non sit volitio, vel nolitio; & potentia visiva actum, qui non sit visio. Tum quia prædestinatio est juxta August. præscientia beneficiorum Dei; sed præscientia in Deo est judicium, & scientia approbationis: ergo cùm providentia, & prædestinatio consistant in imperio, imperium erit essentialiter cognitio, seu judicium, quia in Deo non datur nec simplex apprehensio, nec discursus. Nec hoc contrariatur testimonio D. Thom. quia ibi non docet, quod causare, vel intimare per modum imperij non sit cognitio, aut judicium, sed quod non sit judicium sistens intra limites speculationis, sed pertinens ad cognitionem practicam: quod non tollit, quod imperare sit judicium, licèt explicitè non exprimat rationem judicij, sed tan-

tantum vim causativam. Sicut dictio in divinis formalissimè est intellectio, licèt illam qua talis non exprimat, sed vim producendi verbum.

Alia fieri solent argumenta contra rationem imperij, quæ omittimus, quia directè spectant ad 1. 2. *quæst.* 17. De aliis redibit sermo, dum agamus de constitutivo prædestinationis.

§. V.

DE DIFFERENTIA PROvidentiæ à scientia, solicitudine, gubernatione, dispositione, ordine, ante, & fato.

43 PRovidentia differt à scientia, quia scientia communiter se habet ad cognitionem finis, & eorum quæ sunt ad finem: per scientiam enim Deus scit se, & creaturas: sed providentia pertinet tantum ad cognitionem eorum, quæ sunt ad finem, secundum quod ordinantur in finem. Providentia, solicitudo, gubernatio, & dispositio conveniunt in esse ad ea, quæ sunt ad finem; sed differunt inter se, quia divina solicitudo videtur esse (ait N. Ægidius *in 1. dist. 39. quæst. 2. art.* 1.) quid commune ad alia tria: nam in providendo, disponendo, & gubernando potest dici Deus solicitus, & habere curam: ad modum quo paterfamilias est solicitus, quomodo suam domum disponat, quomodo omnibus secundum suum gradum provideat, quomodo singulos secundum suum modum gubernet: sic etiam Deus, qui similis dicitur patrifamilias, respectu universi, quod est quasi quædam illius magna domus. Vide *num.* 22. *ant. præc.*

44 Reliqua tria se habent per ordinem: nam providentia præsupponitur ad dispositionem, & ad gubernationem dispositio, nam priùs est domum disponere, quàm singulis secundum suum statum providere; item providentia præcedit gubernationem, nam gubernatio est executio providentiæ: & ideo providentia, & dispositio æternæ sunt; gubernatio est quid temporale: nam Deus in seipso ab æterno omnia disposuit, & omnibus providit, quæ in tempore executus est. Nota, quod dispositio dicitur respectu ordinis productorum ad invicem, providentia verò dicit ordinem in finem artificiati: & quia ordo ad finem est fini propinquior, quam ordo partium inter se, & quodammodo causa ejus; ideo providentia quodammodo est dispositionis causa. Et propter hoc dispositionis actus frequentèr providentiæ attribuitur, ut constat in diffini-

nitione providentiæ ex Boëtio. Similiter dicitur, quod providentia sit ordo, quia *ordo est parium, disparumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio*, ut Aug. ait 19. *de Civit. cap.* 13. & ideò loquitur de divina providentia ad modum ordinis, dicens *lib.* 83. *QQ. quæst.* 27. *Summo Deo cuncta benè administrante, quæ fecit, nihil inordinatum est in universo.* Loquitur etiam de illa ad modum gubernationis, dicens ibi: *Omnia, & mutabilia Deus pulcherrima gubernatione moderatur*; quia gubernatio executionem providentiæ nominat.

45 Et quia providentia includit & scientiam, & voluntatem, ideò quandoquè loquimur de illa ad modum scientiæ: unde Augustus. ait 83. *QQ. quæst.* 31. *Providentia est per quam futurum aliquid videtur.* Et eadem ratione ait Damasc. quod providentia est voluntas. Potentia executiva se habet ad providentiam sicut gubernatio, quia actus potentię præsupponit actum providentiæ sicut dirigentis, ut ait D. Thom. 5. *de Verit. art.* 1. *in fine corp.* Et ad 9. ait, quod providentia differt ab arte divina, quia ars dicitur respectu productionis rerum, & ad illam pertinet dispositio, quia artifex diversimode collocat partes sui artificij, in quo consistit dispositio: providentia autem non respicit productionem rerum, sed ordinationem in finem. Et in solut. ad 6. ait, quod providentia in Deo propriè non nominat legem æternam, sed aliquid legem æternam consequens: lex enim æterna est considerandа in Deo, sicut accipiuntur in nobis principia operabilium naturaliter nota; ex quibus procedimus in consiliando, & eligendo, quod est prudentiæ, sive providentiæ. Et sicut lex intellectus nostri se habet ad prudentiam sicut principium in demonstratione, similiter etiam in Deo lex æterna non est providentia, sed quasi principium providentiæ: unde, & convenienter legi æternæ attribuitur actus providentiæ, uti Augustus. attribuit 83. *QQ. quæst.* 27. dicens: *Cum lex ipsa incommutabilis maneat, & omnia mutabilia pulcherrima gubernatione moderetur.*

46 Circa differentiam providentiæ à fato nota, quod fatum dupliciter potest accipi: uno modo, ut dicatur ordo causarum divinæ voluntati tributus: alio ut fatum dicatur ipsa divina præscientia, vel voluntas. In primo sensu non multum contendendum est de vocabulo, ut docet Augustus. 5. *de Civit. cap.* 8. In secundo verò sensu commonet Augustus. ut linguam corrigamus: *Prorsus*, ait, *di-*

divina providentia regna conſtituuntur humana. Quæ ſi propterea quiſquam fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem fati nomine appellat, ſententiam teneat, linguam corrigat... nam id homines quando audiunt, uſitata loquendi conſuetudine non intelligunt niſi vim poſitionis ſiderum. Fatum ergo propriè eſt in ipſis cauſis creatis in quantum ſunt ordinatæ à Deo ad aliquos effectus producendos, quia *fatum* juxta Boëtium *eſt diſpoſitio rebus mobilibus inhærens, per quam providentia ſuis quæque nectit ordinibus*; hæc autem diſpoſitio, ſive cauſarum ſeries non habet rationem fati, niſi ſecundum quod dependet à Deo. Unde voluntas, vel poteſtas Dei ſolum cauſaliter poteſt dici fatum, quatenus cauſat ordinem cauſarum ſecundarum. Providentia ergo differt à fato, quia eſt ordinatio activa effectuum: fatum verò eſt ordinatio ſecundum quod conſideratur in cauſis mediis à Deo ordinatis ad aliquos effectus producendos. Vide D. Thom. hìc *quæſt.* 116. & N. Ægid. *ubi ſupra art.* 2. ubi latè explicat differentias utriuſque.

*** *** *** ***
*** *** ***
*** ***
***

ARTICULUS III.

AN DEUS, UT PROVISOR generalis non ſolum offerat, ſed conferat omnibus auxilia ſufficientia?

§. I.

SUPPOSITA OBLATIONE auxiliorum referuntur ſent. & plura notatu digna ad intelligentiam quæſtionis explicantur.

1 SUpponit titulus, Deum dare omnibus auxilia ſufficientia, ſeu media, quibus omnes homines ſufficienter ordinentur, & promoveantur in vitam æternam, ſi ly *dare* ſumatur prout ſignificat præparare, vel offerre. Ita conſtat inter Theologos contra Janſenium: probaturque ex dictis *tract.* 6. *quæſt.* 3. *art.* 2. ubi diximus ex Auguſtino dari in Deo voluntatem ſeriam, & ſinceram de ſalute omnium hominum: & ſimiliter quòd Chriſtus pro omnibus nemine excepto mortuus eſt. Sed talis voluntatis effectus eſt ordinatio naturæ in finem ſalutis, & promoventia in finem omnibus communiter propoſita tam naturalia, quam gratuita, ut ait D. Thom. *in* 1. *diſt.* 46. *quæſt.* 1. *art.* 1. ergo. Rursùs: paſsio Chriſti continet om-

omnia media ad ſalutem neceſſaria, & eſt cauſa meritoria ſufficiens ſalutis omnium: ergo cum ſit paſſus pro omnibus, nullo excepto, omnibus dantur auxilia ſufficientia, prout dare idem eſt, ac offerre.

2 Conſtat hoc ex Apoſt. dicente 1. *ad Timoth.* 2. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Et 1. *Joann.* 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed & totius mundi.* Sacramenta quoque pro omnibus inſtituta ſunt, unde dicitur Zachar. 13. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem in ablutionem peccatoris.* Et de Apoſtolorum prædicatione omnibus facta dicitur ad Rom. 10. ex Pſal. 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et Marci ult. *Prædicate Evangelium omni creaturę. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Unde baptiſmus, & reliqua Sacramenta pro omnibus inſtituta, & prępparata ſunt, dicèt parvulis in utero materno decedentibus proximè applicabilis non ſit, quia ipſi reduplicativè prout in utero operationi miniſtrorum Eccleſię ſubjici non poſſunt. Sed hoc non arguit, quod ſi ipſi ante ortum moriantur pro ipſis non ſit inſtitutus baptiſmus ſimpliciter loquendo, cum ſint capaces, ut extrahantur à tali loco, vel per naturalem nativitatem, vel per uteri abſciſſionem, ſi mater moriatur. Tantum ergo tollit proximam applicationem remedij ex impedimentis extrinſecis, non verò oblationem, & præparationem ſimilis remedij pro omnibus nullo excepto.

3 Idem conſtat ex ibid. dictis *art.* 3. *à num.* 7. & ex *num.* 1. conſtat ex Auguſt. quod voluntas antecedens extenditur etiam ad parvulos, quia includuntur in verbis Apoſt. *Omnes homines vult ſalvos fieri.* Sed hæc voluntas debet habere pro effectu ſaltem oblationem mediorum ſufficientium, ut conſtat ex auctorit. D. Thom. & ex prædicto *art.* 3. *num.* 3. Ergo. Quod ulterius aſſerit S. Doct. 3. *contra Gent. cap.* 159. *Deus quantum in ſe eſt paratus eſt omnibus dare gratiam, vult enim omnes homines ſalvos fieri.* Deus ergo præparavit pro omnibus tam parvulis, quàm adultis, prædeſtinatis, & reprobis remedia ſufficientia ad ſalutem.

4 Dubium ergo eſt, an Deus non ſolum offerat hujuſmodi remedia, ſed etiam conferat, vel det; prout ly *dare* eſt correlativum ad recipere? Prima ſent. affirmat pluribus negari actualem receptionem auxiliorum ſufficientium quantacumque adhibita diligentia, ut par-

vulis decedentibus in utero matrum ; & aliquibus perditissimis , & obstinatis hominibus. Pro hac stat Godoy , & Gonet, qui pro se plures ex domesticis, & extraneis allegat. Sed plures eorum stant pro sententia à nobis infra explicanda. Pro hac etiam sententia stare P. Augustinum tenuit Vazquez: sed nullo nititur fundamento efficaci; imò mirum est, virum aliàs in Augustini scriptis evolvendis diligentissimum, propriam sententiam tanti Doctoris auctoritate noluisse confirmare; cùm tot, & adeò clara extent pro illâ testimonia , ut infrà comprobabimus.

5 Secunda sent. docet omnibus adultis conferri auxilia sufficientia ad salutem. Ita Salmanticenses, Medina *in* 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 10. *pag.* 1029. Bancel, & communiter PP. Societatis, & Scotistæ apud Mastrium. Doctor LeMoyne Sorbonicus ait, quod ubique in christianis academijs hæc sententia recepta est. Mag. Bancel *tom.* 2. *quæst.* 4. §. 1. ait esse omnium Thomistarum , & quod abstrahendo à variis modis illam explicandi est communissima in omnibus Scholis. Videantur Salmanticenses *tom.* 5. *tract.* 14. *disp.* 6. *dub.* 3. ubi plures tam intra quàm extra Scholam D. Thom. laudantur pro hac sent. & ab aliorum citationibus vindicantur. Ex hostris , quos infra referemus. Docetur etiam à Card. Sfondrato in suo famoso opere : *Nodus Prædestinationis dissolutus* , in qua positione non improbatur ab A. libelli : *Augustiniana Eccles. Rom. doctrina à Cardinalis Sfondrati nodo extricata* ; ut videre est *pag.* 394.

6 Ut mens AA. & punctus difficultatis innotescat , nota, quod auxilium sufficiens ad salutem non sumitur præcisè pro sufficienti ad justificationem, & perseverantiam , sed pro sufficienti ad assensum fidei supernaturalem. Hoc autem auxilium sufficiens est , quod dat posse ad aliquem effectum , & sine quo non potest haberi prædictus effectus , quod propterea dicitur ab August. Adjutorium *sine quo*. Hæc auxilia cùm sint ad effectum supernaturalem debent esse supernaturalia , & alia sunt extrinseca , ut passio Christi, Sacramenta , prædicatio Evangelij , præcepta , & vocationes , vel quodcumque aliud, quod adjuvet extrinsecè ad opera salutaria : & ista sunt tantùm gratia sufficiens latè talis. Auxilia intrinseca sunt notitia ex parte intellectus , & vires ex parte voluntatis ; in quo autem consistant vires istæ , & auxilia sufficientia stricte talia , non est concors DD. sententia : sed nec istud spectat ad præsens ; sive enim

enim consistant in actibus indeliberatis intellectus, & voluntatis, sive in qualitate, qua applicentur ad tales actus, semper militat præsens difficultas.

7 Hæc auxilia alia sunt proximè sufficientia ad salutem, alia tantùm remotè, & ex hac divisione pendet hujus dubij intelligentia: sed non est facilè tradere, quid per singula intelligant Catholici DD. nam plures acceptionem terminorum non explicant; & qui de illa agunt non parum discordant. Id unum constat contra Jansenium, potestatem proximam non constitui per gratiam efficacem, uti Jansenius docuit, & illius discipuli, vel decipuli Paulus Irænæus *disquisit.* 2. & Antonius Arnaldus *in* 2. *part. Dissertationis Theolog. præcipue art.* 7. ubi ait: *Quamvis potestatem proximam sine gratia efficaci haberi negaverim, &c.* Jansenius ergo distinxit potentiam *remotissimam, remotam, propiorem, & proximam.* Remotissima dicitur à Jansenio ipsummet liberum arbitrium, in quo Pelagiani proximam collocabant. Potentia remota habetur ab habitu fidei, quem qui habet dicitur posse benè vivere. Potentia propior, & minus remota habetur per charitatem imperfectam, qua homo incipit posse, & reapse vult bonum, quod tamen nondum potest agere. Proxima est juxta Jansenium illa, quæ semper est actui conjuncta, seu qua *S. Spiritus inspiratione sic voluntas præparatur, ut non nudè possit, sed etiam velit, &c. Hoc posse numquam habetur, nisi quando reipsa quoque agitur.* Et tunc *completissimè dicimur posse. Nam reliqui tres possibilitatis modi* (ait Jans. *pag.* 145. *col.* 2.) *imperfecti sunt, quibus præsentibus si postremus, qui per actualem gratiam datur, non affuerit, non magis hic & nunc, & absolutè fieri posse præceptum dici potest, quàm si sine alis volare posse diceretur.*

8 Hæc merito proscripta sunt, quia ex illis infertur, impossibilia esse Dei præcepta hominibus volentibus, & conantibus, ut in 1. conclus. exponemus. Sufficientia ergo proxima est illa, quæ provenit ab auxiliis præstantibus vires adæquatas ad aliquem actum; & dicitur auxilium sufficiens adæquatè, quia complectitur omnia comprincipia necessaria ad talem actum. Undè cum operatio supernaturalis exposcat duo comprincipia, virtutem scil. physicam elevativam potentiæ, & auxilium quasi morale, consistens in objecti propositione; auxilium adæquatè sufficiens erit, quod utrumque complectitur, & præstat: inadæquatè ve-

verò sufficiens erit, quod eorum alterum tantum importat. Ita Salmanticenses. Ex Suario *lib. 4. de Grat. cap. 4.* explicat N. Emminentis. Noris auxilium actu datum esse proximè sufficiens ad illam priorem dispositionem; & respectu ulterioris actus esse tantum remotè sufficiens: v. gr. auxilium proximè, & immediatè sufficiens ad actum inferiorem attritionis est immediatè, & remotè sufficiens ad actum perfectiorem contritionis: quia si quis prædicto auxilio utens actum attritionis eliciat, eo ipso disponitur ad consequendum, saltim impetrativè, auxilium proximè sufficiens ad contritionem. Ita Salmant. *disp. 6. de Grat. dub. 1.*

2 N. Exim. Desirant in *prosecutione actionis epistolaris, cap. 8. §. 3.* ait, quod 1. loco, vel primum auxilium ex parte Dei est *pia suggestio*, quæ in nobis producit *bonam cogitationem* practicam, juxta illud Apost. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2. *ad Cor. 3.* Primum auxilium est remotè sufficiens: secundum proximè sufficiens; de quo Apost. 2. *ad Cor. 9. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis; ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum.* N. Basilius Pontius 1. *part. Select. de Necessit. gratiæ juxta legitimum Augustini sensum cap. 14. num. 10.* auxilium sufficiens proximum ad conversionem peccatoris explicat, per illud, quod causat recordationem peccatorum, & alterius vitę; sive per sanctam cogitationem, ut docet à *cap. 12.*

10 P. Macedo *in Scrinio Augustiniano, cap. 11.* prolixâ disputatione dubios monstrat, & incertos quoscumque modos, quibus hactenus DD. auxilia remota sufficientia infidelibus à Deo collata explicarunt. Et ut alios omittam, Vazquez 1. 2. *disp. 189.* tradit ea auxilia remota consistere in cogitatione congrua, qua si benè utantur infideles servando legem naturæ, Deus postea confert iisdem gratiam proximè sufficientem supernaturalem, qua proximè possint ad fidem converti. Hoc autem Suarez *lib. 4. de Grat. cap. 14.* acerrimè confutat, & concludit *cap. 15.* conditionem, sub qua Deus adultis promisit *proximum auxilium sufficiens ad salutem esse negativè intelligendam, id est, si homo ex parte sua impedimentum divinæ vocationi non posuerit.* Norisius N. *in Vindiciis, & in dissert. 5. cap. 3.* in fine ante §. 1. explicat hæc auxilia remota per cogitationes quasdam bonas, sed adeò debiles, ut voluntatem ad virtutem

non

non pertrahant. Mastrius *in* 1. *disp.* 5. *quæst.* 1. *num.* 32. ait, auxilium sufficiens proximè ad servandam legem naturæ esse remotè sufficiens ad suscipiendam fidem. Sed de hoc §. 9.

11 Conveniunt Theologi in eo, quod non omnibus dentur auxilia proximè sufficientia: ad differentiam Adami in statu innocentiæ, in quo gaudebat auxilio proximè sufficienti pro omni occasione, & instanti: & hoc est adjutorium, quod sæpè Augustinus dicit Adamum habuisse, quod nos in hoc statu non habemus, quia non habemus pro singulis occasionibus perseverantes cogitationes, & affectiones boni. Unde certum est, non omnibus Deum conferre auxilia sufficientia pro singulis momentis, ut patet in dormientibus, vel ita distractis, ut nequidem cogitent de sua salute. Dubium est, an omnes homines, prædestinati, vel reprobi, & obstinati peccatores actu recipiant in se ipsis auxilia saltim remotè sufficientia, à quibus præstetur posse intrinsecum ad pœnitendum, vel credendum.

12 Basilius Pontius locis supra citatis tenet, omnibus adultis concedi beneficio redemptionis Christi auxilium saltem remotè sufficiens, quo possint, si benè illo utantur, ad fidem, & vitam æternam pervenire. Ita præcipuè *cap. ult. num.* 4. Emminentiss. Cardinalis de Noris *in dissert.* 5. *cap.* 1. *& seq. & in Vind. cap.* 3. §. 6. *post med.* tradit eamdem doctrinam. Exim. Desirant loco supra citato docet, P. Augustinum de sola potestate proxima debere intelligi quoties affirmat aliquibus negari adjutorium *sine quo*: imò *ibid. lib.* 3. *In justificatione censuræ* propositionis 4. de qua postea, ait, sententiam sustinentem non omnibus dari auxilia sufficientia proximè, vel remotè, non satis recedere à propositione 5. inter 31. ex damn. ab Alexandro VIII. & à 1. Janseniana. N. Ariminensis, qui pro opposita sententia laudatur, expressè docet, non omnibus Deum largiri auxilia proximè sufficientia ad salutem: loquitur enim de *actu fidei* supernaturalis, & quibusdam gratuitis donis Dei ad salutem consequendam necessariis, *quæ non omnibus* (ait) *certum est Deum largiri*: ex quibus non licet inferre, ipsum, auxilia remotè sufficientia omnibus concedi, negare, sed tantùm proxima. *Ita in* 1. *Sent. dist.* 47. *quæst.* 1. §. *Sed nec iste modus.* Gavardi *quæst.* 6. *de Reprobat. art.* 6. tenet eamdem sententiam de negatione auxilij intrinseci, & proximè sufficientis, secùs verò de extrinseco, & remoto, & sic intelligendum esse, ait, P. Augustinum, ita &

N. Fund. D. Ægid. *in* 1. *dist.* 46. *quæst.* 1. §. *Hæc autem.* Cum illo, & Sychrovvsky, & Gibbon, & Alviz *de Prædest. pag.* 132.

13 Differunt hi postremi AA. dum loquuntur de parvulis, quia his omnibus conferri auxilia sufficientia, ita ut ipsis sint proximè applicabilia per alienam diligentiam, docet Gibbon, & Alviz, Gavardi verò oppositum. Mag. Manso *in Dissert. Dogmatica*, *quæst.* 1. §. 8. *num.* 79. negat omnibus dari in actu secundo auxilia intrinseca, & ait, esse expressam sententiam P. Augustin. *de Corrept. & Grat.* Sed non distinguit de quonam auxilio loquatur, proximè, an remotè sufficienti: licèt ex contextu *quæst.* inferatur etiam auxilium remotè sufficiens excludere. Mag. Sancto Thoma stat pro secunda sent. in eo quod pro omni tempore, quo instat adulto præceptum, non denegari à Deo auxilium sufficiens affirmat *disp.* 10. *de Reprobat. art.* 3. *num.* 36. & hoc etiam supponit Illust. Godoy *tom.* 2. *disp.* 70. Alvarez, qui pro opposita sent. citatur à Gonet, vel non satis sibi constat, vel illi non favet, nam in *disp.* 112. *de Auxiliis*, *num.* 7. ait: *Dixi in conclusione* ad immediatè credendum: *nam ad credendum mediatè, vel immediatè omnes recipiunt pro loco, & tempore auxilium sufficiens; si perveniant ad usum rationis.*

14 Loquendo de sufficientia naturali pro cognitione Dei auctoris naturæ certum est, omnibus adultis conferri, Apostolus enim 1. *ad Rom.* reprehendit Gentiles non cognoscentes verum Deum, dicens: *Invisibilia enim ipsius à creatura hujus mundi per ea, quę facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut sint inexcusabiles.* Vide *tract.* 2. *quæst.* 1. *art.* 2. Sed non dicerentur inexcusabiles, si carerent auxilio requisito ad cognitionem Dei auctoris naturæ, ad illius cultum, & glorificationem: ergo.

§. II.

QUID TENENDUM SIT circa parvulos?

15 EXtra controversiam etiam est, in parvulis decedentibus sine baptismo maximè in utero materno nullam realitatem supernaturalem recipi: *Plerumque enim* (ait P. Augustin. 12. *de Dono Persever.*) *festinantibus parentibus, & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur.* Et D. Thom. *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 1. *art.* 1. *Ad* 1. *di-*

dicendum, quod non est ex defectu divinæ misericordiæ, quod in maternis uteris existentibus remedium non exhibetur, sed quia non sunt capaces illius remedij, per quod secundum legem communem participes passionis Christi efficiantur, à qua est remissio peccatorum, quia non possunt subjici operationi ministrorum Ecclesiæ, per quos talia remedia ministrantur. Si autem non sunt capaces baptismo; signum est in ipsis non esse intrinsecè receptum aliquod auxilium sufficiens ad salutem.

16 Dissident AA. an auxilia sufficientia sint proximè parvulis applicabilia per alienam diligentiam, vel an decedentibus sine baptismo ille ipsis nullatenùs sit applicabilis, quia Deus non vult ipsos baptismate regenerare in pœnam solius originalis? Verosimilius videtur, Deum non negare parvulis baptismum in pœnam solius originalis: parvulos enim etiam originali infectos vult Deus salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quia juxta Aug. 4. *contra Julianum* 8. parvuli *pertinent ad id, quod dictum est* ab Apostolo, Deus vult *OMNES homines* salvos fieri: & quidem hic est sermo de parvulis originali infectis; loquitur enim August. de parvulis, qui non veniunt in regnum Dei. Vide *tractat. 6. quæst. 3. art. 3. num. 1.* Non potest autem Deus velle parvulorum salutem, nisi saltim velit illam virtualiter in mediis, seu in remedio, quod pro parvulis étiam originali infectis instituit; sed non potest velle salutem illorum in tali medio, quod est originalis remedium, si in pœnam talis originalis vult illos privare tali medio, seu si non vult illos lavacro salutis regenerare: ergo ut stet, Deum velle salutem illorum, dicendum est, Deum quantum est ex se velle illis conferre tale remedium etiam suppositio originali, quia aliter non salvatur illa voluntas generalis.

Minor patet, quia si vult Deus baptismum denegare in pœnam originalis, non potest velle parvulis salutem in tali medio contentam; & nullo alio modo potest illorum salutem velle, ut constat ex loco citato: illæque voluntates immediate opponerentur. Et sanè non facile potest intelligi qua ratione medicus, qui me ægrotantè, ægritudine cognita, & supposita, pro me instituit, & præparavit medicamen; qua inquam ratione pro me illud instituerit, & in illo meam voluerit valetudinem, si ratione talis ægritudinis, & in pœnam solius illius nolit illud mihi remedium applicare.

17 Detegitur æquivocatio, quia aliud est, quòd per peccatum

tum originale demereantur homines dona supernaturalia, vel quod supposito beneficio redemptionis nolit Deus aliquos in pœnam talis peccati, vel aliorum, auxilia ad salutem sufficientia conferre: primum est verum, secundum est falsum: unde etiam supposito originali vult Deus salutem omnium ex beneficio redemptionis Christi, quia ejus merito collatus est aliquis effectus proximè, vel remotè sufficiens, ut docet N. Basilius 1. *p. Relectionis, cap. ult.* quod probat de adultis fidelibus ex illo Joann. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, & de infidelibus ex illis universalibus: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: *Deus vult omnes homines salvos fieri*. De parvulis etiam in uteris maternis decedentibus probat ex D. Prospero 2. *de Vocat. Gent. cap.* 23. ubi ait, quod etiam prævisо originali Deus ex beneficio redemptionis dedit auxilium remotum sufficiens eorum parentibus, licèt ipsi ejus auxilij finem ignorarent, quo si uterentur, filius lucem videret. *Isti*, inquit, *ad eam pertinent gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus, qua utique si benè uterentur, eorum parentes, ita ipsi per eosdem juvarentur.* In quo (ait Magnus Basilius ibi *num.* 4.) jam vides esse longè diversam conditionem istorum, si considerentur quales relinquebantur ex vi primi peccati, & quales sint constituti ex beneficio redemptionis: nam ex vi illius relicti sunt sine ullo sufficienti auxilio; at ex redemptione datum est omnibus sufficiens, vel proximè, vel remotè ad conversionem, & regenerationem.

18 Cum ergo Aug. ait plerumque baptismum parvulo *Deo nolente* non dari; quod Deus non velit, seu nolit non est baptismum non dari parvulo, sed est nolle *prorrogare vitam parvuli ultra cursum naturæ*, vel *differre paululum mortem illius*, hic enim sensus constat ex eodem S. Doctore, qui quid Deus nolit exponens, subdit ibidem: *Eum paululum in hac vita non tenuit, ut daretur.* Et *lib. 6. Oper. Imperf. cont. Jul. cap.* 12. ait: *Nonnumquam, & ipsis suis parentibus ardenter desiderantibus ab Omnipotentissimo, & misericordissimo Deo non differtur paululum mors eorum, ut christianorum nati exeant hinc renati, & nec regno Christi suisque genitoribus pereant; sed antequam baptizentur expirent.* Licet enim in *Epist. ad Vitalem, cap. 6. Deo nolente* dixerit S. D. absque aliqua additione qua constet quid Deus nolit, ex his, quæ in præfatis auctoritatibus apposuit cla-

clatè deducitur mens illius. Alia est ergo voluntas Dei castigantis, vel justis de causis non miserentis, & alius ordo divinæ providentiæ: potest enim parvulos à Regio Cælorum excludere, quia peccato originali sunt infecti, sed supposito redemptionis beneficio per quod pro ipsis baptismum instituit, receptione hujus non privat in pœnam solius originalis.

19 Permittit ergo plures non renasci baptismo, etiam festinantibus parentibus, & paratis ministris, quia non tenetur parvulum diutius in hac vita tenere, ut baptismus ipsi detur, quia quandoque non aliter posset illum in hac vita conservare, nisi impediendo dispositionem, vel exigentiam causarum naturalium à quibus mors illius præpopera causatur: unde baptismi privatio non stat unicè penes voluntatem Dei, qua nolit ipsos baptismo regenerare in pœnam originalis, sed penes alias causas, quas non vult, nec tenetur impedire: vel illæ sint naturales ex excessibus matrum, quibus corrumpitur humor nutrimentalis, vel ex abusu auxiliorum sufficientium, quibus Deus parentes illustrat, vel ex aliis causis.

20 Dices cum Gavardi, quod si Mater fulmine intereat, vel terræmotu absorveatur, vel alio simili casu inopinato, tunc baptismus, nec per alienam diligentiam potest dici applicabilis tali infanti. *Resp.* hon non probare Deum nolle illum ad baptismum usque perducere in pœnam solius originalis, vel quod in pœnam hujus tantum privet ipsum auxilio etiam remotè sufficienti ad salutem: piè enim credi potest Deum aliquas inspirationes Matri subministrare, ne talem, vel talem locum accedat, ne talem cibum nocivæ qualitatis sumat, & sic puero de auxilio remotè sufficienti provisum est. Si autem tales inspirationes non admittantur, dicimus, quod illa privatio baptismi non est in pœnam solius originalis, vel quia in pœnam illius nolit Deus puero baptismum applicari; sed quia non tenetur, nec debet impedire tales causas terræmotus, &c. cùm sit provisor universalis ad quem spectat cursum universitatis non interrumpere, causarum necessariarum, aut liberarum.

21 Admittimus ergo baptismum non sic provisum esse pro parvulis, ut omnibus sit proximè applicabilis humanâ diligentia: & hoc est, quod intendit Aug. dum ait: *Plerumque festinantibus parentibus, &c.* Et dum ait *cap.* 8. *de Natura, & Grat. Parvulum natum in eo loco ubi ei non potuit per Christi baptismum subveniri, morte*

præventum, idcircò talem fuisse, ideſt ſine lavacro regenerationis exiſſe, quia eſſe aliud non potuit... rectè ergo ea damnatione, quæ per univerſam maſſam currit, non admittitur in Regnum Cælorum, quamvis chriſtianus non ſolum non fuerit, ſed nec eſſe potuerit, proximè ſcil. & conſequenter ad culpam, vel negligentiam parentum, vel ad diſpoſitionem cauſarum ſecundarum, quas Deus ſua providentia gubernat: unde talis infans, qui vel feſtinantibus, vel negligentibus parentibus moritur ſine baptiſmo, propter ſolum peccatum originale non admittitur in Regnum Cælorum, ut rectè aſſerit Aug. ſed non denegatur ipſi baptiſmus propter ſolum originale, ſed propter aliquam ex dictis cauſis. Auguſt. enim non negat, quod parentum negligentiæ, ſi quæ fuit, tribuatur, quod parvulus ſine baptiſmate moriatur, ſed quod *parentum negligentiæ ſic tribuendum ſit, quod parvuli ſine baptiſmate moriantur, ut nihil ibi agant ſuperna judicia*: iſta enim non debent excludi in tali eventu, quia ut ait Aug. ibi *cap. 12. de Dono Perſev. prope fin. Nec enim fato cogitur Deus illis infantibus ſubvenire, illis autem non ſubvenire... aut res humanas in parvulis non divina providentia, ſed fortuitis agi caſibus opinabimur?*

22. Legitima ergo Auguſtini mens eſt, mortem parvuli ſine baptiſmo decedentis ex parentum negligentia etiam tribuendam eſſe ſuperno Dei judicio, & negligentiæ ipſorum, non voluntati parvulorum *tamquam ipſi* (parvuli) *parentes negligentes voluntate propria de quibus naſcirentur, elegerint*. Hæc Auguſt. de parvulis ſine baptiſmo decedentibus ex incuria parentum. Si autem judiciis Dei, & parentum negligentiæ mors parvuli tribuenda eſt: ergo baptiſmi denegatio non ſoli voluntati Dei volentis originale punire tribuenda eſt. De illis autem, qui ſine baptiſmo decedunt *feſtinantibus parentibus*, vel ut Proſperiair, de illis, qui *ſanctis genitoribus* brti ſunt, de quibus aſſerit: *Nullo ſalvari ſtudio potuiſſe ſuorum, cap. 31. carminis cont. ingr.* de his inquam etiam dicendum eſt, non potuiſſe proximè ſalvari ex eo, quod noluit Deus parvulum in hac vita paululum conſervare, ut illi baptiſmus conferretur: hoc autem noluit, ut ſineret cauſas ſecundas operari, quas non fortuitis agi caſibus opinabimur, ſed divina providentia gubernari. Unde denegatio baptiſmi non provenit ex voluntate Dei in pœnam ſolius originalis, ſed quia non vult paſsim miracula facere in parvulorum favorem, ſed annuere exigentiæ,

tiæ, & dispositioni causarum secundarum.

23 Ex hoc autem non sequitur Deum habere voluntatem negandi parvulis baptismum solum ob peccatum originale, sed permittit talem negationem, ut exequatur ordinem illarum causarum. Licet ergo in illis parvulis nulla supernaturalis realitas recipiatur, & licet quandoque baptismus non sit ipsis proximè applicabilis per alienam diligentiam; non probatur, ipsis denegari à Deo ob solum originale: sed volensi antecedenter, & quatenus est ex se ipso ab originali mundare, quia in baptismo, quod pro ipsis instituit, & præparavit salus eorum continetur; permittit, quod ad illum non perveniant, ut jus causarum ab ipso providentia sua præordinatarum conservetur, & ut constet fato non cogi Deum illis infantibus subvenire. Nec illa causarum præordinatio est ex directa intentione illis denegandi baptismum, quem pro ipsis instituit, sed ut manifestetur ordo divinæ providentiæ; quid peccatum originale demereatur; scil. ingressum in Regnum Cælorum; & ut attributum justitiæ in pluribus exerceatur.

Quid autem de adultis fidelibus, & infidelibus tenendum sit, per sequentes conclusiones cum AA. secundæ sententiæ, & Augustinianis, *num.* 12. laudatis exponemus.

§. III.

PRIMA CONCLUSIO DE justis contra Jansenium.

24 Dicimus 1. *Omnibus hominibus justis tribuit Deus auxilia sufficientia intrinseca pro eo tempore, quo instat obligatio alicujus præcepti.* Ita omnes Catholici contra Jansenium; cujus prima propositio ex famosarum suarum Pentade ajebat: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*, quæ ut hæretica, & blasphema damnata est ab Urbano VIII. Innoc. X. & Alex. VII. vide *tract. 6. quæst. 3. art. 2.* A Trident. *sess. 6. cap. 11.* dicitur temeraria. *Nemo*, ait, *temeraria illa, & à PP. sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.*

25 Ne verò qui Jansenij sensum tuentur sub pretenso Augustini discipulatu illam re-

meratiam propositionem in doctrina tanti Doctoris fundatissimam jactitent; ut appareat quanta Hipponensis ab Iprensi dissideat intercapedine, audiatur S. D. *lib. de Natura, & Grat. cap.* 43. imò recolatur Tridentini testimonium, nam ut benè notat Emm. Palavicinus *lib.* 8. *Hist. Trident. cap.* 14. *Hæc assertio* est S. Augustini excep-„tis verbis postremis: *& adjuvat ut possis*, quæ ex va-„riis ejusdem Doctoris collecta, cùm in prima decreto-„rum forma non fuissent proposita, consulto hìc adjecta „sunt, ut palàm fieret illum „potestatis defectum ad præcepta servanda haud esse in „nobis nisi divinam opem implorare vitio nostrò *neglexerimus.*

26 Eodem *lib. cap.* 69. ait: *Firmissimè creditur Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Ubi nedum ait, Deum impossibilia non præcipere, sed etiam hoc facere non posse, utpote repugnans suæ justitiæ, & bonitati. Et *lib. de Grat. & Lib. Arb. cap.* 16. *Magnum aliquid* (inquit) *Pelagiani se scire putant, quando dicunt, non jubere Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideò jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus, quid ab eo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quę orando impetrat, quod lex imperat.* Dum autem inquit *jubet aliqua, quæ non possumus*, ly *non possumus* intelligitur ex viribus naturę, ait enim super *Psalm.* 118. *conc.* 10. *Hæc est lex fidei, quæ credimus, & oramus. PER GRATIAM DONARI nobis, ut faciamus, quod PER NOSMETIPSOS implere non possumus*; possumus autem per auxilium gratiæ.

27 In hoc differebat Augustinus à Pelagio, quod licèt uterque Deum impossibilia non jubere concederet, Pelagius hominem solis naturæ viribus divina posse implere præcepta existimabat; Augustinus verò, non ex viribus naturæ, sed gratiæ illa implere posse propugnabat: imo *Execramur*, inquit, *blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis posse servari, serm.* 191. *de Temp. circa fin.* Ex quibus deducimus expressam fuisse Augustini sententiam, Deum impossibilia non præcepisse, nec de hoc dubitare licet, suppositâ Pij V. Constitutione *Ex omnibus afflictionibus*, quam confirmavit Gregorius XIII. & Urbanus VIII. in qua damnatur hæc propositio 52. *Definitiva hæc sententia,* Deum

Deum homini nihil impossibile præcepisse, *falsò attribuitur Augustino*, *cum Pelagij sit*. Constat ergo ex decis. Pontificis oppositam Jansenianæ Augustinum docuisse sententiam. Videatur S.D. *lib.* 3. *de Lib. Arb. cap.* 16. *&* 19. *& lib. de Fide, contra Manichæos, cap.* 10. *in tom.* 6.

28 Ex D. Thoma *in* 2. *dist.* 28. *quæst.* 1. *art.* 3. dicente: *Deus non est magis crudelis, quàm homo: sed homini imputatur ad crudelitatem, si obliget aliquem per præceptum ad id, quod implere non possit: ergo hoc de Deo nullatenus est æstimandum.* Idem habet *quodlib.* 7. *art.* 17. *ad* 3. Sed non possunt esse homini possibilia præcepta, si deficiant auxilia sufficientia, quibus posse præstatur: ergo Deus nulli denegat, & præcipuè justis, auxilia sufficientia, dum urget adimpletio præcepti. Unde merito ait S. Leo *serm.* 16. *de Pass. Dom. Justè instat præcepto, qui præcurrit auxilio.*

29 In doctrina verò Jansenij non justè, sed injustè justos conantes, & volentes, & antequam reipsa in actu secundo mediâ gratiâ efficaci operentur, Deus urgeret præcepto; siquidem juxta ipsum non datur potestas proxima, qua præceptum dicatur possibile, *nisi quando re ipsa agitur*, ut constat ex *num.* 7. & sine gratia efficaci non magis hìc, & nunc fieri posse præceptum dici potest, quàm si sine alis volare posse diceretur. Sicut autem injustè instatur ad volandum ille cui non sunt alæ concessæ, ita injuste urgeret Deus præcepto eos, quibus non contulit posse ad obediendum: nec enim minus requiritur gratia Dei ad præceptum adimplendum, quam necessariæ sunt alæ ad volandum, uti nullus nisi Pelagianus inficiabitur. Ergo cum ille qui caret alis sit antecedenter impotens ad volandum, justis sine gratia efficaci erit antecedenter impossibilis impletio præcepti, si ab illa sola gratia præstatur vera potestas. Quomodo ergo justis imputabitur transgressio? Oportet ergo gratiam sufficientem ab efficaci distinctam concedere à qua proveniat potestas antecedens; aliàs rei agerentur, & condemnarentur judice Acheronticis Poëtarum judicibus duriore: non enim usque adeò insanivere illi fabularum architecti, ut Deos fingerent crimina punientes, quæ nulla hominis forent libertate commissa.

§. IV.

PRÆCIPUA CONCLUSIO *de peccatoribus.*

30 DIcimus 2. *Non omnibus conferri in actu secundo auxilia intrinseca proximè sufficientia ad salutem: remota verò nulli adulto denegari.* Primam partem conclusionis probant variæ P. Augustini auctoritates, sed præcipuè eggregium illud testimonium ex *lib. de Corrept. & Grat. cap.* 11. *circa fin.* ubi loquens de adjutorio *sine quo* ait: *Si hoc adjutorium, vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset*, sine quo *manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est: quibus autem datur, secundùm gratiam datur.*

31 Loqui autem S. Doctorem de auxilio proximè sufficienti constat 1. ex D. Thom. qui in 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 5. *ad* 1. adducit prædictum testimonium ad probandum posse hominem cum auxilio gratiæ credere explicitè articulos fidei, & de hoc auxilio ait: *Quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur, in pœnam præcedentis, aut saltem originalis peccati, ut Augustinus dicit.* Sed auxilium requisitum ad explicitè credendum est auxilium proximum illustrationis mysterij supernaturalis in particulari, & sanctæ cogitationis, cùm prius sit cogitare, quam credere: ergo juxta D. Thom. Augustinus loquitur de auxilio proximè sufficienti.

32 De hoc etiam auxilio intellexerunt prædictum Augustini textum, qui in illius mente investiganda præcipuè operam dederunt: & maximè N. Basilius Pontius *in lib. Relect. de Grat.* 1. *part. cap.* 14. ubi redarguit Patrem Vazquez, quòd non est assecutus mentem Augustini. Exim. Desirant in *Prosecut. actionis epistolaris, cap.* 8. §. 3. ait: *De hac sola proxima gratia sufficienti intelligendus est August. quotiescumque dicit hominem non posse.* Unica ad hoc probatio sufficit. Dicit enim, hominem in pœnam peccati *velle*, & *non posse*: atqui idem August. millies repetit, hominem nec velle, nec posse velle sine gratia: ergo dum dicit *eum velle*, & non posse, intelligendus est, quod homini non desit nisi posse proximum, seu adjutorium sine quo dans *omnem sufficientiam.* Ita etiam intellexit Parentem August. Mag. Ga-

Gavardi, & alij Augustiniani. Constatque ex ipsis verbis, *quibus deest TALE adjutorium*; tale utique quale erat in Adamo ante peccatum: sed hoc adjutorium erat proximè sufficiens ad quodvis bonum, & perseverandum, uti pervium est in Augusti. doctrina: ergo adjutorium, quod aliquibus deest nunc est *proximum*, quod quidem deest in pœnam peccati, non remotum, quod omnibus confertur ex meritis Christi. Videsis N. Basilium *ubi supra, cap. ult.* ubi de hoc differit luculenter. Assumptum amplius constabit ex Augusti. auctoritatibus, quas statim pro secunda parte adducemus.

DE PECCATORIBUS obduratis.

33 QUod autem auxilia remotè sufficientia ad salutem nulli adulto denegentur, probatur tam de peccatoribus fidelibus obduratis, & excæcatis, quàm de Paganis, & Infidelibus. Sed primo de peccatoribus ex illo Ezech. 33. *Convertimini convertimini à viis vestris pessimis: & quare moriemini domus Israel?* Sed illa, & similes invitationes, quibus passim Deus in Scripturis advocat peccatores, essent frustraneæ, si illis quantumvis induratis vires sufficientes non dedisset, quibus converti possent: ergo. 2. Deus justè redarguit peccatores etiam supposita indurâtione ad quam culpis personalibus pervenerunt, si ad bonum non convertantur, *quare moriemini domus Israel?* Sed si induratis subtrahit omnem gratiam sufficientem, supposita indurâtione nequit redarguere peccatores de non conversione, nec seriò dicere: *Nolo mortem impij, sed ut convertatur à via sua*; ipsi enim possent respondere: non convertimur, quia non possumus: morimur quia à nobis subtraxisti omnem potestatem intrinsecam, ut vivamus: ergo licet Deus justè possit deserere tales desertores, nequit illos seriò ad pœnitentiam exhortare, si omni prorsus sunt destituti intrinsecâ potestate ad pœnitendum.

34 Prob. ex Augusti. super Psalm. 6. circa medium explicante illud ad *Rom.* 1. Tradidit illos Deus in reprobum sensum: *Ea est*, inquit, *cæcitas mentis; in eam quisquis datus fuerit ab interiore Dei luce secluditur: sed nondum penitus cum in hac vita est.* Idem asserit *serm.* 11. *de Verbis Dom. cap.* 13. Ergo cùm homo in hac vita est, non est penitus seclusus ab interiore Dei luce quantumvis sit excæcatus. Ergo etiam peccatoribus excæcatis confert Deus aliquam in-

interiorem lucem. Ergo, & aliquod auxilium saltim remotè sufficiens ad salutem. Propterea *lib. 2. de Serm. Dom. in Monte, cap. 9.* ait: *Nullam esse animam quantumvis perversam, quę tamen ullo modo ratiocinare potest, in cujus conscientia non loquatur Deus*, & post pauca testatur omnem animam rationalem etiam cupiditate cæcatam à lumine veritatis vel tenuiter pro sui capacitate illustrari: & hanc illustrationem, sive locutionem Dei fieri, sive per creaturam corporalem, atque visibilem, sive per Angelos, sive per Prophetas. Nam ut ait D. Thom. *in* 2. *dist.* 28. *quæst.* 1. *art.* 4. *ad* 2. non oportet, quod auxilium, quo Deus ad se convertit peccatores sit semper *per aliquem habitum infusum: sed potest esse per multa, quæ exterius sunt salutis occasio, & per ipsum actum interiorem, quem Deus in nobis causat.* Unde omnem animam prævenit Deus auxilio suo interiori saltim remotè sufficienti, sive illud occasionetur per creaturam corporalem, utpote exteriori admonitione, aut corporali ægritudine, sive aliquo interiori instinctu, ut ait D. Thom. 24. *de Verit. art.* 15.

35 Explicatur. Nullus in hac vita potest esse perfectè obstinatus, quia ut ait August. *tract.* 53. *in Joann. ante fin.* loquendo de induratis: *Non quia mutari in melius homines non possunt*, dum enim sunt in hac vita, non sunt penitus extra Deum, ut dixit superius. Solum ergo potest admitti obstinatio imperfecta, ut docet D. Thom. *quæst.* 24. *de Verit. art.* 11. *Et hæc est obstinatio imperfecta, qua aliquis potest esse obstinatus in statu vię, dum scil. habet aliquis ita firmam voluntatem in peccato, quod non surgunt motus ad bonum nisi debiles. Quia tamen aliqui surgunt ex eis, datur via, ut præparentur ad gratiam.* Et *in* 1. *dist.* 48. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 2. *In statu viæ nullus est qui mentis obstinationem non possit deponere.* Et 3. *part. quæst.* 86. *art.* 1. *Dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita de quo quis pœnitere non possit, erroneum est.* 1. *quia per hoc tolleretur libertas arbitrij.* 2. *quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri potest cor cujuscumque peccatoris ad pœnitentiam, secundùm illud Prov.* 21. *Cor regis in manu Dei.*

36 Ex his præcluditur adversariorum solutio dicentium peccatores induratos posse in hac vita de peccatis agere pœnitentiam potentia extrinseca fundata in potentia alterius, seu in virtute gratiæ conferibilis à Deo de potentia ordinaria, & in arbitrij libertate; per quod dif-

differunt viatores ab Angelis post lapsum, & hominibus damnatis, quos solum de potentia absoluta potest Deus convertere: & ideò licèt peccatores obstinati non habeant potentiam intrinsecam desumptam ab auxilio intrinsecè in ipsis recepto, potest dici esse in statu salutis, posseque de peccatis agere pœnitentiam ratione illius potentiæ ab extrinseco, quia ut docet D. Thom. cum Aristot. 3. *Ethic. cap.* 5. *lect.* 8. *Possibile dicitur aliquid operanti, non solum secundùm propriam potentiam, sed etiam secundùm potentiam aliorum*: *unde dicit* Arist. *quod possibilia sunt, quæ fiunt per amicos*; *quia ea quæ fiunt per amicos, aliqualiter fiunt per nos.* In hoc fundatur tota solutionis doctrina, in qua nititur Mag. Gonet.

37 Sed rejicitur 1. quia si potentia peccatorum obstinatorum tota sumitur à potentia Dei, obstinatio imperfecta non explicaretur à D. Thom. per hoc, quod non de facili possit creatura cooperari, ut exeat de peccato, quia in cooperatione desumpta à virtute Dei nulla est difficultas ad convertendam creaturam ad bonum. Tota ergo non facilitas, ut creatura possit cooperari ad bonum sumenda est ex parte liberi arbitrij, ex eo quod voluntas est non parum firmata in peccato: supponit ergo D. Thom. creaturam posse cooperari ad bonum, seu ad hoc, quod exeat de peccato, & affirmat hoc posse non de facili. Sed non stat potestas ex parte liberi arbitrij ad cooperandum ad bonum salutare, quin ex parte liberi arbitrij supponatur auxilium sufficiens ad salutem: ergo in peccatore obstinato debet esse intrinsecè receptum tale auxilium.

38 2. In omni viatore obstinato surgunt motus ad bonum, etsi debiles juxta D. Thom. & ratione illorum datur via, ut præparetur ad gratiam: sed illi motus, quamvis possint provenire ab aliquibus exterioribus, quæ sint salutis occasio, vel aliquo interiori instinctu secundùm quem Deus in mentibus hominum operatur, vel utroque modo, ut ait D. Thom. *num.* 34. in loco ex disputatis; nequeunt surgere in homine nisi intrinsecè in eo recipiantur, ut patet: & aliàs motus, quibus creatura præparatur ad gratiam sanctificantem, debent provenire ab auxiliis sufficientibus: ergo ista nulli denegantur.

39 3. In tantum, quæ fiunt per amicos, aliqualiter fiunt per nos; & ideò quæ per amicos possumus per nos posse censemur; *in quantum scil.* ait D. Thom. ibi, *principium horum est in nobis, prout ipsi intuitu*

noſtro hoc faciunt. Vide quæſo, an adverſariis faveat illud axioma: poterit ne dici, Deum intuitu peccatorum obduratorum ſuam eis gratiam conferre, cùm quodlibet peccatum omnia ex ſe auxilia demereatur? Quomodo ergo, qui theſaurizant ſibi iram per ſe aliquid poſſe mediâ amici potentia cenſebuntur? Deus quidem juſtorum amicus eſt, & iſti meritò dicere poſſunt cum Apoſt. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*: peccatores autem obdurati, nec per ſeipſos poſſe dicent ſecundum adverſariorum ſententiam, cùm omni principio intrinſeco ſint deſtituti; nec per amicos, cum Deum, & Sanctos ſibi reddiderint inimicos.

Imò nec ſufficit amicos poſſe, ut per nos illud poſſe cenſeamur: ſed requiritur ipſos velle: quid enim prodeſt ipſos poſſe me juvare, ſi meis demeritis ſuppoſitis gratiam dare non velint? Deſerviet quidem illud, ut agnoſcam illos graviter in multis offenſos, factos eſſe mihi inimicos, & in peccatorum pœnam mihi juſtè auxilia denegare: ſed quomodo per illos aliquid poſſe facere dicam, qui omni, ut ad eos me convertam, careo intrinſeca poteſtate?

40 Prob. 2. concluſ. ex eo, quod nulli peccatori etiam obdurato denegat Deus auxilia ſufficientia tempore quo urget præceptum: nam Deus juſtè inſtat præcepto omnes etiam peccatores; & juſtè illos damnabit propter tranſgreſsionem: ſed ut Auguſtinus ait *lib. de Fide, cont. Manich. cap.* 10. *Quis non clamet, ſtultum eſſe præcepta dare ei cui liberum non eſt, quod præcipitur facere: & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere?* Ergo cum poteſtas ſumatur à gratia ſufficienti, & libertas naturæ non ſufficiat ad opus ſupernaturale, juxta illud Aug. *de Corrept. & Grat. cap.* 8. *Voluntas humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratia libertatem*; oportet nullum privari auxilio remotè ſufficienti ad præcepti adimpletionem; aliàs Deus illi præciperet impoſsibile.

41 Confirm. Prima ex quinque famoſis Janſenij propoſitionibus in ſenſu auctoris non tantum reſtringitur ad juſtos, ſed etiam ad injuſtos, & infideles extenditur; & ſic aſſerunt aliqui, quod ab illa non ſatis recedere videtur oppoſita ſententia. Et Trident. ex ratione juſtis, & injuſtis communi definit: *Deus impoſsibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis: & adjuvat, ut poſsis*: patet enim, quod auxilium imbibitum in ipſa juſsione, & admonitione ratione cu-

jus

jus verificatur ly *posis*, justis, & injustis est commune; & ly *adjuvat ut posis* ex nulla ratione debet ad justos restringi, quia licet injusti possint culpa sua carere potestate proxima ad præcepta servanda, si divinam opem implorare vitio suo neglexerint, non debent auxilio remotè sufficienti privari, si justè, & inexcusabiliter ad præceptum supernaturale etiam durante obstinatione obligantur.

42 Idipsum deducitur ex August. *tract.* 53. *in Joann.* ex quo deduxisse videtur posterior. ra verba Concil. Trident. *Audiamus Dominum, & præcipientem, & opitulantem: & jubentem quid facere debeamus, & ADJUVANTEM, ut implere possimus.* Ergo dum Deus præcipit, opitulatur & adjuvat, ut implere possimus. Ergo omnibus omnino confert Deus auxilia saltem remotè sufficientia, per quæ *implere possimus.* Quod enim loquatur Aug. de peccatoribus, & non solùm de justis, patet, quia illa verba inducit *ne quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatum. Sed audiamus Dominum, & præcipientem, & opitulantem, &c.* si non debemus excusare peccatum, utique loquitur de peccatoribus: si ideò non debemus excusare peccata, quia dum Deus præcipit, adjuvat, ut implere possimus, profectò peccatori fuit collata potestas ad implendum tempore, quo præceptum urgebat. Tandem. Nemo peccat in eo quod vitare non potest, sed absque auxilio intrinseco non potest præceptum implere: ergo non imputaretur ei ad culpam transgressio.

43 Dices, ipsum peccare, quia suâ culpa amisit potestatem: & sic non obligatur ad impossibile absolutè, sed ad aliquid, quod sua culpa factum est sibi impossibile. *Sed contra*, quia aliud est peccatorem merèri, ut â Deo destituatur ratione peccatorum; & aliud quod omni prorsus auxilio destituatur supposito redemptionis beneficio: primum est certum, quia peccatum ex se demeretur omnem gratiam: secundum non parum derogat divinæ pietati; esset enim magis rebellis ad bonum creatura, & ad peccandum prona, quàm Deus misericors ad auxiliandum. Licet ergo justissimè privet Deus reprobos auxilio efficaci, nec illis proximum sufficiens largiatur, ipsos auxilio etiam remotè sufficienti non privat, suppositâ Christi morte pro omnibus: si enim obstinati peccatores, & infideles aliqui nullum omnino recipiunt à Jesu Christo influxum, qua ratione dicetur potius diruta eorum captivitas, quàm dæmonis?

Similiter enim possumus respondere, dœmones auxiliis gratiæ privari in pœnam suorum peccatorum. In tantum ergo Christus pro omnibus etiam reprobis mortuus fuit, per ipsumque dœmonis principatus fuit destructus, non quia Christi mors præcisè digna fuerit tali victoria, & oblata sit Patri, sed quia ex tali oblatione pro aliquibus quoad efficaciam, pro aliis quoad sufficientiam, & ex simili acceptatione Patris aliquis effectus merito Christi debet esse omnibus hominibus collatus saltim remotè sufficiens, ut converterentur, vel renascerentur; aliàs illa oblatio, & acceptatio esset inanis, si ex simili voluntate nullus prorsus desconderet effectus.

44 Secundò. In tantum transgressio hìc, & nunc facta absque libertate imputaretur ad culpam, in quantum subtractio omnis auxilij esset prævisa in causa, seu in peccatis, quibus talem se præbuit peccator, ut à Deo destitui mereretur: sed obduratio ex suo conceptu non petit similem prævisionem in causa, aut cogitationem de simili eventu: ergo potest stare cordis obduratio absque simili imputatione. Ergo potest stare transgressio præcepti cogniti, ut obligantis, absque peccato, quod dici nequit, quia staret obligatio absque libertate, & potestate, & aliàs illa impotentia non esset voluntaria, cum non sit prævisa. Prob. min. Potest homo Dei vocationi iteratò resistere, quin aliquid de eventu defertionis cogitet, nec rationem habeat dubitandi, maximè si sit illitteratus, vel si sit peritus Theologiæ potest secundùm sententiam nostram putare, auxilia sufficientia numquam à Deo denegari: ergo hic potest esse obstinatus, quin aliquid cogitet de illo eventu. Ergo non juste instatur obduratus præcepto, si non prævehitur auxilio; quia sicut juxta S. Leonem: *Juste instat præcepto, qui præcurrit auxilio*, ita valet ab oppositio. Imò licet homo abutatur pluribus auxiliis, non ideò debemus dicere, quod penitus à se repellat divinam misericordiam, quia auxilium causans actus bonos indeliberatos non est in manu creaturæ: nec vincitur Dei misericordia creaturæ malitia: & quamvis Deus justè privet obduratum efficaci gratia, nec concedat proximè sufficientem, divinæ pietati congruum est, ut dicamus, omnes auxilio gratiæ sufficientis prævenire; maximè cum seductor insistit, seu diabolus tentat, cumque præceptum urget.

§. V.

DE INFIDELIBUS, & Paganis.

45 DIcimus 3. *Omnibus Infidelibus, & Paganis confert Deus auxilia saltem remotè sufficientia ad salutem.* Prob. ex propositi. 5. inter 31. ex damnatis ab Alex. VIII. *Pagani, Judæi, Hæretici, alijque hujus generis nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum, adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.* Sed non habentes gratias interiores ad salutem proximè, vel remotè sufficientes sunt tales, qui nullum omninò accipiunt à Jesu Christo influxum (perpende ly *accipiunt*, quod plus dicit, quàm præparationem, & oblationem mediorum) ergo ab hac propositione damnata non satis recedere videtur opposita sententia. Nec ab ista 27. ex Bulla *Unigenitus. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*, nam juxta adversarios primum auxilium sufficiens ordinis supernaturalis est auxilium sufficiens ad credendum; & cùm hoc non habeant Infideles negativè, sequitur nullam dari gratiam nisi per fidem. Hæc diximus non ut catholicorum sententiam cum damnata involvamus, sed ut constet congruentiorem esse nostram ad tales errores refellendos.

46 Prob. ex P. August. lib. 1. retract. c. 26. ubi loquens de quæst. 68. ex lib. 83. qq. ait: *Est misericordia Dei etiam ipsam præveniens voluntatem, quæ si non esset, non præpararetur voluntas à Domino. Ad eam misericordiam pertinet & ipsa vocatio, quæ etiam fidem prævenit. De qua paulò post, cùm agerem* (scil. in præfata quæst. 68. circa finem) *dixi: hæc autem vocatio, quæ sive in singulis hominibus, sive in populis, atque in ipso genere humano per temporum oportunitates operatur, altæ & profundæ ordinationis est.* Et lib. 3. de lib. arb. c. 19. arguit contra se in hunc modum: Si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus nasceremur, & primò erraremus, nescientes quid nobis esset faciendum, deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta justitiæ, vellemus ea facere; & renitente carnalis concupiscentiæ nescio qua necessitate, non valeremus?

47 *Quibus breviter respondetur, ut quiescant, & adversus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortassè quererentur, si erroris, & libidinis nullus hominum victor existeret: cum*

cum verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras... & quod volentem sanare contemnis. Ista tua propria peccata sunt: nulli enim homini ablatum est scire, utiliter quærere, quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille subveniat, qui nec errat, dum subvenit, nec laborat. Prædictum autem testimonium commemorans in de nat. & grat. c. 67. subdit post prædicta verba: *Ita & exhortatus sum quantum potui ad rectè vivendum; & gratiam Dei non evacuavi, sine qua natura humana jam contenebrata, atque vitiata illuminari non potest & sanari.*

48 Et tom. 1. lib. 1. de Gen. contra Manich. c. 3. adducens illud Joann. 1. Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem, ait: *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit; sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad ejus præcepta servanda convertunt. Quod omnes homines possunt, si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.* Loquens autem in 1. retract. c. 10. de prædicto testimonio, ait: *Non existiment novi hæretici Pelagiani secundum eos esse dictum: verum est enim omninò,* omnes homines hoc posse si velint, *sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere charitatis, ut possint.*

49 Ex quibus constat Sanctum Doctorem non loqui de solo lumine naturali, nec de sola gratia externa; aliter existimare possent Pelagiani secundum eos illud esse dictum: ipsi enim nec lumen naturale, nec externę gratiæ necessitatem ad præcepta implenda negabant. Nec loquitur de generibus singulorum, sed de singulis generum: singuli enim in particulari tenentur se convertere ad præcepta servanda: ergo possunt. Ergo habent lumen, seu auxilium saltem remotè sufficiens ad conversionem: licèt non omnes sua culpa accipiant proximum: quod duplex auxilium implicitè distinguit August. dum ait: *Omnes homines hoc posse, si velint, quia præparatur voluntas à Domino*; per hanc enim præparationem auxilium remotum significatur: proximum verò designatur per posteriora verba, *augetur munere charitatis ut possint*: in primis enim ver-

verbis ſupponit S.D. unum poſſe: ergo poſſe poſteriùs deſignatum eſt potentia proxima, vel conſequens, primum verò remota.

Conſtat etiam id ipſum ex prima auctorit. in qua auxilium, ſeu vocatio, quæ dicitur alta & profunda, debet eſſe ſupernaturalis, non naturalis. Et ex eo, quod illa gratia *operatur*, debet eſſe non tantùm oblata, ſed in homine intrinſecè recepta, & ſic debet eſſe gratia interna. Nec eſt ſermo de generibus ſingulorum, ſed de ſingulis generum, ait enim *in ſingulis hominibus operatur*; & in ſecunda auctorit. *nulli homini ablatum eſt*, *&c.* Et ſi in illo teſtimonio gratiam Dei non evacuavit, utique loquitur non tantùm de auxiliis naturalibus, ſed de auxiliis divinæ gratiæ, quia ſi vocationi conſentire, credere, &c. ſolis naturæ viribus tribueretur, gratia Dei evacuaretur. Ergo in primo inſtanti uſus rationis, dum *nobis incipiunt aperiri præcepta juſtitiæ*, Deus hominem per originale peccatum à ſe averſum multis & miris modis ad ſe vocat, docet, exhortatur, adjuvat; & illi deputabitur ad culpam, ſi volentem ſanare contemnat: per illos enim quaſi gradus Deus confert auxilia, ratione quorum vincunt laudabiliter quicumque erroris & libidinis victores exiſtunt: ergo ſi ubique Deus omnibus eſt præſens, & nulli homini ablatum eſt ſcire quærere quod ignorat, culpabiliter errore vincitur, & libidine, qui negligit quærere, quod ignorat, & per conſequens omnes ſunt prævenienti auxilio ſaltem remotè ſufficienti. Ex quo patet quantum diſtet ab Auguſtino Janſenius, dum aſſerit ignorantiam, & concupiſcentiam quantumvis invincibilem & inſuperabilem hominibus imputari, quòd ſunt pœnę originalis peccati, & voluntariæ voluntate capitis: Auguſt. verò docet, homines per gratiam, quam habent, & ignorantiam & concupiſcentiam vincere poſſe, ac ſuperare; & tunc culpabiles eſſe, ſi hoc non faciant, ſive ex contemptu, ſive ex negligentia.

50 Mens M.P.Auguſt. amplius eluceſcit ex D. Proſpero exactiſsimo Auguſtini diſcipulo lib. 2. de vocat. gent. (inter opera D.Ambroſij tom. 4.) c. 5. dicente: *Adhibita ſemper eſt univerſis hominibus quædam ſuperinæ menſura doctrinæ: quæ etſi partioris occultioriſque gratię fuit, ſuffecit tamen, ſicut Dominus judicavit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium.* Et c. 6. *Aliquibus nationibus, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit illa menſura generalis auxilij, quæ deſuper omnibus ſemper hominibus eſt præbita, non negatur.* Et c. 8. in

in fin. *Rationabiliter creditur omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse: & hoc non aliunde monstratur, quam de iis beneficiis, eaque providentia Dei, quam universis generationibus communiter, atque indifferenter impendit.* Et c. 10. recapitulans, quæ dixerat in eo libro, ait: *Elaboratum est, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retrò sæculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus affuisse, providentia quidem pari, & bonitate generali.*

51 Et licèt aliqui inficientur, prædictos libros esse D. Prosperi, inter quos Eminentiss. Henricus de Noris lib. 2. Hist. Pelag. c. 14. rationes tamen, quas adducunt, non multum urgent, ut à vulgari sententia discedamus, quam vel ipse Card. Noris, quandoque sequitur: imò præcipuum illius fundamentum, ne Prospero prædictos libros adjudicet, ex eo, quod lib. 2. plurimum laboris insumit auctor illorum, ut omnibus gratiam Dei faciat communem, non est res à mente ejusdem Eminentissimi aliena, quam exponit in confutat. palinodiæ, & in aliis dissertat. imò in vinditiis c. 3. §. 6. ubi ait, omnibus hominibus adesse auxilium saltem remotum. Prædictos autem libros esse D. Prosperi affirmant plures & graviss. AA. cum quibus novissimè Exim. Desirant in *prosecut. act. epist. lib. 2. c. 4.*

52 Constat etiam Augustinus ex Paulo Orosio, M. Parentis coetaneus, & doctrinæ illius acerrimus defensor, qui non tantùm Augustino affuit in Africa contra Celestium disputanti, sed etiam Hieronymo in Palestina disputanti contra Pelagium, ex cujus fidelissima relatione scripsit Aug. librum *de gestis Pelagij.* Orosius ergo doctissimam edidit Apologiam contra Pelagium *de arbitrij libertate*, quam reperies in Bibliotheca PP. tomo 15. vel in fine voluminis ejusdem *adversus paganos de Historia mundi*, quam scripsit hortatu Parentis Augustini. Et in lib. apologetico ferè in medio Pelagium alloquens testatur: *Mea semper hæc est fidelis, atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum, non solùm in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiæ suæ dona largitur; verùm etiam in universis in hoc mundo gentibus propter longanimem sui æternamque clementiam subministrare, non ut tu asseris cum discipulo tuo Celestio, cui jam apud Africanam Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contusa est, in solo naturali bono & in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contribu-*

butam; sed speciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos, & cunctis, & singulis ministrare. Et paulo post appositis Scripturæ textibus: *Solem suum oriri facit super bonos, & malos. Pluit super justos, & injustos*, Matth. *cap.* 5. *v.* 45. ait: *Quantum ergo de Dei adjutorio gaudeam, per id metire, quod ministrari per singula etiam gentibus probo.* Diabolus interrogatur à Domino: Unde venis? Qui respondens ait: circuibi terram, & perambulavi eam (Job *cap.* 1.) *Solicitudo ista Diaboli malę voluntatis est. Itaque dùm videas hominibus ignaris tantam Diaboli incubuisse nequitiam, ne dispergendum, nullam hinc credis Dei in custodiendo gratiam præfuisse?* Et post alios textus concludit: *Ex quo evidentissimè declaratum est, nemini hominum deesse Dei adjutorium; præsertim cùm & seductor insistat, & insit infirmitas.* Per quod, & mentem suam lucidè exponit, & sententiam nostram efficaciter probat.

53 Ratio autem sic formatur. Omnes, & singuli adulti tentantur à diabolo, ut docet D. Thom. 1. *part. quæst.* 114. Ergo omnes, & singuli recipiunt aliquod auxilium supernaturale. Propterea P. Aug. super *Psalm.* 61. *circa fin.* ait: *Deus, qui dat diabolo licentiam tentandi, dat tentatis misericordiam*, id est gratiam. Et D. Thom. ibi *art.* 1. *ad* 2. cum sibi objecisset, æquum non esse infirmos, & ignaros, quales sunt homines, impugnari à fortibus, & astutis, quales sunt dæmones, respondet: *Quòd ad hoc quòd non sit inæqualis pugnæ conditio, fit ex parte hominis recompensatio; principaliter quidem per auxilium divinæ gratiæ: secundariò per custodiam Angelorum.* Unde 4. Reg. 6. *Elisæus dixit ad ministrum suum: Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.*

54 Prob. ex D. Th. *quæst.* 14. *de Verit. art.* 11. *ad* 1. dicente: „ *Non sequitur* inconveniens posito, quod quilibet „ teneatur aliquid explicitè credere, si in silvis, vel inter „ bruta animalia nutriatur: hoc „ enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus „ non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum „ naturalis rationis sequeretur „ in appetitu boni, & fuga mali, certissimè est tenendum, „ quod ei Deus, vel per interiorem inspirationem revelaret „ ea, quæ sunt ad credendum „ necessaria, vel aliquem fidei „ prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum *ad* „ *Cornelium.*(idem habet *ad* 2.)

„ *Et in* 3. *Sent. dist.* 25 *quæst.* 2. „ *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. Dicen- „ dum, quod in his, quę sunt „ necessaria ad salutem, num- „ quam Deus homini quærenti „ suam salutem deest, vel de- „ fuit, nisi ex culpa sua rema- „ neat. *Et ad Rom.* 3. *lect.* 3. „ Sed tamen hoc ipsum, quod „ aliqui faciunt, quod in se est, „ convertendo se, scil. ad „ Deum, ex Deo est movente „ corda *ipsorum ad bonum.*

En qualiter etiam infidelibus, & barbaris facientibus, quod in se est, providet Deus de necessariis ad salutem, seu de auxilio proximè sufficienti, vel per internam inspirationem, vel per fidei prędicationem. Ergo ipsis provisum est de auxilio saltim remotè sufficienti, quo quærant suam salutem. Hæc consequentia traditur à D. Th. in illis verbis, *in his, quæ sunt necessaria ad salutem, numquam Deus homini quærenti suam salutem deest, &c.* Ergo accepit, ut quærat, aliàs ex culpa sua non remaneret, quod desumpsit S. D. ex P. Aug. *ex lib.* 3. *de Lib. Arb. cap.* 19. cujus verba dedimus *num.* 47. & *cap.* 22. expressè ait: *Quod ergo ignorat, quid sibi agendum sit ex eo est, quod nondum accepit: sed hoc quoque accipiet, si hoc quod accepit benè usa fuerit. ACCEPIT autem UT piè, & diligenter QUÆRAT, si volet.* Idem habet 19. *de Civit. cap.* 13. Explic. Juxta D. Thom. qui faciat quod est in se, *certissimè* accipiet auxilium proximum ad credendum: sed non potest facere, quod est in se, ita ut infallibiliter ipsi conferenda sit gratia supernaturalis, nisi supponatur auxilium supernaturale, quia juxta communem sent. Thom. illud axioma debet intelligi de faciente, quod est in se, ex viribus & sufficientia auxilij supernaturalis: ergo in eo debet supponi auxilium remotè sufficiens ad salutem.

55 Prob. ratione communi, sed efficaci, ex communi doctrina Thomistarum, quam tradunt 1. 2. *quæst.* 89. *art.* 6. quòd nullus est puer, qui non teneatur se convertere ad Deum statim, ac usum rationis attingit. *Et si seipsum ordinaverit ad debitum finem*, ait D. Thom. ibi, *per gratiam consequetur remissionem originalis peccati. Si verò non ordinet se ad debitum finem, secundum quod in illa ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in se est.* Ex hac doctrina, fidelium, & infidelium pueris generali, constat omnem pervenientem ad usum rationis habere in se auxilium intrinsecum supernaturale, ut ad Deum convertatur, quia in primis ad implerionem præcepti

ti non sufficit auxilium extrinsecum, sed requiritur intrinsecum, quia extrinsecum etiam admittebatur à Pelagio. Alias illud auxilium debet esse supernaturale, quia mediâ illa conversione, & ordinatione in debitum finem consequitur puer gratiam sanctificantem, & mundantem à peccato originali, ut docet D. Thom. ibi; sed homo nullum actum potest elicere per vires arbitrij, quo gratiam sanctificantem consequatur, cùm naturale nullam connexionem habeat cum supernaturali: ergo omnis homo perveniens ad usum rationis debet in se recipere aliquod auxilium supernaturale, quo possit se in Deum ordinare, & media tali conversione consequi gratiam habitualem.

56. Hoc confirmari potest ex illo Augustini laud. *num.* 48. *Quod omnes homines* se ad Dei præcepta servanda convertere *possunt, si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum*, quod non intelligitur de veniente physicè in hunc mundum, sive nascente, sed veniente moraliter, seu ad primum instans usus rationis perveniente, sed illa potentia debet intelligi cum adjutorio supernaturali intrinseco, ut ibid. diximus: ergo juxta August. omnes ad usum rationis pervenientes recipiunt aliquod supernaturale auxilium saltim remotè sufficiens.

57. Respondet Mag. à S. Thoma concedendo, omnes pervenientes ad usum rationis recipere supernaturale auxilium ad acceptationem legis, & ad credenda implicitè ea, quæ sunt fidei tunc confusè proposita, quia vires naturæ non sufficiunt ad implendum præceptum naturale de tota lege. Sed ex hoc præcisè non tollitur infidelitas negativa, quia non omnes accipiunt sufficiens auxilium ad explicitè credendum, & sub motivo fidei divinæ in particulari, quod requiritur ad infidelitatem privativam, seu quæ sit peccatum contra fidem: hæc enim tantùm incurritur per resistentiam, seu non acceptationem fidei divinæ explicitè, & in particulari propositæ. Sed hic A. vel non satis sibi constat, vel in omnibus tenet sententiam nostram: dum enim ait *in 2. dicto num.* 33. & 35. quod si *dare* sumatur correlativè ad *recipere*, non omnibus auxilium sufficiens datur, vel loquitur de auxilio tantum proximè sufficienti; & sic nobis favet, non verò Magistro Bañez, cujus sententiæ subscribit, quia hic loquitur de auxilio etiam remotè sufficienti. Si ait, non omnibus dari auxilium remotum, videat quomodo sibi constet,

dum docet omnibus ad usum rationis pervenientibus conferri auxilium remotum; utrumque enim dictum intelligitur de adultis.

58 Ult. probari posset conclusio nostra aliis rationibus, quibus sacra facultas Theologica Colonienſis mota fuit, ut prohiberet librum, cui titulus *Defensio Scriptorum Theologicorum de Gratia Christi, &c.* anno 1713. die 11. Junij, quas indigitat Eximius N. Desirant *in Prosecut. actionis epist. lib.* 3. in justificatione censuræ propositionis 4. ex aliquibus deductis ex supradicto libro Nicolai Heyendal. Ast sufficiet propositionem cum censura apponere, ut majus robur sententiæ nostræ accedat. Igitur propositio 4. sic se habebat: *Non omnes omnino homines habent gratias interiores ad salutem, & ad bonum faciendum, malumque vitandum, proximè, vel remotè sufficientes, quoties urget præceptum, & in specie, nec parvuli sine baptismo extincti, nec omnes omninò infideles, nec obcæcati, nec obdurati quamdiù tales sunt.*

CENSURA.

Hæc propositio videtur falsa, temeraria, & derogans divinæ misericordiæ.

Motivum autem præstitum à Desirant in reflexione supra propositiones 26. & 27. ex 33. excerptis ex quibusdam supradicti Heyendal Dictatis, denunciatis priùs Secretò, posteà verò publicæ lucidatis, ideò est, quòd subtractio omnis auxilij interni etiam remotè sufficientis hominem ponat in puris naturalibus, & manifestè carebit libertate à necessitate, tantumque habebit libertatem naturæ, quæ juxta D. Thom. est simpliciter à coactione: sed damnata est propositio 3. Jansenij asserentis, *ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Ergo.

His forsam rationibus pressus Godoy supponit in limine quæst. ut indubia fide tenendum, dari adultis auxilium sufficiens quoties illos obligat inexcusabiliter aliquod supernaturale præceptum. Sed si vera est doctrina ipsius, quam adduximus *num.* 36. & 43. non opus est illud supponere, quia si in peccatore fideli obdurato dicitur voluntaria privatio auxilij, inexcusabiliter obligabitur ad præceptum supernaturale, etiamsi careat potestate intrinseca. Vide Godoy *ubi supra à num.* 81. Unde congruentius procedit Gonet, qui illud non supponit, cum absdubiò præviderit in Godoy.

§. VI.

§. VI.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

59 ARg. 1. cum Jansenio contra 1. conclusionem ex P. Augustino *lib. de Grat. & Lib. Arb. cap.* 17. ubi ait de D. Petro, animam suam pro Christo ponere promittente: *Putabat se posse, quod se velle sentiebat.* Et, *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam: potenit autem, cùm magnam habuerit, & robustam.* Ergo juxta August. stat plures velle facere Dei mandatum, & non posse secundum præsentes, quas habent vires, ac per consequens aliquibus justis conantibus, & volentibus aliqua Dei præcepta sunt impossibilia.

60 Mirum est, hoc debile fundamentum deduxisse Jansenium usque ad simile paradoxum: explicando enim ly *non potest* de potentia positionis, & consequenti, totum corruit, & remanet potentia possibilitatis, quâ mandata ex gratia sufficienti fiunt possibilia; sed quoniam Jansenius putabat se non posse, quod reipsa non faciebat, gratiam sufficientem ab efficaci non distinguens, ideò mentem Augustini nullatenus fuit assecutus. Sed in prædicta auctoritate animadvertere potuit, & potentiam possibilitatis, provenientem à gratia Dei sufficienti, separatamque ab efficaci & potentiam positionis: prima enim significatur in *velle facere*, secunda in *non posse*: qui enim vel à limine salutavit Augustinum procomperto habebit, nullum velle bonum nisi ex gratia Dei, quia etiam *ipsum velle Deus operatur in nobis*, ut millies repetit S. D. tam in operibus de Gratia, quàm in *lib.* 83. QQ. *quæst.* 68. Ergo qui vult facere Dei mandatum jam habet gratiam sufficientem, ut eliciat opus præceptum, & efficacem respectu talis velle.

61 Imò signanter de D. Petro ait ibid. ipsi inesse bonam voluntatem, licèt parvam, & invalidam: sed bona, etsi parva, voluntas, est à Deo mediâ sua gratia præparanti: ergo juxta August. Petro gratia efficaci destituto inerat gratia, qua posset. Statim enim post illa verba *putabat se posse, quod se velle sentiebat* subjungit S. D. *Et quis istam etsi parvam dare cœperat charitatem, nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit?* Et postea: *Sine illo, vel operante, ut velimus; vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

Er-

Ergo cum illo operante, ut velimus, aliquid bonum valemus: ergo qui vult facere Dei mandatum, jam habet potentiam ad bonum.

62 Si igitur patiatur aliquam difficultatem in operis elicientia post illum velle parvum, non ideò ipsi est impossibile præceptum; quia medio illo auxilio quo vult, potest orare Deum, ut ipsi conferat majorem voluntatem, seu charitatem; *quia* enim *præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, ut tantùm velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus*; ut ait S. Doct. ibi, unde si careat gratia, qua in actu secundo opus præceptum eliciat, sua culpa caret; non quia ipsi sit impossibilis adimplerio præcepti: habuit enim gratiam, qua proximè potest petere posse proximius, & immediatius, juxta illud Tridentini: *Juvendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Si autem suam infirmitatem humiliter recognoscens Deum oret, *Domine, da quod jubes, adjuva nos Deus salutaris noster*, tunc hæc *fides orando impetrat, quod lex imperat*: nec tentationi succumbet, sed victoriam reportabit, quia *Deus sua gratia justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur*, ut ait Trid. sess. 6. cap. 11. Nec facienti, quod est in se, denegat gratiam.

63 Licèt ergo D. Petrus non fuerit Christum secutus & confessus, non probat quòd non habuerit gratiam sufficientem, sed tantùm quòd non habuerit efficacem in pœnam præsumptionis; ille enim *per solum liberum arbitrium, non addito etiam Dei adjutorio, promisserat, se pro Domino moriturum. Sed quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum.* & *ideo B. Petrum paululùm Dominus subdeseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere nihil se sine gratia Dei prævalere*, ut ait P. August. serm. 124. de temp. Si ergo intentio Dei paululùm Petrum subdeserentis in pœnam suæ præsumptionis erat, ut suam imbecillitatem agnosceret, & humiliaretur; satis erat ad hoc, ut gratiam efficacem subtraheret, quamvis semper conferat sufficientem: etsi enim possit aliquis benè agere, si tamen sua culpa non benè agat, ex hoc ipso poterit humiliari.

64 Contra 2. partem 2. conclusionis arg. 1. ex illo Joann. 12. de Populo Judaico asserentis: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias:* Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum. Supra quæ August. *tract.* 53. *in Joann. Etiam hoc*, inquit, *eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excæcat, sic obdurat Deus,*

Deus, deserendo, & non adjuvando. Ergo obduratus non potest credere, quia à Deo sua culpa non adjuvatur. Ergo privatur omni auxilio sufficienti, quia alias Deus illum per auxilium sufficiens adjuvaret, & sic non esset desertus. Item ad Hebr. 12. dicitur de Esau: *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquàm cum lacrymis inquisisset eam.* Et de Anthiocho 2. *Machab.* 9. dicitur: *Orabat scelestus Deum, à quo non erat misericordiam consecuturus.* Ergo istis subtracta fuerunt ex toto auxilia ad pœnitendum necessaria.

65. Confirm. Pharao non poterat pœnitere nisi divinis mandatis obtemperando: sed non habebat auxilium etiam sufficiens ad obtemperandum: ergo nec ad pœnitendum. Ergo non omnibus etiam peccatoribus obduratis conferuntur auxilia sufficientia. Prob. min. ex Aug. *tom.* 4. *in Exposit.* quarumdam proposit. ex *Epist. ad Rom.* *Non ergo hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperavit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, cui eòm obdurare tur præbi infidelitate.* Sed si auxilium ad hoc sufficiens habuisset, hoc ei fuisset imputatum: ergo.

66. Confirm. 2. *Deus non deserit, si non deseratur, ut piè semper justèque vivatur*, ut ait Augustin. *de Nat. & Grat. cap.* 26, ex quo desumpsit Trident. eamdem sententiam definiens *sess.* 6. *cap.* 11. *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur.* In quibus non est sermo de gratia habituali, & efficaci, sed de sufficienti, quia ibi statuitur justificatos obligari ad observantiam præceptorum; sed obligatio consurgit ex auxilio sufficienti: ergo illa desertio est ab omni auxilio. Et in quodam *Serm. de Verb. Domini* ait S. D. de peccatore obdurato: *Cum vult non potest, quia quando potuit noluit: ideò per malum velle perdidit bonum posse.* Idem habet *lib.* 3. *Hypognosticon, cap.* 1. & 3. *de Lib. Arb. cap.* 18. Idem, & D. Prosper *lib.* 2. *Responsionum*, qui est ad Capitula objectionum Vincent. (alias ad articulos sibi falsò impositos) in fine *tom.* 7. *Augustini, object.* 15. *Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat: quia qui se à Deo divertit, ipse & velle quod bonum est, & posse sibi subtulit.*

67. Resp. ad 1. quod nomine obstinationis non intelligitur privatio omnis auxilij supernaturalis, sed juxta Augustin. *lib.* 1. *ad Simplicianum, quæst.* 2. *post med. Obduratio Dei est nolle misereri, ut non ab illo ir-*

irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non erogetur. Nolle autem misereri, ut tantùm quo melior sit homo non erogetur, verificatur per negationem auxilij efficacis, quo homo operatur id quo fit melior: vel verificatur per non largitionem gratiæ justificantis, uti post pauca exponit Auguſt. dicens: *Tantummodo quibusdam peccantibus misericordiam JUSTIFICATIONIS SUÆ non largiatur; ET OB HOC DICATUR OBDURARE peccantes quosdam; quia non eorum miseretur, non quia impellit, ut peccent: eorum autem non miseretur, quibus misericordiam non esse præbendam æquitate occultissima, & ab humanis sensibus remotissima judicat.* Imo in illo *tract. super Joann.* ait: *Dictum est non poterant, ubi intelligendum est, quod nolebant*, id est credere: hæc nolitio utique erat peccatum infidelitatis privativæ, de quo intelligitur illud Christi Domini: *Si locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*, ut exponit Auguſt. *tract.* 89. & *epist.* 105. *ad Sixtum, aliàs* 104. *cap.* 6. Sed nolle credere nolitione, quæ sit peccatum, supponit potentiam ad credendum: ergo non fuerunt destituti Judæi omni auxilio sufficienti ad credendum.

68 Habebant ergo auxilium, quo possent deponere obstinationem, & medio illo habebant posse ad credendum, licet non possent credere manente obdurationc: aliud enim est peccatores non habere posse intrinsecum ad credendum, vel pœnitendum durante obstinatione; & aliud non habere tale posse ad deponendam obstinationem. Primum est verum; secundum falsum, & utrumque constat ex Auguſt. subdit enim: *Illi non poterant credere, non quia mutari in melius homines non possunt* (en potestatem ad deponendam obstinationem) *sed quandiu talia sapiunt* (id est, *ut sue voluntatis viribus tantum existiment esse tribuendum, ut negent sibi esse necessarium divinum adjutorium*, ut ait S. D. ibid. illo inquam judicio erroneo manente) *non possunt credere.* En defectum potestatis proximæ ad credendum manente obstinatione, seu quamdiu talia sapiunt.

69 Id ipsum constat ex S. D. *lib.* 83. QQ. *quæst.* 66. *ante fin.* ubi explicans illud ad *Rom.* 8. *Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta: NEC ENIM POTEST* ait, sic esse hoc dictum *Tamquam si diceretur: Nix non calefacit, nec enim potest. Quamdiu enim nix est, non calefacit; sed resolvi potest, & fervere, ut calefaciat: sed cum hoc facit, jam nix non est.*

est. Sic ; & prudentia carnis dicitur , cùm anima pro magnis bonis temporalia bona concupiscit : quandiu enim appetitus talis inest animæ , legi Dei subjecta esse non potest , id est , non potest implere , quæ lex jubet , sed cum spiritualia bona desiderare cœperit , & temporalia contemnere , desinet esse carnis prudentia ; & spiritui non resistet. Et cum adduxisset sequentia verba Apostoli : Qui in carne sunt Deo placere NON POSSUNT , *id est* (exponit S. D.) *qui voluptatibus carnis acquiescunt* , ne de quocumque obdurato asseramus , quod dum est in hac vita non potest Deo placere , apponit sequentia verba Apostoli , dicens : *Ne quis de iis dictum putaret* (scil. Deo placere non possunt) *qui de hac vita nondum excesserunt , opportunissime subjunxit : Vos autem non estis in carne , sed in spiritu.* Ergo qui de hac vita nondum excesit , quamtumvis obduratus , potest Deo placere ; non manente obstinatione , sed deposita , quia resolvi potest. Sic etiam *lib. 2. de Serm. Dom. cap. 24.* exponit : *Non potest arbor mala fructus bonos facere. Quamdiù quisque malus est , non potest facere fructus bonos , sed potest fieri ; ut non sit malus.*

70 Sic etiam respondet D. Thom. in expositione ejusdem textus ex Joann. *lect. 7. Dicendum , quod homo excusatur , si non facit ea , quæ absolutè sunt sibi impossibilia : sed si non facit ea , quę sunt impossibilia ex suppositione , non excusatur : sicut si detur quod aliquis habeat malam voluntatem omnino furandi , & dicat impossibile sibi esse non peccare : quamdiu voluntatem illam obstinatam habebit , non excusatur : quia hujusmodi impossibilitas non est simpliciter , sed ex suppositione , potest enim voluntatem malam deponere.* Et *in 1. dist. 48. q. 1. art. 3. ad 2. Dum voluntas est obstinata simul divinæ voluntati conformis esse non potest : sed in statu viæ N. B. nullus est qui mentis obstinationem non possit deponere , & sic divinę voluntati conformari.* Ergo quamvis peccatores indurati careant principio proximo ad justificationem , scil. charitate , habent tamen auxilium remotum ad illam , penès hoc , quod sæpè à Deo excitantur , & illustrantur sanctis inspirationibus , quibus potest cordis durities emolliri , & obstinatio deponi , ut sic possint divinis præceptis obtemperare. Esau , & Antiochus non ideò non sunt exauditi , quia non haberent auxilium sufficiens , ut pœnitentiam agerent , sed quia veram pœnitentiam , cum possent , non egerunt. Sic ait D. Thom. *supr. cap. 12. ad He-*

Hebr. lect. 3. pœnitentiam Esau non fuisse acceptam, quia non fuit vera, nec propter amorem justitiæ, sed propter damnum temporale, quoniam perdiderat primogenita. Et 3. *part. quæst. 86. art. 1. ad 1. Esau non verè pœnituit: quod patet ex hoc, quod dixit, veniet dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum. Nec Anthiochus verè pœnituit: dolebat enim de culpa præterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.*

71. Ad confirm. resp. similiter, Pharaonem habuisse auxilium sufficiens ad deponendam obstinationem, unde ipse Augustinus, vel auctor libri de *Prædest. & Grat.* qui habetur in fine *tom. 7. cap. 14. Si piè de Deo sicut expedit sentiamus, etiam Pharaoni datam misericordiam reperiemus... numquid non potuit sicut flagellis cædens expulit populum, ita miraculis credens, Deum tantæ virtutis agnoscere?* Imò in prædicto loco *ex epist. ad Rom.* subdit: *Illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur, & ista obduratio præcedenti impietati, ut & bona per donum Dei operemur, & mala per supplicium, cum tamen homini non auferatur liberum voluntatis arbitrium, sive ad credendum Deo, ut consequatur nos misericordia, sive ad impietatem, ut consequatur nos supplicium.* Si ergo non auferatur liberum arbitrium, sive ad bonum, sive ad malum etiam obdurato, profectò non auferuntur omnia auxilia etiam remote sufficientia, quia non datur libertas ad credendum Deo sine omni prorsus auxilio.

72 Item Apost. *ad Rom. 9.* ostendit Deum Pharaoni largitum fuisse auxilium gratiæ excitantis, quo ipse abusus, & ex quo obduratus fuit: *Dicit enim Scriptura Pharaoni* (Exod. 9.) *Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam.* Si ergo obstinationem suam deponere voluisset, uti potuit, videndo tot, & tanta signa, ipsi collatum fuisset auxilium saltem sufficiens per quod proximè posset obtemperare. Sed quia noluit credere illis vocationibus, & permansit in obdurationè in cujus sensu composito non poterat immediatè credere, ideò dicitur, quod illi non imputatur formaliter, quod tunc non obtemperarit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, id est, manente cordis obdurationè non poterat proximè obtemperare: sed non tollit, quod ipsi non imputetur causaliter, quod non obtemperarit, quandoquidem illa obduratio est ipsi voluntaria ex præcedenti infidelitate.

Ut

73 Ut autem ipsi imputetur hoc modo non obtemperare, debent ipsi conferri auxilia sufficientia, quibus posset non incurrere, seu vitare cordis obdurationem. Ergo Pharao, & quicumque peccator obduratus licet careat auxilio proximè sufficienti ad obtemperandum, dum est in obstinatione, non tamen caret auxilio sufficienti ad deponèndam voluntatem illam obstinatam, ut expressè constat ex laud. auct. August. & Thom. Unde in forma dist. min. Non habebat auxilium sufficiens proximum ad obtemperandum, conc. Remotum, per quod posset non incurrere, & deponere obstinationem, subdist. pro singulis occasionibus, & momentis, transeat. Pro tempore quo urgeret divinum mandatum, nego.

74 Nec subsumpta ex auctorit. potest ita rotundè concedi ab adversariis, ut dicatur, Pharaoni nullatenus fuisse imputatam inobedientiam, dum urgebat præceptum, alias non peccasset in transgressione illius: imò prædictam auctorit. possumus reflectere contra ipsos, nam dicunt, obduratum peccare in actuali transgressione precepti etiam si sit destitutus omni potestate intrinseca ad illius adimpletionem, quia non obligatur ad impossibile absolutè, sed ex suppositione, & ex culpa ipsis voluntaria: sed juxta August. Pharaoni obdurato non imputatur, quod tunc, id est, durante obstinatione, non obtemperarit, siquidem non poterat: ergo contra ipsos potiùs quàm contra nos; quandoquidem nos cum ipso S. D. respondemus, quod Pharaoni non imputatur formaliter, & immediatè ex eo quod simul cum obdu-ratione est impossibilis obtemperatio, sicut ait D. Thom. quod *dum voluntas est obstinata simul divinę voluntati conformis esse non potest*: non excusatur autem absolutè, quia dignum se præbuit cui cor obduraretur, & etiam suppositâ obstinatione potest illam deponere, & sic poterit obtemperare; unde si nolit à malo resipiscere, & illustrationibus divinis consentire, imputabiliter non obtemperat, quia *nullus est in statu viæ, qui mentis obstinationem non possit deponere*, ut ait D. Thom.

75 Ad 2. confirm. resp. Deum non deserere auferendo gratiam justificantem, nisi priùs deseratur, non verò intelliguntur prædictæ auctoritates de desertione per ablationem omnis auxilij sufficientis, quia tam August. quàm Concil. expressè loquuntur de hominibus justificatis, quos constat non esse destitutos omni auxilio sufficienti ad salutem: imò si Con-

cil. loqueretur de desertione omnis auxilij, justus post unum peccatum statim esset obstinatus, & desertus ab omni lumine veritatis, quod non est dicendum, quia licèt obduratio, & excæcatio, quæ est in hac vita, dicat privationem alicujus luminis, non tamen omnis; aliàs excæcatus penitus esset secluſus ab interiori Dei luce, quod est contra August. In illis ergo auctoritatibus, ait Medina, & Salmanticenses, explanatio est de gratia habituali, & justificanti, quam Deus non aufert ab homine nisi propter culpam mortalem. Licet non semper causa hujus subtractionis sit peccatum, ut patet in permissione primi peccati Adami; cujus permissionis causa fuit Dei voluntas, ad cujus providentiam spectat non solum causare bona, sed permittere mala. Potest etiam dici Deum desertores suos gratiâ proximè sufficienti deserere, non verò remotè sufficienti. Et quia stat obligatio per hoc secundum auxilium; ideò potest concedi minor, vel distingui in sensu dicto.

76 Dices: Supra obstinationem explicavimus nos de subtractione auxilij efficacis, & gratiæ justificantis: sed utrumque deficit justo peccanti: ergo hic post primum peccatum erit obstinatus. Resp. *causam confirmationis in malo partim accipiendam esse ex Deo, partim ex libero arbitrio; ex Deo quidem non sicut faciente, vel conservante malitiam, sed sicut non largiente gratiam*, ut ait D. Thom. 24. *de Verit. art.* 10. *in corp.* Et hanc gratiam explicamus nos cum Augustino de efficaci, & de misericordia justificationis. Sed subtractio hujus gratiæ non sufficit, ut creatura dicatur obstinata, vel confirmata in malo, quia hæc confirmatio est etiam partim, & inadæquatè accipienda ex parte liberi arbitrij, quod si nullo modo possit cooperari, ut à peccato resurgat, quia immobiliter falso adhæret, dicetur perfectè obstinatum in malo, quia totaliter est firmatum in peccato. Si autem viator nullam firmam, & aliqualiter stabilem voluntatem habeat in peccato, non dicetur obstinatus, quia obstinatio, ut ait D. Th. ibi *art.* 11. importat quamdam firmitatem in peccato: hanc autem non habet, qui unum tantum peccatum commisit, sed requiritur, quod ex iterata consuetudine, & pravo affectu ad malum contra plures Dei vocationis indurescat mentis aversio. Angelus post primam electionem fuit in peccato obstinatus, sed non est eadem ratio pro hominibus viatoribus.

77 Ad ult. auctorit. dicimus S. D. loqui de posse proximo,

& expedito, seu de illo posse, quod fuit in paradiso habendi plenam cum immortalitate justitiam, ubi erat homo in magna non peccandi facilitate, quia in illo beatitudinis loco nulla rixa carnis adversus spiritum concupiscentis turbatus sua secum pace fruebatur. Ita constat ex S. D. 3. *de Libero Arb. cap.* 18. ubi explicat posse amissum per peccatum de posse proximo, dicens tàm ibi, quàm *cap.* 67. *de Nat. & Grat.* ubi contra Pelag. suamet verba reproducit: *Nec mirandum est quod... videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere. Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat unusquisque quo benè uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet. Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire, quid rectum sit: & qui rectè facere cum posset noluit, amittat posse cum velit.* Jam autem ex ipso August. prænotavimus non posse conjungi carentiam omnis auxilij cum velle rectè facere, quia illud velle est effectus gratiæ: unde qui vult, & non potest implere, habet auxilium remotum ad impletionem, & proximum, ut petat majorem gratiam, & vincat difficultatem, quam persentit, ut diximus contra Jansenium: unde dum August. ait per malum velle perdidit bonum posse, vel qui rectè facere, cum posset, noluit, amittat posse, cum velit, loquitur de posse expedito, & proximo, non de amissione omnis posse, ut perperàm ex prædictis testimoniis deducere tentant hæretici negantes liberum arbitrium: inest enim nobis verum posse, vel per naturam ad opus ordinis naturalis, vel per gratiam ad opera salutaria, non tale quale erat in statu innocentiæ, sed admixtum ignorantia, & difficultate.

78 Arg. 2. Datur peccatum irremissibile tam in hoc sæculo, quàm in futuro, scil. blasphemia in Spiritum S. ut patet ex Matth. 12. sed si peccatori quamdiù vivit non denegaretur auxilium sufficiens ad pœnitendum nullum esset peccatum in hoc sæculo irremissibile: ergo. *Confirm.* Juxta August. *in lib.* 1. *de Serm. Domini in Monte, cap.* 22. *Tanta labes est illius peccati, scil. cum post agnitionem Dei per gratiam Christi oppugnat aliquis fraternitatem, & adversus ipsam gratiam invidiæ facibus agitatur, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum suum, mala conscientia agnoscere, & annuntiare cogatur.*

79 Respondet D. Thom. 3. *p. quæst.* 86. *art.* 1. *ad* 3. Quod illud verbum, vel blasphemia con-

contra Spiritum S. est finalis impœnitentia, ut Augustˢ. dicit in *Serm.* 11. *de Verb. Domini*, quæ penitus irremissibilis est; quia post finem hujus vitæ non est remissio peccatorum. Vel si intelligatur per blasphemiam Spiritus S. peccatum, quod fit ex certa malitia, dicitur non remitti, scil. de facili, quia tale peccatum non habet in se causam excusationis. Vel quia pro tali peccato punitur aliquis, & in hoc sæculo, & in futuro. *Ad conf.* respondet D. Thom. ibi ad 2. quod illud verbum Augustini sic intelligendum est, *ut deprecandi humilitatem subire non possit*, scil. de facili, secundum quod dicitur illud non posse sanari, quod non potest de facili sanari: potest tamen hoc fieri per divinæ gratiæ virtutem.

80 Arg. 3. Prudens medicus numquam deserit ægrotum, quamdiù videt eum sanari posse: sed Angeli Custodes quandoque deserunt peccatores juxta illud Jerem. 51. *Curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam*, non autem desererent, si viderent eos posse salvari: ergo. *Resp.* cum D.Th. *in* 2. *dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 4. *ad* 1. quod *hoc intelligitur esse vox Angelorum discedentium ab homine peccatore in hora mortis, quia tunc primo disperatur de ejus salute. Vel potest dici quod derelinquunt secundum quid*, in quantum exponuntur tribulationibus, vel etiam justo Dei judicio ab aliquo peccato non retrahunt: numquam tamen ita relinquunt, quin sit aliquis effectus custodiæ, in quantum aliquod malum prohibent, & ad aliquod bonum promovent, ut ait ibi *in corp.* Et hæc promotio fit per auxilia sufficientia saltim remota ad salutem, quibus si peccatores benè uterentur, ulteriora reciperent.

Unde Angeli Custodes non cooperantur omnibus ad salutem efficaciter, benè verò sufficienter proximè, vel remotè, ut colligitur ex D. Th. hìc *quæst.* 113. *art.* 5. *ad* 1. Et ideò dum D. Thom. ait 3. *cont. Gentes*, *cap.* 162. quod peccatores obdurati privantur non solum infusione gratiæ, sed etiam exteriori custodia, intelligendus est non ita, quod Angelus Custos totaliter dimittat hominem, quia hoc est expressè contra ipsum ibi *art.* 6. Sed ita, quod deserat hominem secundum quid, in quantum permittit hominem cadere in peccatum, unde privatur custodia ad aliquid tantum, non ad omnia.

*** *** *** ***
*** *** ***
*** ***
***

§. VII.

§. VII.

SOLVUNTUR ARGUMENTA contra 3. concluſionem.

81 ARg. 1. contra 3. concluſ. ex eo quod illud Joann. 1. *Illuminat omnem hominem* exponitur à pluribus PP. de lumine naturali: vel ſi ab Auguſt. intelligitur de lumine gratiæ, in hoc ſenſu exponitur ab ipſo in *Enchir. cap.* 103. de generibus ſingulorum, non de ſingulis generum; ait enim: *Non quia nullus eſt hominum, qui non illuminetur, ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminatur.* Ergo non omnes prorſus per gratiam illuminantur. 2. Juxta Aug. *epiſt.* 217. *alias* 107. *ad Vitalem, cap.* 5. *Scimus gratiam Dei majoribus ad ſingulos actus dari. Scimus non omnibus hominibus dari, & quibus datur, non ſolum ſecundum merita operum non dari, ſed nec ſecundum merita voluntatis eorum quibus datur, quod maxime apparet in parvulis.* Et *Serm.* 11. *de Verb. Apoſt. cap.* 4. expreſsè ait: *Communis eſt omnibus natura, non gratia.*

82 Reſp. prædictum locum poſſe habere plures ſenſus, & ideò poſſe intelligi tam de lumine naturalis rationis, quàm de gratiæ: iſtud enim non deſtruit naturæ lumen, ſed perficit. Et ſimiliter cùm P. Auguſt. talem textum exponat de ſingulis generum, ut conſtat ex probat. concluſ. & de generibus ſingulorum, ut dicitur in argum. ne ſibi contradicat, utramque expoſitionem debemus admittere, ſed in diverſo ſenſu. Nam ſi ſermo ſit de illuminatione efficaci, intelligitur tantummodò de generibus ſingulorum: ſi verò loquamur de lumine gratiæ ſufficientis, intelligitur de ſingulis generum. Sic etiam illud Apoſt. *Vult omnes homines ſalvos fieri*, expoſuit Auguſtinus, non ſolum de voluntate efficaci ſalutis in ſeipſa, loquendo de generibus ſingulorum; ſed etiam de ſingulis generum, loquendo de voluntate ſalutis prout virtualiter in mediis, ut contra Janſenium diximus *tom.* 1.

83 Ad 2. auct. dic, S. Doctorem non loqui de gratia tam proximè, quàm remotè ſufficienti, dum ait, illam non omnibus hominibus dari, quia duodecim ſententiæ ibi ſtatutæ, quarum 3. & 4. ſunt relatæ, dicuntur ab ipſo S. Parente *ad fidem rectam, & catholicam pertinere*, ibi *cap.* 5. *in fine.* Sed non pertinet ad fidem catholicam, aliquibus hominibus deeſſe gratiam tàm proximè, quàm remotè ſufficientem, ſed oppoſitum amplius conducit ad op-

oppugnandos hæreticos ; imò illud à pluribus gravibus censuris afficitur : ergo Augustt. tantùm loquitur de gratia efficaci. Ratio, quia Vitalis contra quem ibi agit, asserebat initium fidei esse ex nobis, cetera bona fieri per gratiam Dei, ut constat ex fine Epistolæ ubi Augustt. ait: *Tu autem si ea, quæ de te audio, vera sunt, initium fidei, ubi est etiam initium bonæ, hoc est piæ voluntatis, non vis donum esse Dei, sed ex nobis nos habere contendis, ut credere incipiamus; cetera autem religiosæ vitæ bona Deum per gratiam suam jam ex fide petentibus, quærentibus, pulsantibus donare consentis.*

84 Ut hoc autem oppugnet Augustt. non est necesse, ut statuat, gratiam sufficientem aliquibus denegari; sed potiùs, omnium voluntates Deum per illam prævenire. Necessarium verò est, ut statuat necessitatem gratiæ efficacis ad singulos actus bonos, non solum illos, qui fidem consequuntur, sed etiam ad initium fidei, ubi est initium bonæ voluntatis. Opus est etiam, ut statuat, hanc gratiam non donari nobis ex præcedentibus meritis, vel quia volumus: sed ex adversò, per ipsam Deum etiam hoc efficere, ut velimus: hæc enim erat, quæ inter Augustt. & Vitalem agebatur quæstio, ut expressè testatur S. D. per hæc verba: *Recognoscis, me in iis, quæ nos scire dixi, non omnia, quæ ad Fidem Catholicam pertinent, commemorare voluisse, sed ea tantum, quæ ad istam, quæ inter nos agitur de Dei gratia quæstionem : utrum præcedat hæc gratia, aut subsequatur hominis voluntatem, hoc est, ut planius id eloquar : utrum ideò nobis detur, quia volumus, an per ipsam Deus etiam hoc efficiat, ut velimus* ? Constat autem, gratiam efficientem, ut velimus credere, & alia bona operari, esse efficacem, seu quæ dat actum. De hac ergo statuit non omnibus dari, sed aliquibus ex gratuita Dei bonitate, quia nulli debetur ex justitia, vel meritis præcedentibus, aliàs non esset gratia : unde quibus negatur nulla fit injuria.

85 Ad 3. auct. dicimus, ibi non esse sermonem de gratia sufficienti; si enim verbis, quibus ipse ibi Pelagium premit, ipsum Augustt. alloquamur dicentes : *Expone nobis, ò Doctor, quam dicas gratiam* ? Respondebit, ipsum loqui de illa gratia, qua facti sumus non olim homines, *hæc enim christianis, paganisque communis est*, ut ait ibi *cap. 6.* sed qua facti sumus fideles, *populus ejus, & oves pascuæ ejus* ; hanc autem gratiam, constat, non omnibus esse communem. Unde cum di-

dixisset ad illa verba *Psalm.* 94. Ipse fecit nos, & non ipsi nos, *Qui de Paganis nascuntur ab ipso facti sunt, & non sunt populus ejus, nec oves pascuæ ejus,* tunc subdidit : *Communis est omnibus natura, non gratia.* Et *cap.* 5. explicans, quid fecit nos, ait : *Quid nos fecit, nisi quod sumus? Quid autem sumus? Nos autem (ecce quid sumus) populus ejus, & oves pascuæ ejus. Ipse nos fecit populum suum, ipse nos fecit oves pascuę suę...HÆC EST GRATIA.* En quàm apertè nobis exponit de qua gratia loquatur, cum ait, non omnibus esse communem. Et cum in sequentibus de hoc disputet contra Pelagianos, dicentes liberum arbitrium esse gratiam, concludit cap. 8. *Videte quomodo illam generalem gratiam prædicent, qua creatus est homo, qua homines sumus: & utique, & cum impiis homines sumus, sed non cum impiis christiani sumus. HANC ergo GRATIAM, qua christiani sumus, ipsam volumus prædicent, ipsam volumus agnoscant.* Sed hæc non est de qua loquimur in præsenti.

86 Arg. 2. cum Gonet, & aliis, à paritate parvulorum, quibus non omnibus conferuntur auxilia sufficientia ad salutem; ex quo potest desumi ratio efficax ad probandum etiam plures adultos carere auxiliis ad salutem sufficientibus. Ut enim discurrit Augustinus *lib.* 4. *contra Jul. cap.* 8. *Deus non est benevolentior scelestissimis, & impiissimis hominibus propria voluntate repugnantibus, quàm innocentissimis parvulis, qui propria voluntate non repugnant saluti, etsi originali culpa sint coinquinati.* Ita refertur à Gonet, & aliis prædictum testimonium, quod re vera non sic se habet in Augustino : imò mirum est non attendisse hunc, & alios AA. ad implicationem, quæ in ipsis verbis apparet, quod scil. *innocentissimi* dicantur ab Augustino infantes, si *originali culpa* sunt *coinquinati*, ut vel ex hoc saltim in suspitionem venientes opera Augustini consulerent, & non adeò frequenter illius testimonia in aliorum fide referrent.

87 Contrarium ergo supponit August. ibid. ex Juliani sententia, scil. parvulos non esse coinquinatos originali labe, & hoc supposito efficaciter redarguit Julianum dicens : *Isto modo benevolentiorem facis Deum omnibus impiissimis, & scelératissimis hominibus, quàm innocentissimis, & purissimis ab omni labe peccati : quandoquidem illos* (ideſt adultos peccatores) *quia vult eos omnes salvos fieri, vult etiam intrare in regnum suum...sed qui nolunt, ipsi sibi obsunt. Immensum verò numerum parvulorum, qui sine baptismate moriuntur, suo*

regno adjici non vult, quos nec ulla peccata, sicut putatis, impediunt; & quod nullus ambigit, ejus resistere voluntati contraria voluntate non possunt. Sic fit, ut esse christianos omnes velit, quorum multi nolunt: non omnes velit, quorum est nemo, qui nolit: quod abhorret à vero. Hoc supposito

88 Dicimus, quod licèt parvulis originali labe coinquinatis non conferat Deus auxilia sufficientia, quæ in ipsis intrinsecè recipiantur; non ex hoc sequitur adultos omnes impiissimos, & sceleratissimos destitui auxilio saltim remotè sufficienti ad salutem. Disparitas est, quam assignant Salmanticenses; quia parvuli non possunt elicere actus supernaturales antequàm ad usum rationis perveniant; & ideò non est necesse, ut auxilia recipiant, quæ unicè ordinantur ad operandum, qualia sunt de quibus procedit quæstio. Sufficit ergo, Deum pro ipsis instituisse, & obtulisse baptismum. Sed cum Sacramentum istud ministerio aliorum, & sub formâ, ac materia debita applicandum sit, quæ omnia nequeunt semper servata causarum naturalium providentia applicari; propterea plures parvuli baptismo ad salutem necessario destituuntur, ut diximus §. 2.

89 Ceterum adulti quamtumvis peccatores possunt, quamdiu sunt in hac vita, se ad justificationem disponere per actus à se elicitos virtute auxiliorum; possuntque de peccatis pœnitere; quin hæc potentia ex collatione gratiæ sufficientis communi rerum providentiæ opponatur, ut patet: nec voluntati consequenti damnandi aliquos, uti opponeretur collatio baptismi cum voluntate consequenti damnandi aliquos parvulos in pœnam originalis peccati: imo deservit illa auxiliorum sufficientium collatio, & oblatio baptismi pro parvulis etiam originali infectis, ut sincerissimè fateamur dari in Deo de salute omnium parvulorum, & adultorum voluntatem; nam hæc teste D. Prospero: *Non aliunde monstratur, quàm ex his beneficiis.* Obiter nota, ferè eodem modo philosophandum esse de adultis perpetua amentia laborantibus, ac de parvulis, cum non sint capaces operationis, nec habeant libertatem. Si autem amentia sit tantum temporalis, illa cessante, aliqua auxilia supernaturalia recipient; vel si usum rationis aliquando habuerunt, jam aliquod receperunt in illo primo instanti: unde verificatur omnes, & singulos adultos recipere aliquod auxilium saltim remotum ad salutem licet non pro singulis vitæ instantibus.

Nunc

90 Nunc ad assumptum dicimus, quod si Deus absque injustitia aliqua quosdam scelestissimos justificat ex abundantia pietatis suæ, numquid benevolentiorem ipsum respectu illorum, quàm infantium dicere formidabimus? *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa originis vitiatę, atque damnatæ facere aliud vas in honorem secundum misericordiam, & aliud in contumeliam secundum judicium?* Subdit August. ibidem, & D. Th. *Quia Deus præter ordinem rebus inditum operari potest, sicut cùm cæcum illuminat, vel mortuum resuscitat, interdum ex abundantia bonitatis suæ etiam eos, qui impedimentum gratiæ præstant, auxilio suo prævenit. 3. cont. Gent. cap. 161.*

91 Sed ex hoc nihil contra P. Augustinum, quia dum ipse redarguit Julianum, quod Deus non est benevolentior sceleratissimis hominibus, quàm parvulis, loquitur de parvulis ex suppositione, quod originali labe sint innoxi; si enim supponatur ipsos esse innocentes, nequit dici Deum esse benevolentiorem perditissimis hominibus, quàm innocentissimis parvulis. Supposito autem peccato in utrisque, justissimè unum liberat, ut appareat misericordia; alium in massa perditionis relinquit, ut ostendat judicium: quandoque adultum sceleratissimum sanat, quia *misericordia superexaltat judicium, & præstabilis est super malitia.*

92 Ex his solvitur aliud argumentum, quod conficit Gonet ex natura peccati mortalis; nam cum essentialiter avertat ab ultimo fine supernaturali, etiam à mediis; ubi enim non est jus ad finem, multo minus erit ad media, qualia sunt auxilia: ergo per peccatum incurrit homo debitum carendi omnibus mediis, & auxiliis ad salutem. Hæc conseq. non est ad rem, sed est vera apud omnes; nam peccatum non solum meretur ex se privationem omnis doni supernaturalis, sed etiam subjecti anihilationem, ut docet D. Thom. *in* 4. *dist.* 46. Quod in dubium vertitur est, an de facto in vi originalis, vel actualis, & personalis peccati priventur homines omni auxilio gratiæ: quod non intulit Gonet ex illo antecedenti, quia aliàs non solum peccatores obstinati, sed quilibet justus uno solo peccato mortali commisso maneret destitutus omni auxilio sufficienti ad pœnitendum; cùm unum tantùm mortale avertat ab ultimo fine. Non igitur attentis peccatorum demeritis, sed atento redemptionis beneficio dicimus omnibus conferri auxilium proximè, vel re-

motè sufficiens ad salutem.

93 Arg. 3. ex D. Thom. *quæst.* 24. *de Verit. art.* 15. *in corp.* ubi ait: *Si nec ipsa præparatio gratiæ sine aliqua gratia habituali esse potest, aut ista gratia datur omnibus, aut non? Si omnibus datur, non videtur aliud esse, quàm aliquod naturale donum: nam in nullo inveniuntur omnes homines convenire, nisi in aliquo naturali.* Ergo non omnibus conferuntur auxilia sufficientia supernaturalia, aliàs convenirent in aliquo non tantum naturali. *Resp.* S. Doctorem expresè loqui de gratia quadam *habituali*, quam aliqui dicebant esse necessariam, ut homo se præpararet ad gratiam, quod meritò rejicit S. D. quia nihil est omnibus indifferenter, & permanenter communicatum nisi sit naturale. Sed per hoc non excluditur omnibus conferri, saltim dum præceptum urget, aliquam gratiam transeuntem, & sufficientem supernaturalem, quia nec in ista conveniunt omnes homines, cùm non omnibus detur semper, & pro quolibet instanti, nec est in omnibus uniformiter, cum in aliquibus sit proximè sufficiens, in aliis tantùm remotè: & hæc non in omnibus intrinsecè recipitur, ut diximus loquendo de parvulis. Nec adeò pura est convenientia omnium hominum in aliquo naturali, ut non conveniant in esse per Christum redemptos: in esse ad finem supernaturalem elevatos, adhùc supposito omnes convenire in contractione peccati originalis: in posse salvari per Sacramenta, & auxilia omnibus indifferenter oblata, quæ rationes naturales non sunt. Omnes etiam conveniunt in præfectura Angelorum Custodum.

94 Arg. 4. Juxta D. Thom: *diabolus tenetur converti ad Deum; quamvis hoc ei sit impossibile secundùm præsentem statum; quia in hunc statum ex voluntaria causa devenit. quæst.* 16. *de Malo, art.* 5. *ad* 11. Ergo cum homo ex voluntaria causa, scil. ex peccato primi parentis in statum naturæ lapsæ devenerit, in quo in pœnam originalis privatur auxilio *sine quo*, ut ait August. *in de Corrept. & Grat.* tenebitur inexcusabiliter ad omnia præcepta servanda, etiamsi hoc ei sit impossibile secundum præsentem statum. Si dicatur diabolum teneri ad conversionem imputabiliter stante carentia omnis auxilij, quia ex culpa personali in talem statum devenit; sequitur, peccatores obduratos justè obligari ad impletionem præceptorum supernaturalium, etiam si careant omni auxilio supernaturali, quia talis impossibilitas est ipsis

sis voluntaria in culpa personali.

95 Resp. solutione data in argum. quia ad peccatum personale requiritur voluntas personæ, & ideò quidquid nobis imputatur ad culpam personalem, majorem debet supponere voluntarietatem, quàm in alio præcisè, qualis est voluntarietas peccati originalis: qua ratione debet intelligi illud August. 6. *de Perfect. Justit. Peccatum est cum vel non est charitas, quæ esse debet, vel minor est, quàm debet; sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit; & tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur.* Ly *non potest* debet intelligi de impotentia proxima, quæ provenit à præterita voluntate, vel qua peccavimus in Adam, vel qua peccavimus personaliter; ex utraque enim voluntate mala juste privamur auxilio proximo sufficienti quoties proximè non possumus. Sed si privamur tali potestate in pœnam solius originalis, uti infideles negativè privantur auxilio proximo ad fidem, omissio actus fidei non erit peccatum imputabile: si proveniat ex mala voluntate præterita personali, erit imputabile omissio rei præceptæ. Et quod August. loquatur de carentia potestatis proximæ, dum ait, *si vitari non possit*, patet, quia statim subdit, *& tamen vitari potest*: de potestate enim in una tantum acceptione nequit dici posse, & non posse, benè verò in diversa; non posse, de potestate proxima; posse, de potentia remota, *quando humilis adjuvatur.*

96 Ad id, quod dicitur de peccatoribus obduratis, resp. admittendo justè illos Deum punire posse ob transgressionem præcepti supernaturalis, ad cujus adimpletionem negaret omnia auxilia sufficientia in pœnam præcedentium peccatorum personalium, si in prioribus illis demeritis fuit prævisio aliqua de tali eventu, vel impotentia, ad instar illius, qui breviarium projicit, prævidens se non posse officium aliter recitare, cui juste imputatur omissio recitationis, etiamsi illi sit impossibilis sine breviario, quia voluntarie se privavit simili potestate. Negamus tamen peccatores ita de facto destitui, ut nullum de facto accipiant à Jesu Christo influxum interioris gratiæ: aliàs ita inermes manerent viatores excæcati, ac sunt dœmones, & damnati, quod est nimis durum concedere, ut constat ex probat. conclus. parum favet divinæ pietati, &

cle-

clementiæ Salvatoris. Vide *numer.* 43.

§. VIII.

SOLVITUR PRÆCIPUUM *argumentum contra ult. conclus.*

97 ARg. ult. Si omnes adulti reciperent auxilium sufficiens ad salutem, seu ad credendum, nulla daretur ignorantia invincibilis circa fidem: nam si non credunt, provenit ex culpa personali, quod, scil. non faciunt, quod est in se; benè utentes communioribus auxiliis; si enim quod in se est facerent, certissimè à Deo illuminarentur, ut docet D. Thom. Cum autem non accipere auxilium sufficiens ad credendum proveniat ex culpis personalibus hominum, ipsis omnibus imputabitur, si non credant, & sic non erunt infideles negativè, seu infidelitas, quæ non sit peccatum, quod est damnatum à Greg. XIII. in Bulla *Ex omnibus afflictionibus*, contra Bajum, cujus propositio 64. erat *Infidelitas purè negativa in iis, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

98 Est etiam contra August. *in Epist.* 105. *aliàs* 194. *cap. 6. in medio*, dicentem: *Ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt sine dubitatione peccatum est; in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati est.* Et 7. *de Corrept. & Grat.* excusat infideles negativè tales à peccato infidelitatis, ad differentiam illorum, qui in bono non perseverarunt, quod audierant, & tenuerant, *quoniam potest dici, homo in eo quod audieras, & tenueras, in eo perseverares si velles; nullo modo autem dici potest, id quod non audieras, crederes si velles.* Et D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 1. *Si accipiatur* infidelitas *secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est.*

99 Confirm. Habenti potentiam remotam ad actum, licèt careat auxilio proximè sufficienti, imputatur ad culpam omissio, quia si vult potest talem potentiam acquirere: ergo si omnibus conferuntur auxilia remota ad salutem, non credentibus imputabitur infidelitas. Et sic nulla erit purè negativa.

100 Difficultatem hujus argumenti patiuntur plures etiam ex illis, qui negant dari omnibus auxilia sufficientia ad salutem, & nihilominus docent, omni homini pervenienti ad usum rationis dari auxilia saltim

tim remota ad salutem, ut docet Joann. à S. Thom. *num.* 57. laud. De his enim auxiliis in hoc instanti collatis urget eadem difficultas, quia si non benè illis utuntur, ex sua culpa est, quod à Deo non illuminentur.

101 Respondet Medina, *pagin.* 1030. *ad confirm.* quod Deus dat universis hominibus sufficiens auxilium immediatè, ut rectè instituant vitam; quod si facerent sine dubio illuminarentur: sed non dat immediatè auxilium, & medium ad credendum, & ideò multi excusantur à sua incredulitate, sed non excusantur à vitæ perversitate. Peccant igitur infideles, si non rectè vivant, & quia non rectè vivunt, non illuminantur: sed non ideo peccant contra fidem, vel ipsis imputatur inexcusabiliter non credere, quia cum auxilio, quo possint ad fidem disponi remotè, potest stare, quod nullam habeant notitiam revelationis divinæ, & si hanc non habent, non imputatur ipsis non credere. Ita Salmanticenses, quod ampliùs innotescit solvendo confirmationem, ad quam dicimus, quod maj. tenet, si cum potentia remota ad actum præceptum adsit aliqua advertentia præcepti obligantis, secùs autem si desit talis advertentia, quia ex defectu cognitionis est involuntaria omissio actus præcepti.

102 Ratio præcipua est, quia actio, vel omissio est peccatum dupliciter, vel in se, vel in causa: ut sit peccatum formaliter in se, debet fieri cum advertentia, & deliberatione, ut dum quis sciens, & volens perpetrat homicidium. Ut sit peccatum in causa sufficit, quod licet fiat sine ulla advertentia, proveniat tamen tamquam effectus à causa voluntaria, in qua fuit prævisa; ut dum aliquis committit homicidium in ebrietate, nam si voluntariè se inebriavit prævidens, quod postea homicidium committeret, est peccatum radicaliter, & in causa: si autem se inebriando nullo modo prævidit, homicidium illud subsecuturum, nullo modo est peccatum, nec in se, nec in causa. Et tamen ex culpa hominis, scil. ebrietate, provenit ipsum carere libertate, qua posset homicidium vitare. Sic P. August. *lib.* 22. *contra Faustum*, *cap.* 44. docet incestum Loth non esse culpandum quantum meretur incestus, *sed quantum illa merebatur ebrietas*, quia scil. filiæ se patri nescienti miscuerunt, unde non fuit prævisus incestus. Hæc trita sunt apud omnes.

103 Hinc dicimus, infideles esse culpabiles in infidelitate, quam culpa sua incurrunt, si habeant aliquam advertentiam ad divinam revelationem,

vel

vel si videant, aut prævideant se in pœnam peccatorum suorum se indisponere, vel privari fide perfecta, seu auxilio proximè sufficienti ad fidem, scil. notitia clara, & distincta mysteriorum supernaturalium. Id autem, nec vident, nec prævident, sed invincibiliter ignorant; quoties ipsis explicitè non proponatur fides; sive negatio hujus auxilij proximè sufficientis proveniat ex demeritis personalibus tantum, sivè ex originali: ad modum quo ebrio non imputatur malum in ebrietâte commissum, quod nullatenus prævidit, etiamsi ipsi sit imputabilis ebrietas.

104 Propterea asserit P. August. infideles, qui nihil audierunt de fide, licèt non excusentur à justa damnatione, quia remedio peccati originalis caruerunt; non damnari tamen propter infidelitatem, quia ut hæc esset in ipsis peccatum, opus erat, ut audientes non crederent; in hoc enim sensu exponit verba Christi Dom. *Si locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*, non quia omni prorsus peccato carerent, sed quia si Christus Judæis non fuisset locutus, carerent peccato, quod, non credentes dictis ipsius, incurrerunt, scil. infidelitatis. Sic etiam ait D. Thom. infideles negativè damnari propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt, sed non propter infidelitatem. Ratio, quia *infidelitas* (ait S. D. ibi *art.3. ad 2.*) *habet ignorantiam adjunctam, & habet renitentiam ad ea, quæ sunt fidei, & ex hac parte habet rationem peccati gravissimi: ex parte autem ignorantiæ habet aliquam rationem excusationis.* Sed nequit stare renitentia ad res cùm non proponuntur explicitè: ergo si infidelitas tantum habet rationem peccati ex parte renitentiæ, nulli imputabitur non credere, si non habeat auxilium proximum, seu notitiam explicitam ad credendum: hanc non habent, qui tantum gaudent auxilio remotè sufficienti ad salutem: ergo potest stare hoc auxilium in infideli, quin ex hoc ipsi sit imputabile non credere.

105 Quod ulteriùs patet, quoniam auxilia remotè sufficientia habent objectum longè diversum ab objecto fidei, seu ab objecto auxilij proximè sufficientis, & ideò prioribus suum objectum manifestantibus, relinquitur objectum fidei invincibiliter ignoratum. Sed non est facile exponere quid sit, & in quo consistat hoc auxilium remotum: unde in re difficili, & parum à Thomistis exagitata, ultra dicta *num.*10. satis erit explicare, quid per auxilium, quod pervenientibus ad usum ra-

rationis confertur, intelligatur; hoc enim aliquoties tribuitur in decursu vitæ, ut ajunt Salmanticenses, & per ipsum constituuntur homines in potentia saltim remotè sufficienti ad salutem.

106 Aliqui dicunt, prædictum auxilium, ut pertinens ad intellectum esse quoddam lumen incompletum, & modale illum corroborans, non ut prorrumpat in cognitionem entitativè supernaturalem, vel circa objectum formaliter supernaturale; sed ut cognitionem naturalem circa bonum honestum eliciat majori certitudine, & firmitate. Cum isto ergo, & affectione aliqua erga honestatem ex parte voluntatis stare potest infidelitas purè negativa; siquidem tale auxilium non deservit proximè ad cognitionem objecti fidei supernaturalis, sed ad eliciendam cognitionem naturalem, supernaturali tamen modo vestitam: unde & relinquit objectum fidei invincibiliter ignoratum, & per illud potest homo remotè tendere ad suam justificationem. Ita Salmanticenses *quæst.* III. *disp.* 6. *de Grat. dub.* 3. §. 5. *num.* 88. Sed per hunc dicendi modum non explicatur quisnam sit ille modus supernaturalis, quo vestita est cognitio entitativè naturalis, & quomodo actus ille non entitativè supernaturalis sit dispositio ad justificationem.

107 Mag. Bancel. *quæst.* 4. *de Volunt.* §. 12. ait, actum illum conversionis, quem puer potest elicere in primo instanti rationis per auxilium sufficiens, esse supernaturalem entitativè, & naturalem objectivè, quia bonum honestum est objectum de se naturale; & quia conversio illa explicita ad bonum honestum est simul ac semel conversio implicita in Deum, ut auctorem naturæ, & pro illa infundit Spiritus S. cuilibet homini in illo instanti lumen, & auxilium supernaturale; ideò est supernaturalis entitativè. Quia naturalis objectivè, potest compati cum infidelitate negativa; quia verò lumen est supernaturale entitativè, quo bonum honestum supernaturaliter cognoscere, & attingere valeat creatura, ideò disponit ad justificationem. Sed nec hic A. explicat quomodo in illa conversione bonum honestum supernaturaliter cognoscatur, si ex parte objecti nullus modus datur, qui naturali lumine, & affectu non sit cognoscibile, & attingibile: & in principiis Thomistarum salvari nequit, actum esse entitativè, & quoad speciem supernaturalem, si nullum objectum supernaturale attingat, cum specificatio actus ab objecto desumatur.

108 Gonet *tom. 3. disp. 9. de Peccatis, art. 7. §. 4.* docet, auxilium sufficiens collatum puero in illo instanti non esse supernaturale, bene verò auxilium efficax. Ex quo non sequitur, hominem ex solis naturæ viribus se disponere ad justificationem: in hoc enim statu elevationis ad finem supernaturalem nequit contingere; puerum se ordinare ad Deum, ut auctorem naturæ, quin etiam se convertat in Deum, ut finem supernaturalem; unde admittentur de facto auxilia supernaturalia, quibus mediantibus puer se disponit ad gratiam sanctificantem.

109 Sed nec ista positio placet: nam si puer in hoc elevationis statu se convertit in Deum, ut auctorem supernaturalem, debet in illo supponi potentia ad talem conversionem; & hæc potentia debet provenire ab illis auxiliis supernaturalibus disponentibus, juxta ipsum, ad gratiam. Ergo per talia auxilia saltim implicitè tendit puer in Deum, ut auctorem supernaturalem. Ergo nulla datur infidelitas purè negativa. Prob. hanc cons. ad hominem. Ex hoc, quod puero in illo instanti conferatur secundùm aliquos lumen, quo explicitè Deum, ut auctorem naturalem respiciat, implicitè tamen tendat in ipsum, ut auctorem supernaturalem, manifestè sequitur juxtà Gonet ibi, *num.* 209. nullum dari infidelem negativè, subindeque illos AA. incidere in illud inconveniens, quod maximè vitare cupiunt: ergo ipse incidit in illud, quod maximè vitare debet.

110 Ante. prob. probationem ipsius, quia pro eodem reputat habere cognitionem implicitam Dei, ut auctoris supernaturalis, ac habere cognitionem implicitam de rebus fidei: sed sola cognitio implicita de rebus fidei tollit infidelitatem negativam, ut constat in Cornelio Centurione, qui ante instructionem Petri solum habebat fidem implicitam; & tamen non erat infidelis negativè, cùm esset acceptus Deo, cui sine fide impossibile est placere? ergo si omnis puer ad usum rationis perveniens habeat auxilia, quibus possit se convertere ad Deum, ut auctorem supernaturalem, nullus erit infidelis negativè, quia si se convertit, erit acceptus Deo gratiam justificantem, & fidem saltim implicitam recipiens. Unde si post illud instans ductum rationis non sequatur in appetitu boni, & fugâ mali, & ratione horum peccatorum personalium ipsi negetur illuminatio, vel propositio mysteriorum supernaturalium in particulari,

erit

erit infidelis privativè, quod non cohæret cum dictis ex Augustin. & Thom. *num.* 104. Si dicas, illa auxilia supernaturalia non dare posse, sed actum, seu non se tenere ex parte actus primi, sed dare potentiam consequentem, & per consequens non in omnibus reperiri, sed in illis tantum, qui de facto prædictam conversionem eliciunt; contra est, nam ex hoc sequitur dari actum secundum absque potestate antecedenti ad illum, scilu dari conversionem supernaturalem, quin in creatura detur aliquod posse ad illam: potestas enim naturæ, seu quæ non proveniat ab auxilio sufficienti supernaturali, non est potestas sufficiens ad actum supernaturalem; alias ex viribus naturę posset creatura se ad gratiam disponere sufficienter, & sic sufficientia nostra ex nobis esset, quod non est dicendum.

112 Verosimilior nobis videtur modus dicendi Magistri à S. Thom. quem laudant Salmanticenses in præsenti, quod scil. per auxilium puero collatum in illo primo instanti non proponitur immediatè, & in particulari fides supernaturalis, sed tantum proponitur implicitè aliquid de objecto fidei supernaturali, saltem illa duo communissima, quæ oportet cognoscere, & credere accedentem ad Deum, *Deus est, & remunerator est*; non quia in illo imperfectissimo statu distinctè cognoscatur Deus, ejusque remuneratio, sed quia cui tota lex proponitur in illis saltem communioribus præceptis, *Declina à malo, & fac bonum, Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, non potest illam acceptare, nisiu proponatur ipsi, aliquid magnum esse totam illam legem servare, & propter aliquid magnum esse faciendum, quod ipse plenè non potest attingere: & hoc est supernaturale, quod tunc ipsi implicitè proponitur. Ad hoc autem indiget, stimulari ejus voluntatem aliquo superiori, & grandi motivo, sine quo non acceptabit legem; & sic indiget supernaturali auxilio, ut totam legem acceptet, volens implere, quia vires naturæ non sufficiunt.

113 Et tales certissimè illuminabuntur, & accipient notitiam mysteriorum in particulari, seu auxilium proximè sufficiens ad salutem, si perseverent in appetitu boni, & fuga mali, uti dicitur de Cornelio *Actor.* 10. qui erat *religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper*, vel ut Petrus dixit *ibid. v.* 34. *Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur*

justitiam, acceptus est illi. Si autem nec velit puer legem acceptare, & ad Deum converti, vel si acceptans, peccatis personalibus irretiatur, ex culpa sua se indignum reddit propositione rerum sub motivo explicito fidei. At non incurrit infidelitatem privativam, quia ad hanc requiritur resistentia, seu non acceptatio fidei divinæ sufficienter propositæ in particulari, & explicitè, vel sub motivo Dei dicentis, ita ut testimonium Dei non acceptetur: quod non contingit in præsenti, quia illud, quod proponitur in tali primo instanti non proponitur, ut testificatum à Deo, & sub motivo fidei determinatè, & explicitè, sed valde implicitè, & sub ratione alicujus magni præmij, vel magni boni.

114 Ut hæc penitus pateant repones argumentum Goneti. Sola cognitio implicita rerum fidei sufficit ad tollendam infidelitatem negativam, ut diximus de Cornelio *num.* 110. ergo si quilibet homo ad usum rationis perveniens habet eadem, vel cognitionem implicitam Dei, ut auctoris supernaturalis, nullus erit infidelis negativè. *Resp.* quod cognitio, & fides implicita prout à nobis explicata est, non sufficit ad tollendam infidelitatem negativam: nec illa est talis, qualis fides, quæ fuit in Cornelio; iste enim habuit fidem incarnationis media Dei revelatione, ut docet Mag. Sent. *in 3. dist. 25. Sane*, inquit, *dici potest eum*, id est Cornelium, *sicut fidem veritatis, ita & incarnationis habuisse Dei revelatione, sed incarnatum jam esse Dei filium ignorasse. Et ideò missus est ad eum Petrus, ut jam natum Dei filium annuntiaret, & sacramentum regenerationis ei conferret. Habebat igitur fidem incarnationis* (sine illa enim, seu fide implicita in Christum, non poterat habere justitiam, ut dicitur *Actor.* 10. *v.* 22.) *sed an facta, an futura esset, non noverat. Habebat fidem implicitam*, ait D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 4. *ad* 3. *nondum manifestata Evangelij veritate*: & hæc fides implicita sufficiebat tempore legis scriptæ, & requirebatur ad justificationem, unde ait idem S. Doct. *quæst.* 28. *de Verit. art.* 4. *ad* 7. *Requiritur fides Jesu Christi, vel explicitè, vel implicitè secundum diversa tempora, & diversas personas. Et hoc est, quod dicitur Rom.* 3. Justitia Dei per fidem Jesu Christi.

115 Ast quia jam incipiebat obligare lex Evangelica, in qua requiritur ad salutem fides explicita aliquorum mysteriorum gratiæ; ideò ut Cornelium in fide plenius instrueret, mittitur ad eum Petrus, subdit

D. Thom. ibid. Non autem opus esset, ut ad hoc Petrus ad illum mitteretur, si per solam fidem implicitam, per quam meruit, ut orationes ejus acceptæ fuissent coram Deo, & sine qua non poterat placere Deo, salutem valeret obtinere. Et hoc est, quod ait August. 7. *de Prædest. SS. Si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apost. Petrus.* Ille autem, qui non sine aliqua fide donabat, & orabat, cujus acceptæ sunt eleemosynæ, & exauditæ orationes antequam explicitè credidisset in Christum; utique salvus esse posset sine fide explicita mysteriorum Christi (& non necessario mitteretur ad eum Petrus, ut de his plenius illum instruendo salvaretur) nisi jam urgeret obligatio explicitè credendi hæc mysteria.

116 Obiter nota nulli unquam salutem esse factam nisi per fidem mediatoris, ut sæpè docet August. *Epist.* 51. *ad Optatum*, *de Corrept. & Grat. cap.* 7. Sicut enim nos credimus Christum in carne venisse, ita PP. antiqui credebant venturum: sicut nos mortuum, ita illi moriturum. Et hoc tàm simplices, quàm eruditi; cum hac differentia, quod revelatio, & notitia erat distincta, & clarior in majoribus, ut in Abraham, Moysi, & aliis: in simplicibus verò erat velata, quia non habebant ita appertam, & explicitam notitiam credendorum; attamen ipsis revelatum erat, ea esse credenda, quæ credebant illi majores, & docebant: unde erant verè fideles, sicut, & in Ecclesia aliqui minus capaces sunt, qui Symboli articulos distinguere non valent, omnia tamen credunt, quæ in Symbolo continentur. Sed tàm isti, quàm Cornelius illa, quæ implicitè credunt sub illa explicita ratione communi, quam confitentur, credunt sub ratione fidei supernaturalis explicitè, vel sub motivo Dei testificantis: auxilium autem remotè sufficiens ad salutem pueris, & infidelibus collatum non proponit objectum sub tali ratione; & ideò cum illa fide implicita non compatitur infidelitas negativa, benè verò cum auxilio à nobis explicato.

117 Ult. arg. cum Gonet: Primus actus in ordine supernaturali est actus fidei: ergo primum auxilium sufficiens supernaturale est auxilium sufficiens ad credendum. Sed plures carent hoc auxilio: ergo nullum recipiunt etiam sufficiens remotum ad salutem. Cetera constant. Antec. prob. ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 8. definiente: *Per fidem ideò justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum,*

Q

& radix omnis justificationis. Sed primum justificationis initium est primus actus supernaturalis, cùm quilibet actus supernaturalis aliqualiter ad justitiam disponat: ergo primus actus supernaturalis est actus fidei. *Confirm.* ex August. 7. *de Prædest. SS.* ubi ait: *Ex fide ideò dicit Apost. justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima dátur, ex qua impetrentur cetera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus justè vivitur.* Ergo fides ita est prima, ut ipsam non præcedant alia opera, quibus possit cadere sub merito, vel impetratione. Sed si omnibus conferretur auxilium remotè sufficiens ad salutem, homo rectè utens illo priori auxilio fidem mereretur, vel impetraret: ergo.

118 Resp. actum fidei supernaturalis non ita debere dici primum actum in ordine supernaturali, ut nullus præcedat actus, vel auxilium, quo creatura excitetur, & vocetur ad fidem, aliàs *fides esset prima gratia, & fons omnium aliarum, & Nullæ darentur gratiæ nisi per fidem*, quæ sunt propositiones 26. & 27. damnatæ contra Quesnell, quasque hæretici comprobare niruntur ex præjactis Trident. verbis: loquens enim Joannes Frickius Luteranus in *Clementia Clementis examinata* de his duabus proposit. ait: *Quis hanc, & quæ antecedit propositiones damnandam expectasset? Cum ipsa Synodus Trident. eamdem proferat: Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis.* Igitur Concilium ibi statuit contra hæreticos, impium non justificari sola fide, ita ut nihil aliud requiratur ad justificationis gratiam consequendam, ut amplius constat ex *Can.* 9. 10. 11. & 12. Sed non excludit gratias præcedentes excitantes, & adjuvantes, quibus homo adjuvetur ad ipsam fidem amplectendam: quæque consistant in aliquo auxilio ad actum supernaturalem indeliberatum, separabilem, & præcedentem actum fidei strictæ: unde ait ibi *cap. 6. Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt.* Ergo possunt actum fidei strictæ talis non elicere, si liberè moventur, & etiam præcedit alius actus dum excitantur, & adjuvantur.

Hoc auxilium proximè sufficiens ad credendum, quo creatura intrinsecè adjuvatur, quodque supponit notitiam explicitam aliquorum mysteriorum, certum est non omnibus conferri: sed omnibus dantur aliqua,

qua, quibus saltem mediatè, & remotè vocentur ad salutem, ut diximus de actu, quo puer convertitur ad Deum in primo instanti rationis. Dantur etiam ante fidem aliquibus auxilia, quibus benè operentur, ut expressè ait Aug. loquens de Cornelio ubi supra: *Quidquid igitur, & ANTEQUAM in Christum crederet, & cum credidisset, benè operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne forte quis extollatur.*

Ad confirm. resp. quod si fidei nomine intelligatur non solum fides strictè, sed etiam largè, qua ratione complectitur quamlibet illuminationem supernaturalem disponentem saltim remotè ad fidem, sic non potest ullo modo cadere sub merito; quia sicut prima gratia non potest cadere sub merito, ita nec primus actus, vel primum auxilium ad fidem; & in hoc sensu intelligitur August. id est de fide, ut *prima* gratia; hæc nullatenus est ex operibus, aliàs non esset gratia; sed ex Deo, ut constat ex verbis Aug. immediatè laud. de Cornelio, qui primum actum fidei ex qua orabat, & donabat eleëmosynas; dum istæ acceptæ fuerunt coram Deo, antequam explicitè in Christum crederet, sine meritis à Deo accepit: sed fidem explicitam dicere possumus accepisse, vel impetrasse ex præcedentibus bonis operibus, quæ elicuerat in vi præcedentium auxiliorum, quæ gratis ipsi collata fuerunt.

Unde subdit Aug. ibi: *Setlet dici, ideò credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet. Quod de Cornelio dici potest, cujus acceptæ sunt eleëmosynæ, & exauditæ orationes antequam credidisset in Christum* (id est, explicitè) *nec tamen sine aliqua fide* (in Deum Creatorem, & implicita in Christum Redemptorem) *donabat, & orabat. Nam quomodo invocabat in quem non crediderat?* Nec exauditus fuisset, nec Deo acceptus sine aliqua fide. Hanc fidem Deus illi gratuitò concessit, sed fidem explicitam, & ad salutem ex tunc necessariam, quam illi exposuit Petrus, bona aliqua opera ex Dei gratia elicita præcesserunt. Et in objecta auctoritate expressè docet Aug. quod ex fide opera alia salutaria impetrantur; unde non est inconveniens, unum actum cadere sub merito alterius ex gratia Dei eliciti, sed id omnes fatentur: & ideò sæpè asserit Aug. *Fides meretur augeri, & aucta meretur perfici.*

*** *** ***
*** ***
***

ARTI-

ARTICULUS IV.

UTRUM DEUS PRÆDE-terminet ad materiale peccati?

§. I.

QUIBUSDAM SUPPOSITIS, referuntur sententiæ.

1 EX dictis *art.*1. præcipuè *n.*14. constat, omnia etiam mala subesse divinæ Providentiæ : sed cùm malum dicat entitatem physicam actionis, & deformitatem moralem ; quærimus in præsenti quomodo malum cadat sub Providentia ? Et primò supponimus contra Calvinum, & alios hæreticos, Deum tantùm permissivè se habere erga malitiam, & deformitatem peccati, nullatenus verò esse auctorem illius. Ita definitum est in Tridentin. *Sess.6. Can.6. Si quis dixerit, mala opera ita ut bona Deum operari, non permittendo solum, sed etiam propriè, & per se, adeò ut sit proprium ejus non minus perditio Judæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit.* Hac ergo veritate Catholica suppositâ, loquimur de malo pro materiali, ut dicente physicam entitatem.

2 Peccatum pro materiali potest dupliciter accipi : *formaliter*, & reduplicativè, & *materialiter*, seu specificativè : primo modo consideratur, ut connotat, & fundat malitiam, & deformitatem : secundo modo, ut entitas, & actio, secluſa illa connotatione, & ordine ad malitiam. In primo sensu non causatur à Deo, aliàs Deus causaret malitiam peccati ; nam qui causat subſtractum alicujus concreti, ut subſtans formæ, & ut ad eam ordinatur, causat & determinat concretum : sed peccatum dicit actionem liberam ut subſtractum, & malitiam ut formam : ergo.

Rursus, materiale peccati in prima acceptione est fundamentaliter, & initiativè peccatum ; ad modum quo fundamentum relationis formaliter, & reduplicativè, ut tale reducitur ad lineam relativorum tamquam initiativum ipsorum ; licèt absolutè, & materialiter pertineat ad aliud prædicamentum, vel subſtantiæ, vel qualitatis, vel actionis ; sed Deus nequit producere malitiam fundamentalem, ut talem, seu fundamentum malitiæ prout fundamentum est, quin producat formale malitiæ, propter rationem datam : ergo nequit causare materiale peccati formaliter sumptum ; quia sic pertinet initiative ad lineam mali moralis, velut initiativum ipsius, & tantum materialiter potest

test pertinere ad lineam entis, & boni transcendentaliter.

3 Propterea præscindunt Thomistæ in materiali peccati rationem reduplicantem malitiam à ratione, quę illi materialiter substat : & asserunt, Deum sua causalitate Provisoris generalis tantum attingere in actu ad quem sic movet, entitatem, actualitatem, vitalitatem, aliasque rationes ad lineam entis pertinentes, quasque dicit peccatum pro materiali : unde talis motio est præcisiva, non attingens deformitatem, & malitiam, quæ per accidens, & ex defectibilitate creaturæ adjungitur actui libero. Ad differentiam alterius motionis specialis pertinentis ad ordinem moralem, quæ Deo competit, ut particulari Provisori, ratione cujus Deus movet ad bonum honestum, præcepto, inspiratione, consilio ; hæc enim non est precisiva, sed terminatur ad actum, ut vestitum omnibus circunstantiis : unde si talis motio terminetur ad actum malum, saltim secundariò, & indirectè ad ipsam deformitatem se extendet. Deus autem non movet per præceptum, aut suasionem ad actum peccati, ut docent omnes Catholici contra Calvinum, *Deus* enim *intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*, ut dicitur Jacobi 1. Quod dictum est de motione Dei erga actum peccati, intelligendum est etiam de prędiffinitione divina : nam Deus decreto suo tantum prædiffinit materiale peccati materialiter, non verò malitiam, quam unicè permittit.

4 Circa hoc duplex dubium excitari potest : an Deus ad entitatem physicam peccati concurrat concursu immediato, & simultaneo, quin concurrat ad malitiam, vel eodem modo in illam influat : & an influat in entitatem physicam actionis peccati, concursu prævio, & prædeterminante, quin moveat, vel sit auctor malitiæ. Negavit Durandus influxum immediatum, contra quod militat communis Theologorum opinio, RR. PP. Societatis ægrè ferentes præcisionem assignatam in motione Dei, & prædeterminationem ad materiale peccati, asserunt, tum quod si Deus prædeterminat ad materiale, erit auctor peccati : tum quod Deus non solum physicè, & immediatè influit in actum peccati, sed etiam in omne id, quod est positivum in peccato commissionis, cujus malitiam pro formali asserunt consistere in positivo : actus enim, vel cum malitia identificatur, vel ab ipsa est inseparabilis, & ideò influxus Dei juxta ipsos utrumque producit.

5 Sed licèt Deus influat in ma-

malitiam peccati, non ideò est auctor, & causa per se illius, quia non concurrit volens, & juxta propriam inclinationem, sed potius contra illam, & non ex sua determinatione, sed ex determinatione creaturæ, & quasi invitus, & coactus: unde solum concurrit permissivè, & per accidens. Quæ sententia post Herreram, & alios RR. est communis defensoribus scientiæ mediæ contra Suarez, Vazquez, & alios primevos Societatis Scriptores.

6 Tertia Sent. distinguens entitatem physicam à deformitate peccati, docet contra Durandum, Deum immediatè influere in actum peccati, ut causam per se entitatis: nullo autem modo influere in formalem malitiam, imò nec in entitatem peccati, ut fundantem malitiam. Ita contra PP. Societatis tota Schola Augustiniano-Thomistica, & Scotica cum suis Principibus. In ordine verò ad concursum prædeterminantem ad materiale peccati, ut illum rejiceret se Jesuitis adjunxit Gibbon *disp.* 11. *de Peccatis*, *dub.* 2. testante Gavardi, totam nostram Scholam propugnare concursum physicum prævium ad talem entitatem. Illum negat Mastrius *tom.* 1. *disp.*4. *quæst.* 3. N. SS. Manso consequenter ad sua principia docet, Deum prædeterminare ad materiale peccati post prævisam causam liberè datam à creatura, quam dicit esse dissensum negativum præstitum vocationi Dei, & consensum suggestioni contrariæ. Ita in Opere *de Gratia efficaci*. Negat etiam ex Thom. Bancel *tom.* 1. *in fine*, *quæst.*3. *art.*3. & alij apud ipsum.

§. II.

STATUITUR CONCURSUS immediatus in actum peccati.

7 DIcimus 1. *Omnem actum quantumcumque deformem, in quantum actum esse à Deo tamquam causa per se.* Opposita sententia adeò tempore Magistri Sent. vigebat, ut ipse non fuerit ausus se ad aliquam ex duabus determinare. Sed quia posteriores existentes super humeros priorum longiùs vident, quàm priores; nam si nanus esset super humeros gigantis, longius videret, quàm gigas; non est sub ambiguo ponendum (ait N. Ægidius *in* 2. *dist.* 37. *quæst.*1. *art.*3.) veram esse nostram sententiam, falsam, & erroneam oppositam. A D. Thom. in supradicta dist. dicitur propinquissima errori duplici.

8 Si enim, ait N. Ægidius, aliquod ens, vel aliqua res, ut ens, vel ut res, non reducere-

tur

tur in Deum tamquam in causam, oporteret dare duo principia, unum bonorum, & alterum malorum. Rediret ergo error Manichæorum. Tenendum est ergo actum peccati in quantum actum esse à Deo illum operante, juxta illud Isai. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Entitas autem peccati est opus nostrum, ad differentiam malitiæ, quæ non petit causam efficientem, sed deficientem. In quo sensu ait August. *lib.* 83. QQ. *quæst.*21. *Mali auctor non est, qui omnium quæ sunt auctor est; quia in quantum sunt, in tantum bona sunt.* Entitas autem physica peccati est, & in quantum est, in tantum bona est, August. testante: *Omnia in quantum sunt, in tantum bona sunt.* Omnium autem, quæ sunt auctor Deus est Augustin. teste: ergo actionis peccati, in quantum actio est, auctor Deus est. Unde *lib. de Nat. Boni, cap.* 4. expressè ait, entitatem peccati, in quantum entitas est, bonam esse, *Etiam ipsa natura corrupta, in quantum natura est, bona est, in quantum corrupta est, mala est.*

9 Has formalitates distinguens D. Thom. *in* 2. *dist.* 37. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 5. ait: *Sicut actio, quę peccati deformitatem habet, dicitur bona, in quantum est actio, bonitate naturæ: non propter hoc, quod aliquando inveniatur separata à deformitate, sed quia bonitas illa naturę deformitati substat; ita etiam Deus dicitur esse causa illius actionis in quantum est actio, & non in quantum est deformis: hoc modo, quod actionem non faciat à deformitate separatam, sed quia in actione deformitati conjuncta, hoc quod est actionis facit, & quod deformitatis non facit. Etsi enim in aliquo effectu plura inseparabiliter conjuncta sunt, non oportet, ut quidquid est causa ejus quantum ad unum, sit causa ejus quantum ad alterum: sicut natura est causa oculi quantum ad substantiam ejus, & non quantum ad defectum cæcitatis, quæ ex naturę defectu incidit.* Hæc subtilia, & efficacia verba Angelici Doct. præ oculis habenda sunt in tota hac disputatione, sunt enim clavis aurea ad aperienda, & solvenda fundamenta, quibus obseratur sententia contraria.

10 Ex hoc fundamento infertur, Deum esse auctorem entitatis peccati, quia *si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cujus actor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principij haberet*, ut ait D. Thom. ibid. Hæc positio est contra RR. PP. Societatis juxta quos causa per se, vel auctor entitatis est etiam

causa per se malitię peccati : unde ait P. Marin *tract. 11. de Peccat. disp. 6. num. 39. Juxta ferè omnes nostros AA. modernos, Deus eodem modo est causa malitiæ, ac entitatis, & actus peccati.* Sed Deus non est auctor malitiæ, quia non concurrit ad illam volendo : ergo.

11 Prob. assumpt. ex August. *Operis Imperf. cont. Jul. lib. 2. cap. 41.* dicente : *Qui possunt in natura vitiata bonum ejus à malo ejus ita discernere, ut neque putent naturam malum esse, nec vitium naturam esse ; ipsi possunt discernere, quid horum duorum ad Deum creare pertineat, quid sanare. Sed hoc vos non potestis, quamdiu Pelagiani, non Catholici estis.* Et *cap. 88. Si malum vitiorum, quod nisi in aliquo bono esse non potest, à naturarum bonitate discernas, nec excusabis diabolum, nec accusabis Deum.* Ex dictis *num. 8.* constat, quàm dissertè unum ab alio discernat Augustinus, asserens ; entitatem subjacentem corruptioni bonam esse in quantum entitas est, malam in quantum corrupta est. Nunc asserit unum eorum pertinere ad creationem, seu operationem Dei, alterum pertinere ad malitiam, & culpam creaturæ. Primum creat Deus, quia bonum est, & ideò non possumus accusare Deum, dum illud efficit, voluntariè influendo. Secundum indiget gratia medicinante, quia malum est, & ideò in tali defectu non debemus diabolum excusare.

12 Si autem Deus physicam entitatem peccati non ageret volens, sed permittens, eodem modo quo juxta adversarios malitiam ; ut quid Parens Augustt. D. Thom. & communiter Theologi cum illis, adeò diligenter, & cautè unum ab alio discernendum curarent ; unumque, non aliud tribuerent Dei causalitati ? Certè moderni Societatis non indigent simili discretione, cum entitatem, & malitiam Deo pariformiter attribuere non formident. Rursus, ex verbis Augustini constat, in rebus creatis non dari purum malum, ait enim, *malum vitiorum nisi in aliquo bono esse non potest*, bono quidèm physicè, & in quantum est ; sed bonum in quantum bonum diligitur à Deo : ergo entitas physica peccati, quam juxta adversarios immediatè causat Deus, Deo volente fit ; quia estò sit conjuncta malitiæ, seu corruptioni, ut loquitur August. illam bonitatem physicam conservat, ait enim : *Etiam ipsa corrupta, in quantum natura est, bona est.* Sed *Deo auctore cum dicitur, illo volente dicitur*, ut ait Augustt. *in quæst. 3. ex 83.* Ergo cùm Deus velit en-

entitatem peccati in quantum materialis entitas est, quia prout sic bona est, Deus erit auctor similis entitatis.

§. III.

REJICITUR INFLUXUS physicus Dei in formalem malitiam.

13 DIcimus 2. *Deum nullo modo concurrere concursu physico, & immediato in formalem malitiam peccati.* Prob. 1. ex illo Sap. 11. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* Sed *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus*, ut dicitur Sap. 14. ergo Deus non facit, nec positivè influit in peccatum, adhuc per accidens, & contra propriam inclinationem: expressè enim dicitur in prædicto testimonio, quod omnia, quæ Deus facit, facit juxta propriam inclinationem, quia non facit odiendo, seu quæ facit, non odio habet: ergo quidquid Deus facit, facit per se, & ut auctor.

14 Prob. ex Parente August. *lib. 7. Confess. cap. 4.* de Deo asserente: *Nec cogeris invitus ad aliquid, quia voluntas tua non est major potentia tua: esset autem major, si te ipso tu ipse major esses; voluntas enim, & potentia Dei, Deus ipse est.* Ex quibus constat, non solum quod Deus non potest concurrere ad aliquid invitus, & coactus simpliciter, ita ut illud non possit impedire, sed quod nec potest concurrere ad malitiam formalem peccati quasi invitus, & coactus, id est, sine voluntate, & complacentia illius. Ratio formatur sic. Juxta adversarios formalis malitia peccati est terminus omnipotentiæ Dei, & non potest esse terminus voluntatis beneplaciti Dei; nisi etiam velint Deum facere auctorem peccati: ergo major est potentia Dei, quæ Deus est, quàm voluntas Dei, quæ Deus ipse est. Patet consequ. quia adversarij majorem faciunt spheram potentię divinæ, quam voluntatis Dei, dum asserunt aliquid positivum esse à Deo causatum vero, & reali influxu, quod non potest esse terminus voluntatis Dei: undè dicunt, quod Deus non vult omnipotentiæ suæ concursum in actu secundo erga malitiam peccati; sed potius rationabiliter displicet in tali concursu. Sed potentia, quæ ad plura se extendit, quàm voluntas, est major voluntate: ergo cùm tàm illa voluntas, quàm potentia, quæ influit in peccatum ipse Deus sint, major erit Deus seipso, qua parte ad plura se extendit potentia, quàm voluntas: minor seipso, qua parte minus pa-

patet voluntas, quàm potentia. Min. constat à paritate; nam si aliquid vellet Deus facere, quod causare non posset, absdubio major esset voluntas, quàm potentia: ergo si de facto aliquid immediatè producit, quod velle non potest, major est potentia, quàm voluntas. Dicendum est ergo, quod terminus, qui repugnat amari à Deo, repugnat etiam ab ipso causari.

15 2. Prob. ex eodem August. *in Enchirid.* dicente *cap.* 102.: *Deus omnipotens.... nec iniquè aliquid facit, nec nisi volens quidquam facit.* Ergo quidquid Deus ad extra positivè operatur, id efficit volendo. Sed quidquid Deus volens efficit, id operatur, ut auctor, quia *illo auctore cùm dicitur, illo volente dicitur*: ergo si Deus causat positivè peccatum, erit auctor illius. Unde Apost. *ad Ephes.* 1. testatur, nihil Deum operari, nisi volendo, *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.*

16 Consonat etiam Angel. Præcept. hìc *quæst.* 19. *art.* 4. asserens, voluntatem Dei esse causam rerum, & quod non agit ex necessitate naturæ, *sed effectus determinati ab infinita ipsius perfectione procedunt secundùm determinationem voluntatis, & intellectus ipsius.* Ex quibus sic. Implicat omnipotentiam applicari ad aliquid efficiendum, nisi medio decreto libero suę voluntatis: ergo implicat omnipotentiam hìc & nunc efficere malitiam, & Deum non velle antecedenter efficere illam: erit ergo auctor illius. Prob. ant. Deus non potest aliquid ad extra efficere necessario, sed liberè, ut fide certum est: ergo debet omnipotentia applicari per liberam volitionem, quidquid sit de constitutivo talis actus in ratione liberi, nam semper est actus voluntatis divinæ, cum voluntas imperet potentiæ quæ exequitur ad extra.

17 Respondet Izquierdo, omnipotentiam applicari ad efficiendum id, ad quod voluntas creata se determinaverit, per actum voluntatis divinæ, quo vult existere malitiam non absolutè, sed conditionatè. *Sed contra* 1. quia velle aliquid conditionatè, est velle illud absolutè posita conditione: sed Deus sub nulla conditione potest velle absolutè malitiam, cùm hæc sit turpis, data qualibet conditione: ergo. 2. Velle conditionatè malitiam juxta hunc A. est velle illam sub conditione determinationis voluntatis creatę ad peccandum: hoc autem non est dicendum, quia aliàs daretur volitio libera objecti ex terminis necessarij: quod enim existat malitia, si existat voluntata-

tatis determinatio ad peccandum, quæ realiter est ipsa peccati malitia, est ex terminis necessarium: ergo.

Tertiò. Vel Deus vult determinationem voluntatis creatæ absolutè, vel conditionatè? Si primum? Deus vult absolutè peccatum, cùm determinatio ad malum sit realiter peccatum. Si secundum? Sub qua conditione vult illam determinationem creaturæ? Si sub alia determinatione, in infinitum procedis. Si sub conditione divini concursus, confundis conditionatum sub conditione.

18 Respondent alij, illam voluntatem non esse objectivè conditionatam erga actum pravum, sed quadamtenus conditionatam, quatenus per talem volitionem applicatur potentia indifferenter ad actum bonum, vel malum, ut possit voluntas nostra se ad quodlibet extremum determinare absque aliquo libertatis detrimento: unde quasi conditionatè explicatur, quatenus est subjectivè indifferens cum nullo extremo libertatis connexa. *Sed contra*, quia hoc est Deum velle omnipotentiam efficere actum, qui voluntati creatæ placuerit, ita ut re determinemus nos omnipotentiam ad hanc præ illa operatione, & in ordine ad hanc quasi subjicere nobis omnipotentiam, ut ait P. Marin, qui per illam voculam *quasi* excipit sententiam suam ab illa propositione, quam damnavit Innoc. XI. in Congregatione Gen. per speciale decretum publicatum die 2. Decemb. 1679. *Deus subjicit nobis suam omnipotentiam.* Ergo cum Deus, non sine præscientia quod peccator hìc, & nunc se determinabit ad malum, præparet, & offerat suam omnipotentiam, erit auctor malitiæ, cum scienter, & liberè in illam, ut talem cognitam physicè influat.

19 Secundò. Nequit Deus applicare suam omnipotentiam, ut concurrat ad actum, nisi per voluntatem, qua velit efficere actum: Deus enim operatur, ut agens rationale: sed omnia, quæ sunt ratione facta, debent esse prævolita: ergo nequit Deus agere, quod velle non possit. *Explicatur.* Nequit Deus aliquid ad extra rationabiliter operari, nisi propter finem ab ipso prævolitum: ergo vel propter finem bonum, vel propter malum. Sed dum Deus causat physicè malitiam peccati, talis actio, & influxus omnipotentiæ nequit esse propter finem bonum; cùm peccatum, quod est aversio à Deo nequeat effici propter Deum unicum finem ultimum bonum: ergo debet esse propter finem malum, & sic peccabit Deus.

20 Resp. Marin, omnipoten-

tentiam respicere in actu secundo bonum commutabile tamquam finem ultimum ex determinatione creaturæ, & eodem modo tendere in finem inhonestum. *Sed ex hoc* sequitur Deum ex determinatione creaturæ, vel irrationabiliter agere, vel operari propter finem inhonestum: sed non potest tendere in finem inhonestum cognitum, ut tale, & rationabiliter, tendere, nisi ille finis sit prævolitus: ergo. *Dices* cum ipso A. quod omnia, quæ Deus facit, facit propter finem, non verò quæ facit ex aliena determinatione. Sed contra, quia aliquid Deus facit juxta ipsum ex aliena determinatione: ergo non omnia propter semetipsum operatus est Deus, quod est contra Scripturam. *Rursus.* Si determinatio creaturæ, attento jure libertatis ipsius, non tollit influxum immediatum omnipotentiæ, non debet excludere, quod omnipotentiæ influxus sit propter finem, attento jure competenti agenti libero, & rationali: nec enim ita debemus adstruere libertatem creaturæ rationalis, ut destruamus rationabilitatem operationum Dei. Sed jus agentis rationalis exigit, ut in omni operatione in qua se gerit, ut tale, operetur propter finem: ergo vel influxus Dei ex determinatione creaturæ est casuali & irrationabili modo, vel erit propter finem.

21 Aliter prob. concluſ. & impugnantur præcedentes solut. nam Deus nolens præstat suum concursum in actu secundo: ergo talis concursus in formalem malitiam est dignus odio, & abominatione Dei. Ergo Deum sic concurrere in actu secundo est dignum odio, & abominatione divina. Ergo etiam Deus, ut sic concurrens est dignus abominatione sua. Prob. hæc consl. nam concretum, cujus forma est abominabilis, est abominabile, ut patet in hoc concreto *impius*, de quo dicitur Sap. 14. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus*: non enim impiis pro materiali est odibilis, quia ut ait Auguſt. *Non odit Deus Esau hominem, sed Esau peccatorem*, peccatorem quidem propter impietatem, quam de formali dicit concretum. Sed nequit dici, hoc concretum *Deus ut concurrens cum creatura peccante* esse dignum odio, & abominatione: ergo nec id ex quo sequitur, scil. Deum physicè concurrere, & **no**lentem efficere.

22 Ex adverso potest formari hæc ratio. Concursus omnipotentiæ in malitiam peccati ex determinatione creaturæ est Deo decens, laudabilis, & non indignus Deo: si enim esset indecens, & indignus Deo non de-

deberet Deo attribui: sed quod est Deo decens, honestum, & laudabile, non potest esse contra rationem Dei: ergo si Deus physice influit in malitiam peccati, talis concursus in actu secundo non indecenter poterit à Deo amari.

Respondet Marin, non posse Deum amare id, quod est honestum ipsi, quia non volitum; & sic se habet influxus Dei in actu secundo in peccatum ex determinatione creaturæ: hic enim est decens Deo, quia Deus illum non vult, sed potius malitiam efficere est contra intentionem Dei. *Sed contrà*, quia aliquid esse honestum, intransitivè est esse decenter amabile; honestum namque non potest constitui tale per entitatem voluntatis divinæ. 2. Implicat, aliquid constitui honestum Deo, per hoc quod abominetur à Deo, quia quod abominabile est Deo sub ea ratione sub qua est abominabile, non est honestum, sed inhonestum Deo: sed influxus Dei in actu secundo in peccatum etiam ex determinatione creaturæ est Deo abominabile: ergo implicat, quod ipsi sit honestus. 3. Si tantum est honestus Deo ille influxus, quia non volitus, Deo rationabiliter displicebit sic influere, non solum prout denominat creaturam peccantem, sed etiam prout denominat omnipotentiam influentem; quia istæ formalitates sunt diversæ considerationes ejusdem influxus, non diversæ realitates, cùm actio peccati posita ab homine, & à Deo sit realiter una: ergo Deus odio habebit suam sanctam omnipotentiam, ut hic & nunc influentem in peccatum, quod videtur dici non posse sine piarum aurium offensione. Hæc autem sequela præcipuè tenet in principiis adversariorum non valentium inter identificata, vel connexa discernere; ita ut unum diligat Deus, aliud non: nam influxus in malitiam peccati, & actio prout ab homine est realiter eadem cum actione, & influxu Dei: ergo si abominabilis est Deo influxus prout à creatura, etiam abominatione digna erit omnipotentia prout influens in malitiam. Quomodo ergo Deo erit decens, & honestus hic influxus physicus in peccatum? 4. Ex quo ulterius prob. concluf. Nam sicut est sancta voluntas Dei, ita est sancta omnipotentia: sed quia est summè sancta voluntas, nequit velle inhonestum: ergo nec omnipotentia poterit attingere turpe. *Si respondeas* cum P. Herrera instando in intellectu divino, qui immediatè attingit malitiam, secus verò voluntas: quia hæc est formaliter sancta, intellectus verò non est formaliter

ſanctus, ſed verus; & ſimiliter omnipotentia non eſt formaliter ſancta, ſed potens. *Contra eſt*, quia eſto intellectus non ſit formaliter, ſed identicè ſanctus, implicat aliquid intelligere, & quod ſuum intelligere non ametur à Deo, licèt objectum intellectionis non terminet volitionem Dei: Deus enim non amat peccatum, ſed tamen vult, ſuum intellectum intelligere peccatum: ergo licèt omnipotentia non ſit formaliter ſancta, implicabit exercitium illius, quod non ametur à Deo; & tam repugnans erit, omnipotentiam concurrere in actu ſecundo influxu turpi, & à Deo non amato, ac intellectum intelligere intellectione in actu ſecundo Deo abominabili.

24 Sextò prob. concluſ. De fide eſt, Deum tantum permiſſivè concurrere ad peccatum; ſed permittere non dicit operationem, ſed negationem operationis ex parte permittentis, ut conſtat ex Par. Auguſt. qui operationem contradiſtinguit permiſſioni, dicens *in Enchir. cap. 95. Non fit aliquid, niſi omnipotens fieri velit; vel ſinendo, ut fiat, vel ipſe faciendo.* Et D. Thom. explicat permiſſionem per non impedire, non præcipere melius, non prohibere minus malum, ut videre eſt *in 4. diſt. 33. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 2.* Ergo ſi Deus poſſitive influit in malitiam, limites puri permiſſoris excedit; vel non conformiter ad locutiones Patrum dicitur purus permiſſor, ſi producit quidquid poſitivum eſt in peccato; & alias malitia eſt quid poſitivum.

25 Tandem prob. Unum contrarium nec ex propria inclinatione, nec ex alterius determinatione, & contra inclinationem propriam poteſt influere in eſſe alterius; ſemper namque influit in ejus deſtructionem. Sed malitia peccati eſt maximum malum, & contrariatur ſummo bono: ergo Deus ſummè bonus nequit influere adhuc ex aliena determinatione in talem deformitatem. *Conf.* Nulla virtus ſupernaturalis influit etiam ex determinatione liberi arbitrij in malitiam actus pravi, ſed id repugnat, quia virtus eſt *bona qualitas mentis, qua nullus malè utitur*, ut ait Auguſt. Ergo potiori jure repugnat ſanctitati per eſſentiam talis influxus. Sic fides non influit in actum erroneum, nec charitas in odium Dei. *Ult.* Cauſa non præcontinens effectum nequit poſitivè influere in illum: ſed ſummum bonum non præcontinet in ſe malum, quia hoc *neque in eo eſt, neque per eum, alioqui pro bono haberi non poſſet; cùm aut miſcellaneam contrariamque natu-*

ram

ram haberet, aut causa auctorque malorum existeret, ut ait D. Athanas. *in Orat. contra Idolat.*; ergo.

26 Respondet P. Marin, instando, quod ex hoc argumento sequitur, Deum non posse immediatè influere in actus indifferentes; quasi Angel. Præcept. discipulos urgeret hæc sequela. Et directè ait, sanctitatem virtutis supernaturalis tantam esse, ut non possit influere in actus pravos ex defectu extensionis in activitate, sed non titulo præcisè sanctitatis: quod nulla ratione probat; sed ratione rejicitur, quia fides supernaturalis v. gr. titulo suæ infallibilitatis nequit influere in errorem, potius quàm ex defectu extensionis in activitate: ideò enim ipsius activitas nequit se extendere in illum actum, quia ex prædicatis essentialibus pugnat cum errore, & error est extra lineam activitatis ipsius, quia veritati ipsius contrariatur: unde defectus extensionis virtutis in vitium reducendus est ad repugnantiam intrinsecam perfectionis virtutis cum vitio; & sic titulo perfectionis propriæ, & sanctitatis participatæ non influit virtus supernaturalis in pravum: ergo à posteriori juris repugnat, divinæ omnipotentiæ influere in malum titulo suæ bonitatis, & sanctitatis infinitæ, nisi absens magis contrariari imperfectioni perfectionem participatam, quàm summam, & increatam perfectionem. Titulus namque universalis, & agentis supremi Deo competens, permissionem, non malorum positivam efficientiam exposcit, cùm malum, Augustino teste, non efficientem causam habeat, sed deficientem. Erit ne, quæso, divina omnipotentia causa deficiens, ut titulo supremi provisoris ad mala etiam se extendat ejus activitas? Hìc applica dicta à *numero* 11.

§. IV.

STATUITUR NOSTRA conclusio.

27 Dicimus 3. *Deum physicè prævièconcurrere ad entitatem physicam peccati materialiter sumptam.* Prob. ex illo Actor. 4. *Convenerunt... Herodes, & Pilatus cum gentibus, & populis Israel facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri.* Ergo Deus ab æternò decreto, & consilio, seu placito voluntatis suæ decrevit actionem sacrilegam Judæorum Christum crucifigentium: & in tempore illam causavit physicè, namely *manus* sumitur in Sacris Litteris pro operatione. Sed nequit talem actionem efficere secundum quod dicit

de malitia, ut diximus: ergo precisè secundùm physicam entitatem, sed ad illam terminatur decretum divinæ voluntatis, Deus volens, & ut auctor concurrit ad illam: ergo erit causa per se illius.

128. Prædictum testimonium exponit Suarez de crucifixione Christi prout se tenente ex parte illius, in quo sensu talis actio erat bona, non de illa, ut à Judæis illata. Sed contra, quia ea ad quæ facienda convenerunt, fuerunt decreta per manus, & consilium Dei: sed convenerunt, ut Jesum morti traderent, prout illa traditio se tenebat ex parte Judæorum: ergo sic materialiter sumpta fuit à Deo decreta passio Christi, prout se tenebat ex parte Judæorum. Rursus. Parens August. versans hoc testimonium in *cap. 16. de Prædest. SS.* ait: *Tanta quippe ab inimicis Judæis manus Dei, & consilium prædestinavit fieri, quanta necessaria fuerunt Evangelio propter nos.* Sed non solum passio Christi, sed actio Judæorum, ut per illam exequebantur mortem Christi, fuit necessaria propter nos, ut conditio sine qua non in præsenti providentia: ergo non solum passionem Christi, sed actionem Judæorum materialiter, & in esse entis prædestinavit Deus, licèt illam non voluerit, ut formaliter, & re-

duplicativè malam, ut docet D. Thom. *in 1. ad Annib. dist. 48. art. 4.* Et *ibi dist. 47. art. 3. ad 2.* ait: *Deformitas peccati est præter operationem Dei, & præter ejus voluntatem, quamdiu substantia actus non sit prieter Dei operationem.* Vide etiam *num. 9.*

129. Ex Augustino probat D. Thom. conclusionem *super cap. 9. ad Rom.* Cum enim August. plura adduxisset ex Sacris Literis testimonia, ut probaret, Deum in cordibus hominum operari quidquid vult, concludit: *His & talibus testimoniis satis quantum existimo manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo aliquando apperto aliquando occulto, semper tamen justo.* Hæc autem intelligit D. Thom. ibi *lect. 3.* non de sola permissione. *Sed aliquid amplius videtur mihi in hoc esse intelligendum: quia videlicet instinctu quodam interiori moventur homines à Deo ad bonum, & ad malum. Unde August. dicit in lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 21. &c.* Ergo juxta utrumque S. D. Deus non tantum permittit, sed operatur physicam entitatem peccati: malum verò pro formali non efficit, nec ad il-

illud Molinæ dicere; sed tantum dicendum aliter, ut sic exponunt D. Thom. ibi in quantum scil. aliquid proponit, vel inclinat magis, vel exterius; quod dupliciter est defectuosum ad bonum; sed homo propter suam malitiam perverse movetur ad malum.

3o Prob. ex P. Augustin. *num.* 18. *haud.* Si enim Deus est auctor omnium quæ sunt, quia in quantum sunt, bona sunt, ipsi tamquam causæ per se tribuitur entitas physica peccati, quæ est: & Deus sine præjudicio suæ sanctitatis prædeterminare potest ad ea, quorum est auctor: ergo licet Deus prædeterminet materiale peccati, non erit auctor malitiæ: nam ut ait verbis *dict. num.* 18. si malitiam a bonitate physica entitatis discernamus, non accusabimus Deum, ac si esset causa peccati, vel ac si utrumque æqualiter ad Deum pertineret, materiale scil. & formale. Omnes autem Catholicos debere ita unum ab alio discernere testatur ibi S. D. Et *cap.* 44. indignans, indocilem Juliani pervicaciam, ait: *Multiloquio tibi excitas caliginem, quæ te non permittit malitiam divinorum a malitia bonitatum dijudicare.* Et rursus *cap.* 68. *Audiant & videant, inquit, quod non probaverunt ipsi. Non habes exercitatos sensus ad separandum bonum a malo.*

4o Prob. ex D. Thom. asse-

rentem *quæst. 79. art. 2.* ad *Malo, ant. 2.* „ *Necesse est, omnes motus se-* „ *cundarum causarum causari à* „ *primo moventi, sicut omnes* „ *motus inferiorum corporum* „ *causantur à motu cæli. Deus* „ *autem est primum movens* „ *respectu omnium motuum, &* „ *spiritualium, & corporalium,* „ *sicut corpus cæleste est princi-* „ *pium omnium motuum infe-* „ *riorum corporum. Unde cùm* „ *actus peccati sit quidam mo-* „ *tus liberi arbitrij, necesse est* „ *dicere, quod actus peccati in* „ *quantum est actus, sit à Deo.* „ Et 1. 2. *quæst. 79. art. 2. ad* „ *1. ubi sum: Dei prævisum in ac-* „ *tionem peccati probat hac na-* „ *tione: Omne ens* quodcumque „ *modo sit, oportet, quod de-* „ *riveture à primo ente. Omnis* „ *autem actio causatur ab ali-* „ *quo existente in actu, quia* „ *nihil agit nisi secundum quod* „ *est actu. Omne autem ens ac-* „ *tu reducitur in primum ac-* „ *tum, scil. Deum, sicut in* „ *causam, quæ est per suam es-* „ *sentiam actus: unde relinqui-* „ *tur, quod Deus sit causa om-* „ *nis actionis in quantum est* „ *actio. Sed peccatum nomi-* „ *nat ens, & actionem cum* „ *quodam defectu. Ergo defectus* „ *iste non reducitur in Deum* „ *sicut in causam, sed in libe-* „ *rum arbitrium: sicut defec-* „ *tus claudicationis reducitur* „ *in tibiam curbam sicut in cau-*

„ *sam,*

„ sam, non autem in virtutem
„ motivam, à qua tamen causa-
„ tur quidquid est motionis in
„ claudicatione. Et secundum
„ hoc Deus est causa actus pec-
„ cati, non tamen est causa pec-
„ cati, quia non est causa hu-
„ jus, quod actus sit *cum de-*
„ *fectu.*

Dc conceptu autem primæ causæ, & primi inveniri est prævidere concurrere ad omnem actionem secundæ, quia essentialiter habet producere motum, qui est ipsa actio causæ secundæ. Ad hoc autem non sufficit concursus simultaneus, quia simultas causalitatis excludit prioritatem causarum, unde si Deus tantum simultanee concurreret ad entitatem peccati, causalitas ingentis secundi non reduceretur in causalitatem alterius tamquam in aliquod prius, & sic Deus, & creaturæ essent duæ causæ simpliciter primæ illius entitatis: imo sola creatura, quia determinatio determinativa, tantum est à creatura posito concursu simultaneo.

Ad 3 am. Ratione probat. Ideò Deus prædeterminans ad materiale peccati esset auctor, vel prædeterminaret ad malitiam, quia entitas, & malitia peccati sunt idem realiter, præcipuè in sententia adversariorum; sed esto entitas, & malitia peccati non distinguantur realiter, potuerit Deus prædeterminare ad materiale, quin sit causa per se malitiæ: ergo ex capite identitatis unius cum alio non rectè rejicitur ab adversariis prædeterminatio ad materiale peccati. Prob. min. Licèt producere hominem, & illum inficere macula originalis peccati, non sint duæ actiones, sed unica cum duplici formalitate, potest Deus esse causa per se generationis humanæ, ut est productiva hominis, & non ut est communicativa peccati originalis: ergo licet entitas, & malitia peccati non distinguantur realiter, &c. Consequentia tenet, quia sicut entitas actus est fundamentum, quod substernitur malitiæ, ita natura humana hujus individui est fundamentum, quod substernitur peccato originali.

Ant. docetur à P. Augustin. *in Supplem. cont. Jul. lib. 3. cap. 157.* ubi ait: *Contende postremò sicut malos, quia bonus eos creat, ita nec tardos ingenio, nec fatuos homines nasci, quia Sapiens non creat. An non est malum fatuitas, cum Scriptura dicat incomparabiliter amplius fatuum lugendum esse, quàm mortuum? Sicut ergo nobiscum non dicitis Deum fatuitatis auctorem, cum tamen nascei fatuos Deo creante fateamini; sic nos auctorem malitiæ non dicimus Deum, & tamen originalis obligatione peccati malos bo-*

homines nasci non nisi creante ipso, quia non creat homines nisi ipse, rectè possumus dicere. Ex quibus desumitur etiam argumentum, quod prædeterminatio ad materiale peccati non repugnet sanctitati divinę, & formatur sic ex paritate Augustini.

Non minus repugnat insipientia sapientiæ, quam malitia bonitati: sed Deus summè sapiens creat homines insipientes, & fatuos à nativitate, quin sit fatuitatis auctor: ergo poterit Deus creare entitatem physicam peccati, quin sit auctor malitiæ. Ratio autem horum est, quia natura humana, in quantum natura est, bona est, peccatum autem originale, & fatuitas, quid malum est; & ideò potest Deus effectivè producere naturam humanam, quin sit auctor, vel peccati originalis, vel fatuitatis. Sed similiter materiale peccati in quantum est, quid bonum physicum est: ergo

34 Hęc Augustini paritas est etiam efficax instantia alterius rationis, qua adversarij utuntur ex capite connexionis materialis cum formali. Nam sicut entitas peccati, ut à creatura connectitur cum malitia, ita generatio humana post Adæ lapsum connectitur cum contractione peccati originalis, & cum fatuitate hominis à nativitate talis: sed nec etiam Pelagiani sic de Deo sentiebant, ut Deum dicerent fatuitatis auctorem, cum tamen nasci fatuos Deo creante faterentur: nec ullus catholicus potest dicere Deum esse causam, vel velle originale peccatum, etiamsi velit, vel causet naturam hominis geniti, vel etiamsi velit generationem, ut est actio productiva naturæ: ergo potest Deus velle physicam entitatem peccati connexam cum formali, quin velit ipsam malitiam.

Conf. 1. Decretum permissivum peccati præcedit peccatum permittendum, nam quod jam est, nequit à Deo vitari; & nisi permitteretur non esset: sed hoc decretum connectitur infallibiliter cum peccato permisso, & tamen volens suum decretum, non vult malitiam peccati: ergo licet materiale peccati sit connexum cum malitia, &c. Idem constat à paritate omnipotentiæ, quæ connectitur cum possibilibus; & tamen illam amat Deus efficaciter, non possibilia.

35 Conf. 2. ex adversariorum principiis, nam potest Deus, & de facto pluries efficaciter prædiffinit pœnitentiam ante absolutam prævisionem peccati, ut plures eorum docent. Hoc decretum connectitur infallibiliter cum peccato, nec enim decretum sine pœniten-

tentia, nec pœnitentia sine peccato subsistere potest: & tamen licet detur ex parte Dei hoc decretum, non sequitur Deum esse auctorem, vel determinare ad peccatum: ergo licet detur ex parte Dei aliquid infallibiliter inferens peccatum, quin connexum, non sequitur, & cetera. Tertiò sic: Juxta adversarios Deus per scientiam conditionatorum videt creaturam in statu conditionato ex suis bonis auxiliis in consensum unam, ita ex suis bonis auxiliis in dissensum aliam: nec ex parte creaturæ datur major inclinatio ad consensum ex suis bonis auxiliis, quàm ad dissensum ex suis aliis; imò potest contingere, ut prævideatur in pluribus circumstantiis benè operans, quàm in illis, quidquid sit an ex adverso sit possibilis creatura, quæ omnibus prævideatur in dissensura. Nunc sic: Potest Deus pro suo absoluto decreto omissio decernere, creaturam, quam prævidit his auxiliis dissensuriam, & aliis consensuram, ponere sub auxiliis, quibus prævidit dissensuram, & illud decretum infallibiliter infert, & connectitur cum dissensu peccaminoso. Sed nullam supponit determinationem ex parte creaturæ, quæ potiùs petat, ut constituatur in occasionibus, in quibus peccet, quàm in aliis, in quibus peccatum vitet: ergo supposita vo-

luntate creata omninò indifferenti ad peccandum, vel non peccandum, dari potest ex parte Dei aliquid infallibiliter inferens peccatum, quin inde deducatur Deum determinare ad malum.

37 Ult. prob. ratione, qua utitur Ang. Præcept. *quæst. 3. de Malo, art. 2.* ut probet Deum non esse causam malitiæ, etiamsi sit causa actionis peccati. Hoc „ autem sic ostendit: *Attendendum est*, quod motus primi „ moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, „ sed in unoquoque secundum proprium modum. „ Alio enim modo causatur à „ motu cæli motus corporum „ inanimatorum, quæ non movent seipsa, & alio modo motus „ animalium, quæ movent „ seipsa. Rursumque alio modo „ consequitur ex motu cæli pullulatio plantæ, in qua „ virtus generativa non deficit, „ sed producit perfectum germen: alio modo pullulatio „ plantæ, cujus virtus generativa est debilis, & producit „ germen inutile. Cum enim „ aliquid est in debita dispositione ad recipiendum motionem primi moventis, con„ sequitur actio perfecta secundum intentionem primi mo„ ventis. Sed si non sit in debita dispositione, & aptitu„ dine ad recipiendum motio-

„ nem

„ nem primi moventis, sequi-
„ tur actio imperfecta. Et tunc
„ id, quod est ibi actionis, re-
„ ducitur ad primum movens,
„ sicut in causam: quod autem
„ est ibi de defectu, non redu-
„ citur in primum movens, si-
„ cut in causam; quia talis de-
„ fectus consequitur in actione
„ ex hoc quod agens deficit ab
„ ordine primi moventis, ut
„ dictum est. Sicut quidquid est
„ de motu in claudicatione, est
„ ex virtute motiva animalis,
„ sed quidquid est ibi de defec-
„ tu, non est à virtute motiva,
„ sed à tibia, secundum quod
„ deficit ab opportunitate mo-
„ bilitatis à virtute motiva.

„ Sic ergo dicendum, quod
„ cùm Deus sit primum princi-
„ pium motionis omnium, quæ-
„ dam sic moventur ab ipso,
„ quod etiam ipsa seipsa mo-
„ veant, sicut quæ habent libe-
„ rum arbitrium: quæ si fue-
„ rint in debita dispositione, &
„ ordine debito ad recipien-
„ dum motionem, qua moven-
„ tur à Deo, sequentur bonæ
„ actiones, quæ totaliter redu-
„ cuntur in Deum, sicut in
„ causam. Si autem deficiant
„ à debito ordine, sequetur ac-
„ tio inordinata, quæ est actio
„ peccati. Et sic id, quod est
„ ibi de actione reducetur in
„ Deum sicut in causam: quod
„ autem est ibi de inordinatio-
„ ne, vel deformitate non habet
„ Deum causam, sed solum li-
„ berum arbitrium. Et propter
„ hoc dicitur, quod actio pec-
„ cati est à Deo, sed peccatum
„ *non est à Deo.*

38 Hęc ratio desumpta est ex August. *lib.* 3. *de Trinit. cap.* 4. dicente: *Voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium specierum, atque motionum. Nihil enim fit visibiliter, & sensibiliter, quod non interiore invisibili, atque intelligibili aula summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur.* Exemplum autem de claudicatione desumpsit D. Th. ex Aug. *lib. de Perf. Just. cap.* 2. & 3. & *lib.* 3. *contra Jul. cap.* 11. & alibi. Illudque ex August. adducit D. Thom. & exponit *in disput. de Verit. quæst.* 23. *art.* 12. *ad* 4.

39 Constat autem in his sermonem esse de motione physica, & prævia, ut patet in ipsis exemplis; nam virtus motiva non movet tibiam nisi per actionem physicam, & prævian; & motus cæli respectu plantæ prævius est, non simultaneus. Et si juxta August. voluntas Dei est *prima causa omnium motionum*, ad omnem motum debet previèe concurrere, nam causa debet esse prior saltem natura, & causalitate suo effectu, nec poterit dici *prima*, si tantum simultaneè concurrit. Cum ergo entitas materialis peccati motus quidam sit, ut docet August. in

lib. 2. de Lib. Arb. cap. 20. qui in quantum defectivus, malus est, & in quantum motus, vel actio physicè bonus est, oportet dicere, quod in quantum defectivus est à Dei voluntate, ut permittente est, in quantum verò actio est ab illa, ut efficiente est; aliàs daretur aliquod ens, quod non esset à Deo, ut prima causa.

Nunc sic. Licèt Deus physicè moveat ex propria determinatione ad actum, in quo voluntas deficit ab ordine secundùm rationem debito, talis defectus non reducitur in Deum tamquam in causam physicam, vel moralem, estò actus in quantum actus reducatur in illius motionem: ergo Deus præmovens ad entitatem peccati, illius malitiæ non est auctor. Maj. prob. à D. Thom. Motus primi moventis recipitur in mobili secundum proprium modum, & dispositionem; cum hac differentia, quod si dispositio est debita, consequitur operatio perfecta secundum intentionem primi moventis: si non sit apta dispositio ad recipiendam motionem primi moventis secundum illius intentionem; sequetur defectus in actione. Sed ille defectus non reducitur in primum movens, etiamsi hoc volens moveat ad actionem: ergo. Prob. min. Ille defectus præcisè consequitur in actione ex hoc, quod agens inferius deficit ab ordine primi moventis: ergo defectus actionis unicè imputatur creaturæ.

Conf. præcludendo solut. ab exemplo D. Thom. Quamvis voluntas ex propria determinatione moveat tibiam curbam ad ambulandum, cujus curbitatis causa non extitit ipsa voluntas, ei nullatenus imputatur claudicationis defectus, per hoc præcisè, quod nulla sit obligatio prohibens voluntati movere tibiam curbam: sed Deus nulla obligatione constringitur non movendi voluntatem pravè affectam, & ad malum pronam; quin potiùs ipsi incumbit, utpotè causæ primæ, & universali motori, movere causas secundas sivè deficientes, sivè non deficientes, seu illas reducere ad actum, secundum formas, & species, secundum quas sunt moviles, & actuabiles conformiter ad proprias naturas: ergo si aliqua causa, utpote ex se defectibilis, sit informata aliqua apprehensione defectuosa, poterit illam Deus ad actum secundum illius dispositionem applicare, quin defectus secutus imputetur Deo, sed tantum causæ secundæ, ex eo quod deficit ab ordine, & intentione primi moventis.

Explicatur. Qui utitur suo dominio prævidens aliquem defectum secuturum ex voluntate al-

alterius; non est causa defectus consecuti, nisi teneatur illum evitare, & unicè erit causa permissiva: sed Deus habet dominium supremum, & jus movendi causas secundas secundùm uniuscujusque dispositionem ad fines suæ altissimæ providentiæ, & insuper non tenetur vitare defectus creaturarum, imò conveniens est, ut aliquos permittat ad ostensionem suorum attributorum, & universi decorem, ut diximus *art.* 1. ergo ipsi non imputabitur malitia ad materiale peccati consecuta, etiamsi ad illud sciens, & volens prædeterminet.

40 Si autem per illam pravam dispositionem nolis intelligere aliud distinctum ab ipsa determinatione voluntatis ad malum, quæ sit ipsum peccatum, & pro qua, in quantum actio est, physica præmotio requiratur, tunc dicendum est, quod ipsa culpa, & determinatio creaturæ ad peccatum est prior prioritate naturæ, & instantis à quo, in genere causæ materialis dispositivæ ad ipsam prædeterminationem ad materiale peccati; & in eodem instanti in quo cum ipsa prædeterminatione ad materiale. De hoc enim ita phylosophantur Thomistæ, ac de actu contritionis, & charitatis respectu gratiæ sanctificantis, & generaliter de dispositionibus concomitantibus. Vide *n.* 63.

§. V.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

41 Contra 1. concluſ. objici possunt plura ex Scriptura, Conciliis, & SS. Patribus testimonia, quæ tamen non congerimus, quia tantum probant contra hæreticos Deum non esse auctorem peccati, vel in favorem secundæ concluſ. Deum non efficere malitiam concursu positivo. Ne autem, vel apparenter opinioni Durandi faveant, nota, aliquas voces aliquando significare solam deformitatem, ut *malitia*, *deformitas*, *peccatum*: aliquando non solam malitiam, sed etiam entitatem actionis, ut *homicidium*, *adulterium*, *concupiscentia carnis*: aliquando solam physicam entitatem, ut *ens*, *actio*, *actus*, *materiale*. Primi generis nullatenus attribui possunt divinę causalitati: de secundi admonet D. Thom. *in 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. in fin. corp.* *Quodcumque nomen deformitatem simul cum actu significat, sive in generali, sive in speciali, non potest dici, quod hoc à Deo sit simpliciter: unde non potest dici absolutè, quod peccatum sit à Deo, ut homicidium, aut aliquid hujusmodi nisi cum hac additione, in quan-*

tum est actus, & in quantum est ens.

Ratio est, quia verba significantia actionem appellant supra significatum formale termini, ut *Petrus facit cathedram* non significat facere lignum, sed formam artificialem cathedræ. Sic cum dicitur, facit peccatum, homicidium, &c. non tam significatur facere actionem, ut ens pro materiali, sed etiam deformitatem significatam pro formali, & ideò nequit dici absolutè peccatum esse à Deo, vel adulterium, sed cum hac restrictione in quantum ens, actus, &c. quia istæ voces significant tantum physicam entitatem, non malitiam.

42 Pro secunda sent. objicies 1. illud Isai. 43. *Servire me fecisti in peccatis tuis.* Per quæ verba videtur significari concursus Dei indifferens ad bonum, & ad malum, quem si creatura ad malum deflectat, faciet Deum sibi quasi servire in peccatis, & per consequens ex illius determinatione concurrere quasi invitum, & coactum ad malitiam. 2. ex Tertuliano *in Exhortatione ad Castitatem*, dicente: *Quod permitti dicitur, quasi de invita venit voluntate.* Et D. Anselmus *lib. de Casu Diaboli, cap.* 28. ait: *Non solum hoc habet aliquis à Deo, quod Deus sponte dat; sed etiam, quod injustè rapit Deo permittente: & sicut dicitur, Deum facere, quod permittit, ita dicitur dare, quod permittit rapi.*

43 Resp. primum testimonium exponi communiter de Christo Dom. qui ut nos redimeret à peccatis formam servi assumpsit, & serviles pœnas sustinuit. Exponi etiam potest per hoc, quod dum Deus non statim injurias punit, sed patienter sustinet, metaphoricè dicitur servire in peccatis nostris. Ad 2. dic, verum esse, peccatum permissum venire de voluntate quasi invita, quia est contra voluntatem beneplaciti Dei: sed exinde non sequitur, quod sit ex concursu Dei positivo, ut patet, quia quod est permissum, non est à Deo operatum; quod autem ex concursu Dei positivo descendit, effectum, & operatum est: ergo si peccatum tantùm permissum est, nullatenus effectum est. D. Anselmus expressè stat pro nostra sententia, ait enim *lib. de Concordia Præsc. & Prædest. Facit Deus omnia, quæ justa, vel injusta voluntate fiunt, idest bona opera, & mala: in bonis quidem facit, quod sunt, & quod bona sunt; in malis verò facit, quod sunt, sed non quod mala sunt.* Quid planius?

Si autem Deus eodem modo concurreret ad materiale, & formale malorum operum, nul-

nulla est illa præcisio verborum, *in malis facit, quod sunt, sed non quod mala sunt*, juxta adversarios enim concursus Dei non est præcisivus respectu horum, sed eodem modo influit in materiale, & formale. Nec in objectione asserit Anselmus creaturam, seu Angelum malum rapuisse ipsam potentiam Dei, vel illius concursum, ut in malam ejus voluntatem influeret: ibi enim nec verbum habet de concursu Dei, sed loquitur de malo usu potestatis, seu liberi arbitrij, quod Deus Angelo sponte contulit, & ait, quod malus ille usus arbitrij dum Angelus habuit malum velle, fuit à Deo tantùm permittente, quod quidem verum est, sed inde non sequitur, Deum positivè influere in peccatum, hoc enim est contra ipsum, ut diximus.

44 A ratione objic. cont. 2. conclus. Licèt Deus conferat suum concursum creaturæ, ut eo bene utatur, permittens, ut male utatur, si ad malum se velit determinare, non erit auctor malitiæ, esto in illam influat; quia influit contra propriam voluntatem, & inclinationem, & ex aliena determinatione, ut munus primi agentis adimpleat: sed sic dicitur ab adversariis Deus ad peccatum concurrens: ergo illius non est auctor. Maj. prob. 1. ex August. quia ut dicatur Deo auctore aliquid fieri, opus est, ut Deo volente fiat: sed quoties ille influxus est contra illius voluntatem, nequit esse Deo volente: ergo. 2. à paritate. Sacerdos ministrans communionem peccatori occulto, ipsi verò noto, eò non est sacrilegij reus, quia dat tantùm, quod benè, vel malè recipi potest, & ea solum intentione, ut fructuosè alter recipiat: ergo.

45 Resp. repugnare influxum Dei in malitiam etiam ex determinatione creaturæ, qui sit contra voluntatem Dei, omnipotentia enim solum ex voluntate Dei habet subjici creaturæ determinanti, non ex natura sua; & sic dum determinatur ad malum, ex voluntate Dei, non præter, aut contra illam influit, & determinatur. Unde si malum positive causat, volens causat, & sic illud fit Deo auctore, ut docet August. quia juxta ipsum omnium, quæ sunt, Deus est auctor, quia in quantum sunt bona sunt, & in hoc sensu fiunt, quia sic aliquid sunt, & efficientia terminatur ad aliquid, non ad nihil: ergo si peccatum pro formali, quid positivum est, ad quod Deus positivè concurrit, volendo in illud concurrit. Nec admitti potest concursus ille indifferens determinabilis à creatura, ut influat in formalem ma-

malitiam, quia Deus illam non continet, sed ipsi penitùs contrariatur: nemo autem potest causam determinare ad effectum, quem non præcontinet, aut unum contrarium, ut in aliud influat.

Paritas Sacerdotis retorquetur, quia ille ex eo, quod tenetur impedire læsionem famę proximi communionem confert non impediens sacrilegium, quod vitare non tenetur: at Deus juxta adversf. non solum se habet, ut non impediens malitiam, sed ut positive influens in ipsam, & hoc absque aliqua obligatione, aut titulo. Rursus, sacrilegium, quod ibi à recipiente committitur, est realiter distinctum ab actione Sacerdotis Eucharistiam ministrantis, hæc enim non est per se connexa cum actione sacrilega recipientis, nam illamet actio Sacerdotis subsisteret, si recipiens dispositus, & devotus accederet: & sic non est unde influat illa actio in sacrilegium, nec cur ipsum velit, licèt velit actionem ministrandi. In præsenti autem influxus Dei identificatur cum influxu creaturæ: ergo vel amat influxum suum, & sic amat peccatum, vel concursum creaturæ in malitiam cum illo vel identificatum, vel connexum; vel odio habet suum influxum in actu secundo, & sic influit abominando suammet omnipotentiam, ut influentem.

46 Arg. 1. à ratione contradicta *num.* 10. Si Deus causat per se, & ut auctor entitatem physicam peccati, causat illam, ut est tale ens in individuo; sed ut sic est mala moraliter: ergo Deus erit causa per se actionis, ut defectuosæ. Prob. min. 1. Hæc actio peccati constituitur individualiter per hanc malitiam: ergo. 2. Hæc actio est mala moraliter secundum quod est prohibita: sed prohibetur, ut actio physica, & liberè elicita cum advertentia prohibitionis: ergo. Minor patet, quia tendentia hujus præcepti, *Non occides*, &c. est ad actionem physicam occidendi, non ad malitiam, ut præcipuè patet in actionibus prohibitis, quia malis, quibus est intrinseca, & essentialis malitia.

47 Resp. negando min. quia linea entis physici est adæquatè diversa à linea morali, & sic habet prędicata propria, per quæ determinetur, & constituatur in individuo: unde hæc actio mala distinguitur ab alia *in esse moris* per hanc malitiam; *in esse entis* per alia principia individualia pertinentia ad lineam physicam ex quibus hæc ceitas physica determinatur. Sicut enim malitia non constituitur individualiter per entitatem physicam individualem, ita

nec

nec entitas physica per malitiam, quia hæc non pertinet ad lineam physicam, sed moralem. Ergo entitas physica actionis peccati, in quantum actio est, mala non est, & sub hac ratione à Deo est: unde ab illo non est, ut mala moraliter est.

48 In entitate autem materiali peccati distinguendas esse has formalitates, & similiter in concursu Dei, docent expressè August. *num.* 11. & 33. & communiter contra Julianum distinguit hominem nasci, & nasci in originali, quorum primum à Deo est, quia in quantum homo est, bonus est; secundùm à Deo non est, quia malum est, & D. Thom. *num.* 37. & Anselmus *num.* 43. Sed præcipue D. Thom. *num.* 9. laud. ubi ait, quod etiam in actione deformitati conjuncta, & ab illa inseparabili, ut in actibus intrinsecè malis, causalitas Dei attingit bonitatem naturæ physicam, nullatenùs verò attingit, quod deformitatis est: unde non per hoc Deus non est causa peccati, quia attingat aliquid bonum physicè separatum à malitia, sed quia in bono illo physico, quod deformitati morali subsitat, & quod inseparabiliter malitiæ conjunctum est, bonitatem naturæ causare potest, secus autem malitiam. Vide verba D. Thom. *num.* 9. Et audiatur *quæst.* 3. *de Malo*, *art.* 2. *ad* 2. *Dicendum, quod deformitas peccati non consequitur speciem actus secundum quod est in genere naturæ: sic autem a Deo causatur. Sed consequitur speciem actus secundum quod est moralis; prout causatur ex libero arbitrio.* Actus ergo peccati in genere naturæ bonus est, quia adstruere naturam malam fuit Manichæorum error, & sub hac ratione est à Deo, non ut pertinet ad genus moris.

Audiatur etiam *in* 1. *ad Annib. dist.* 48. *art. ult.* ubi quærit: utrum possit esse voluntas de passione Christi, sine hoc, quod sit de actione Judæorum? Et *in* 2. *arg.* arguit sic: *Voluntas fertur in volitum secundum quod est in rerum natura; quia bonum, & malum sunt in rebus secundum Phylosophum: sed in rerum natura non est passio sine actione: ergo voluntas non fertur in passionem sine actione. Ad* 2. *dicendum, quod licet voluntas feratur in volitum secundum quod est in rerum natura, non tamen oportet, quod feratur in omnia, quæ circumstant rem, sed solum in ea, quæ de esse rei sunt.* Si autem instes, quod Deus debet velle passionem Christi modo possibili, quo potest poni in re: nequit autem poni sine actione prava Judæorum, sicut nec entitas physica peccati: ergo volens pas-

passionem vult etiam actionem, vel prædeterminans ad materiale, determinat ad malitiam, sine qua impossibile est, ut illud ponatur in re. Resp. sibi etiam proposuisse D. Thomam hoc argum. ibi : *Voluntas*, inquit, *sapientis non est impossibilium : sed impossibile est esse passionem sine actione : ergo. Ad* 1. *dicendum, quod illa ratio procederet, si diceretur, quod Deus vult passionem Christi esse, & actionem Judæorum non esse, quia hæc duo sunt incompossibilia. Sed horum duorum unum est secundum voluntatem Dei, alterum est præter eam, non contra eam.*

Licèt ergo actum illum in individuo circumstent libertas, advertentia legis, & prohibitio, istæ non sunt circumstantiæ individuantes actionem in esse physico, sed in esse moris : & licèt talis actio non possit fieri in illis circumstantiis, quin subsistet malitiæ, & propterea Deus non determinet ad actionem eliciendam separatam à malitia ; non oportet, quod Deus volens, vel determinans ad entitatem physicam, velit, vel determinet ad ipsam malitiam, quia hæc non pertinet ad individuationem entitatis, ut physicæ ; & quia volens rem, quæ est in re, non oportet, quod velit omnia, quæ circumstant rem, ut ait D. Thom. sed solum debet velle, quæ sunt de esse rei : de ratione autem hujus physicè sumptæ non est malitia, quę pertinet ad aliam lineam. Hoc explicatur exemplo ex August. *num.* 33. nam Deus volens generationem hominis in his circumstantiis, in quibus debet inici peccato originali, vult quod bonum est, scil. naturam genitam, permittit autem in- tionem. Similiter ex dictis *num.* 38. anima movens tibiam curvam non potest illam movere sine claudicatione, & tamen anima est causa motus, non claudicationis.

49 Ad 2. dic, prohibitionem terminari directè ad actionem physicam prout fit à creatura, scil. deficienter, & illam constituere malam moraliter. Unde prohibitio extrahit illam à linea physica, seu facit, ne ponatur in re cum sola physica bonitate : at malitia superveniens, & actioni adjuncta non facit actionem deperdere bonitatem physicam, imò ut August. ait *in Supplem. cont. Jul. 1. cap.* 114. *Non potest esse ullum malum nisi in aliquo bono.* Ergo Deus potest efficere illam actionem secundum id, quod habet de esse physico, non verò, ut extractam ad lineam moralem, qualiter fit à sola creatura : unde efficit actionem, quæ est terminus prohibitionis respectu creaturæ, sed non ut ter-

terminat prohibitionem, quia sic fit ab agente morali, cui fit prohibitio.

150 Instabis. Magis præcisivus est intellectus in cognoscendo, quam physica causalitas in causando: sed intellectus nequit cognoscere rationem entis, quin attingat saltim pro implicito modos, & differentias illius, ut communiter asserunt Thomistæ negantes perfectam præcisionem entis à differentiis: ergo nec physica causalitas Dei attingere poterit in peccato rationem entis, quin attingat etiam differentiam hujus entis, spil. malitiam. *Resp.* admissa transcendentia entis cons. maj. & min. nego suppositum cons. seq. Supponitur enim malitiam esse aliquam differentiam entis physicè sumptil; quod est falsum, nam linea entis physici habet differentias diversas à linea morali, alias omne ens physicum esset etiam morale. Unde Deus qui producit, vel cognoscit rationem entis physici, non tenetur cognoscere, & multo minus producere formalem malitiam. Entitas illa, ut fit ab agente physico, & morali pertinet ad utramque lineam, & sic fit à creatura. Deus autem agit, ut agens physicum tantum, non ut morale, quia nec consulit, aut præcipit, & sic illa entitas respectu Dei nullam habet moralitatem.

151 Arg. 2. Actio peccati etiam physicè est aversio à Deo ultimo fine: ergo nequit esse à Deo, qui omnia operatur propter se, aliàs eadem actio esset conversio ad Deum, & simul aversio. Respondet D. Bonavent. *in 2. dist. 37. art. 1. quæst. 1. ad 3. Ad illud quod dicitur, quod Deus facit omnia propter se, dicendum est, quod verum est; & concedendum est etiam, quod actionem malitiæ substractam propter se facit.* Actio ergo peccati quatenus est à voluntate creata deficiente, est aversio à Deo, & sic non fit ab ipso. Sed physicè considerata, & ut in se non est aversio effectiva à Deo, licet ex parte, & ex intentione creaturæ sit aversio affectiva, quia per illud medium creatura conatur se convertere ad bonum commutabile, & ibi sistit: sed ex intentione Dei ulteriùs ordinatur ad Deum ad fines suæ providentiæ. Sic si corpus aliquod in centro terræ existens conaretur motu progressivo se à cælo elongare, per eumdem motum accederet ad illud. Creatura non fit deterior per entitatem illam præcisè, quia efficit, cum hoc sit transire de potentia ad actum, quæ est perfectio physica, vel philosophica: unde verum est, quod August. ait *quæst. 3. ex 83. Deo auctore nemo fit deterior.* Talis fit creatura ex eo quod

deficit dum causat physicam entitatem, sed Deus non est auctor entitatis, ut est deficienter à creatura. In hoc sensu ait August. *lib. 2. de Lib. Arb. cap. ult. Motus ille aversionis, quem fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est: omnis autem defectus ex nihilo est: vide quo pertineat, & ad Deum non pertinere ne dubites*; loquitur enim de motu defectivo, ut defectivo.

§. VI.

ALIA ARGUMENTA contra tertiam conclusionem solvuntur.

52 PRo auctoritatibus, quas contra prædeterminationem ad materiale peccati congerunt adverſ. recolligenda sunt dicta ex D. Th. *num.* 41. Et ex ibi dictis patet etiam non esse contra nos testimonium Trident. laud. *num.* 1. quod nobis opponunt adverſ. cum contra ipsos potius retorquendum sit; ipsi enim docent eodem modo Deum esse causam malorum operum pro materiali, ac pro formali: sed in bonis operibus eodem modo operatur etiam Deus materiale, ac formale: ergo adeo proprium Dei erit opus vocationis Pauli, ac perditionis Judæ. Sicut ergo hoc non tenet, quia bona opera operatur per se, alia, juxta ipsos, contra propriam inclinationem; multo minus tenebit juxta sent. nostram, nam nullatenus admittimus Deum producere malitiam, & ideò Deus non operatur mala opera, quia hoc nomen *malum opus* deformitatem simul cum actu significat, & ideò nequit dici à Deo esse simpliciter juxta monitum D. Thom. sed cum hac additione *in quantum est actus*, qua non utentes adversarij Deo pariformiter tribuunt bonum physicum, ac moralem deformitatem.

53 Arg. cum P. Marin. Calvinus, Beza, Melanctон, & alij damnati à Trident. in aliquo vero sensu dicebant Deum causare mala opera, quo non dicunt Thomistæ: sed hæretici non dicebant Deum causare per se mala opera quoad malitiam, sed solùm quoad entitatem: ergo Thomistæ, ut ab illis differant, sicut verè differunt, dicere debent Deum non causare per se mala opera quoad entitatem. Minorem latè probat ex dictis ipsorum hæreticorum asserentium, Deum non esse auctorem peccati, & bonum esse, quidquid Deus agit; *cum à summo bono nihil possit mali proficisci: omnia autem efficit: omnia igitur bona sunt, quatenus à Deo efficiuntur.* Ita se explicat Beza *Aphorismo* 19. Probat etiam ex

verb.

verb. Jacobi Laurentij Calvinistæ apud P. Sanderum *fol.* 463. asserentis : *Distinguunt Pontificij* (id est Thomistæ) *inter generalem concursum, & specialem operationem, inter actum ipsum, & actus malitiam, & id illustrant per exemplum ambulationis, & claudicationis in claudo. Id ipsum faciunt in suis scriptis Protestantes, ac expressis verbis Calvinus.*

54 Hoc & similia argum. adversariis valdè familiaria, quæque ab ipsis magnificantur propemodum, ad nihil aliud deserviunt nisi ad deterrendos tyrones: sed hæretici non debent ad disputationes, in quibus eorum errores refutantur, adduci, nisi in iis, in quibus ab Ecclesia sunt proscripti, maximè dum constat sensus condemnationis, uti accidit in præsenti. Et si arguens ingenuè fatetur, in aliquo vero sensu attribuisse Deo hæreticos mala opera, quo non dicunt Thomistæ, ut quid postea Pontificios cum Protestantibus confundere studet? Vel enim Thomistæ conveniunt cum hæreticis in iis, in quibus isti non erarunt (quia *nulla falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat*, ut ait Augustin. *lib.* 2. *Quæst. Evang. quæst.* 40.) vel in iis, in quibus ab Ecclesia sunt proscripti? Si primum? argum. non est ad rem: si secundum? sequela est contra arguentem, ipse enim fatetur, Thomistas verè ab illis differre. Rursus, subdolè argumentatur, dum in consequentia intendit deducere differentiam, quam ex alia parte supponit; ait enim, ut ab illis differant, sicut verè differunt. Vel ergo Thomistæ contra quos ipse agit, scil. contra defendentes prædeterminationem ad materiale peccati, dum hanc sententiam tuentur, verè differunt ab hæreticis, vel non? Quod non differant est contra ipsum, ait enim Thomistæ ab illis *verè differunt*. Si verè differunt? Ut quid infert hanc consequentiam: ergo Thomistæ, ut ab illis differant dicere debent Deum non causare per se mala opera quoad entitatem.

55 Directè resp. negando min. ipsi enim hæretici de more non sibi constant in dictis, quia *mentitur sibi iniquitas*, ut enim optimè ex eorum scriptis probat Bellarminus Deum fecerunt peccatorum auctorem, quamvis palàm id affirmare erubuerint, ne invidiam tam horribilis blasphemiæ subirent. Verum est, Protestantes cum Catholicis convenire in distinguendo concursu generali Dei ab speciali, ut ait Laurentius Calvinista, sed dum hæretici fatentur, Deum non solùm, ut

causam universalem, sed ut specialem concurrere ad mala opera, ut talia, & in specie, suadendo, imperando, & excitando ad illa, apertè à Catholicis tractatoribus recedunt. Illam autem esse mentem Calvini quilibet videre potest apud Bellarm. *tom.* 4. *lib.* 2. *de Amissione Grat. cap.* 3. ubi adducit hæc verba Calvini *ex lib.* 2. *Inst. cap.* 4. §. 2. asserentis: *Propriè ergo agere dicitur Satan in reprobis, in quibus regnum suum, hoc est, nequitiæ, exercet. Dicitur, & Deus suo modo agere, quod Satan ipse, instrumentum cum sit iræ ejus, pro ejus nutu, ac imperio, huc, atque illuc se inflectit ad exequenda ejus justa judicia. Omitto hìc universalem Dei motionem, unde creaturæ omnes, ut sustinentur, ita efficaciam quidvis agendi ducunt; de illa speciali actione tantum loquor, quæ in unoquoque facinore apparet. Idem ergo facinus Deo, Satanæ, homini assignari, videmus non esse absurdum.* Hæc autem nullus Thomista docet, sed execratur.

Rursus Calvinus in *lib. de Æterna Dei Prædest. pag.* 944. docet: *Hinc certè jam colligere promptum est, quàm inane, & fluxum sit illud divinæ justitiæ patrocinium, quæ mala sunt non ejus voluntate, sed permissu duntaxat fieri, equidem quatenus mala sunt, quæ malo animo perpetrant homines, Deo minimè facere fateor.* Et statim vocat frivolum effugium dicere, Deum tantùm permittere peccata. Ergo plusquam influxum permissivum erga illa Deo concedebat Calvinus, & propterea meritò damnatur à Concilio. Et tamen Deum esse auctorem peccati concedere renuebat, quod nullus inficiabitur esse inconsequenter dictum: ergo quia influxum positivum, & juxta voluntatem Dei ipsi erga peccata, qua talia concedebat. Nec dignum reflexione judicamus, quod Beza asserat à Deo nihil posse mali proficisci, quia omnia quatenus à Deo efficiuntur, bona esse testatur; quæ verba congruentiùs, & sanctiùs divinæ omnipotentiæ adaptantur, quàm illa adversariorum asserentium Deum per verum, & physicum influxum producere malitiam: quia hæc sub nulla ratione est bona.

56 Arg. 1. à ratione ex cap. connexionis entitatis, & malitiæ. Quoties aliquod principium est omninò determinatum ad extremum *A* ex aliqua suppositione, qui determinat ad talem suppositionem, non pure permittit, sed positivè determinat principium ad extremum *A*: sed voluntas est principium omninò determinatum ad malitiam ex suppositione, quod

quod existat entitas peccati: ergo si Deus determinat ad entitatem, determinat voluntatem ad talem suppositionem, & sic si Deus determinat ad talem entitatem, non purè permittit, sed determinat voluntatem ad malitiam. *Aliter.* Necessitas ad aliquam actionem, quæ non potest existere sine aliquo modo, est necessitas ad talem modum: sed entitas peccati non potest existere sine malitia: ergo necessitas, vel determinatio ad entitatem est determinatio ad malitiam.

57 Hoc argum. patitur instantias, quas dedimus *num.* 34. & directè resp. disting. maj. Si suppositio influat physicè in extremum, determinans suppositionem, determinat physicè ad extremum conc. Si suppositio non influat physicè in extremum, sed sit solum logicè connexa cum illo, nego. Sic quia permissio malitiæ solum logicè connectitur cum malitia, Deus physicè determinans suppositionem permissionis solum logicè determinat malitiam: similiter in præsenti, quia entitas peccati non influit physicè in malitiam, sed solum logicè cum illa connectitur: unde solum logicè poterit determinare ad extremum malitiæ, non physicè determinatione causalitatis, & efficientiæ.

Ad aliud dic, Deum non determinare entitatem, ut existat sine malitia, nec determinat, ut entitas existat cum malitia determinata ab ipso, sed determinata à creatura, & permissa ab ipso; unde necessitas ad actum connexum cum modo non est necessitas ad necessitatem modi, hoc est, necessitas, ut existat entitas determinata à Deo, non est necessitas, ut malitia determinetur ab ipso: necessitas quidem actus est connexa cum necessitate modi, id est, determinatio Dei ad actum est connexa cum determinatione creaturæ ad malitiam, quæ cùm non sit volita à Deo, nec in illam physicè influat concursus Dei, quia illa est modus defectivus, non efectibilis, ideò concursus Dei non determinat, nec efficit illam, sed permittit. Sic voluntas creata directè intendit existere actum peccati, & non directè intendit, existere malitiam essentialiter requisitam, ut existat actus peccati, & cum illo infallibiliter connexa. Vide *num.* 9. & 48.

58 Arg. 2. Nequit Deus consulere materiale peccati: ergo nec prædeterminare. Antec. ab omnibus admittitur: cons. prob. Ideò nequit Deus consulere entitatem peccati, quia consilians debet attendere ad omnia inconvenientia, quæ accidunt objecto consiliato: sed præ-

prædefiniens debet attendere ad ea, quæ sequuntur ex objecto prædefinito, vel re causata: ergo. *Conf.* 1. Qui non potest licitè velle malitiam, nec potest velle periculum, quod nulla ratione possit dividi à malitia: sed actus odij Dei in circumstantiis libertatis prædeterminatus à Deo est periculum, quod nulla ratione dividi potest à malitia: ergo. *Urgetur.* Deus vult hanc veritatem: *Si homo elicit actum odij, illum ponet cum malitia formali*, hoc enim est velle hominem esse plenè liberum ad talem actum, & habere notitiam repræsentantem malitiam cum illo connexam; & non velle hominem ponere actum separatum à malitia, hoc enim est impossibile in illis circumstantiis: sed etiam vult, *quod ponatur odium*, cum velit voluntatem prędeterminare ad actum odij: ergo Deus vult, voluntatem ponere malitiam, quod derogat divinæ sanctitati. Prob. hæc conf. Qui vult veritatem præmissarum, ex quibus evidenter infertur aliqua conclusio, vult veritatem talis conclusionis: sed istæ præmissę, *si homo elicit actum odij, illum ponet cum malitia, & homo ponit actum odij*, evidenter inferunt hanc conclusionem, *homo ponit malitiam*, cum arguatur à veritate conditionalis, & positione conditionis ad positionem conditionati: ergo si Deus positivè amat, & vult veritatem præmissarum positivè vult, & amat malitiam illatam. Hæc Rivadeneira.

59 Conf. ex Herrera: Laudabile est, vel saltem licitum velle id, quod Deus vult nos velle: sed si Deus prædefinit, & prædeterminat materiale peccati, vult nos velle entitatem actus mali: ergo licitum erit, & laudabile eam velle. Sed ad laudabile potest quis consiliare: ergo si Deus vult materiale peccati, potest ad illud moraliter concurrere. *Aliter.* Quidquid Deus amat est decenter amabile sub ea ratione, qua à Deo amatur: sed si Deus prædeterminat, & est auctor actus peccati, amat talem actum: ergo ille est decenter amabilis à creatura, quod dici nequit, quia cùm creatura non possit ponere actum sine malitia, esset velle malitiam secutam ex propria electione, & determinatione.

60 Resp. ad 1. posse aliquem honestè aliquid efficere, quod non potest alteri licitè consiliare, quia ille objectum consiliatum nequit licitè, & honestè executioni mandare: sicut Sacerdos licitè potest Missam celebrare, non verò licitè consiliare laico Missæ celebrationem. Sic Deus licitè potest efficere entitatem peccati, quia illa, ut actio est, physicè bona est;

est; Deus autem est prima causa totius physicæ bonitatis, & malitia est extra spheram causæ purè efficientis, & nullatenus deficientis. Cùm verò homo non possit licitè efficere entitatem peccati in circumstantiis libertatis, & prohibitionis objecti, quia illam non potest efficere, ut causa purè physica, sed debet illam elicere, ut causa moralis, & per consequens cum malitiæ imputabilitate; hinc Deus non potest illi consiliare entitatem, quia implicat, quod illam ponat causa defectibilis in prædictis circumstantiis, quin ponat malitiam ex propria determinatione. Unde si fingeres duos deos, unus posset alteri entitatem peccati consiliare, quia quilibet posset illam efficere, quin attingeret deformitatem.

61 Ratio disparitatis inter concursum causæ physicę, & moralis stat in eo, quod causa moralis attendit ad omnes circumstantias sub quibus opus exequendum est ab eo, cui consilium præstatur, vel præceptum, quia regulatur prudentia, cujus munus est attendere ad omnes circumstantias, idcircò circumspectio ponitur prudentiæ pars, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 49. *art.* 7. & ideò talis concursus non est prædivivus entitatis à malitia, vel bonitate morali; benè verò concursus physicus, quia tantùm respicit entitatem physicam actionis prout physicè effectibilis est à tali causa, & non curat de circumstantiis moralibus, quia istæ, ut tales non pertinent ad suam lineam. Igitur repugnantia concursus moralis Dei ad entitatem peccati non desumitur formaliter, & immediatè ex parte Dei, sed ex parte hominis, qui non potest licitè facere id, ad quod moraliter præmovetur. Probatio cons. nihil concludit, quia ex prædiffinitione, & causalitate physica actionis peccati non sequitur in ea ratione, in qua causatur, aliquod inconveniens, sed quod sequitur, pertinet ad aliam lineam, & hoc non sequitur sequela physica, sed tantùm logica, ut diximus: unde non imputatur causæ physicæ, sed morali.

62 Ad 1. conf. resp. instando. Deum decernere conferre auxilium prævisum inefficax est periculum malitiæ ita cum illa connexum, ut ab illa dividi nequeat: & tamen Deus vult conferre auxilium previsum inefficax, quin velit peccati periculum: ergo. Vide *num.* 361. Directe resp. Deum non velle periculum peccati formaliter sumptum, sed materialiter. Periculum formaliter sumptum, & ut communiter accipitur, significat aliquid per se influens

in

in peccatum: & hoc non competit actioni peccati, nec prædeterminationi ad illam, quia nec mediatè, nec immediatè influunt in malitiam. Si autem homine periculi intelligas aliquam rei constitutionem, qua posita homo ex sua fragilitate non vitabit peccatum, dicimus posse Deum hominem in ea constitutione ponere; quia hoc non facit Deum plusquam permissorem peccati: ad modum quo juxta adversi creaturam, quam prævidit Deus, in his circumstantiis, & sub his auxiliis consensuram, & in aliis dissensuram, potest honestè ponere sub auxilio previso inefficaci, quia illa constitutio nullatenus mala est prout à Deo, nec in malum per se inclinans, sed tantum ex defectibilitate, & abusu humanæ fragilitatis.

63 Ut hæc, & alia amplius percipiantur, nota cum Illust. Montalvàm *hic disp. unic. dub. 3. num. 37.* decretum prædefinitivum entitatis peccati non præcedere permissivum malitiæ, sed è contra, quia primò cognoscit Deus naturam creatam etsi completè potentem ex parte actus primi ad operandum, non benè operaturam esse, nisi Deus ipsi dederit medio suo adjutorio ipsum agere. Secundò cognoscit se nulla ratione teneri ad dandum agere, etiam postquam dedit posse: unde tertiò cognoscit, ipsum à tali beneficio cessare, posse conducere ad altissimos suæ providentiæ fines, ut fragilitatem nostram, & gratiæ suæ excellentiam ostendat. Potest ergo ex his, quæ per scientiam necessariam cognoscit, aliquem præintendere finem, ad quem ipsa gratiæ denegatio conducat: & hac denegata peccatum infallibiliter extiturum esse præcognoscit. Et cum hoc existere debeat, vel per omissionem, vel commissionem, & per aliquem actum adjunctum; intelligitur postea decernens illud peccatum existere per aliquam actionem physicam, ad quam, utpote in esse naturæ bonam, decernit positivè concurrere: & hoc est decretum ad materiale peccati prædeterminans.

Sic Deo prædefinienti entitatem peccati, & ad illam præmoventi nullatenus imputatur malitia, quia ad illam nec primò determinat, nec physicè, nec logicè ex vi talis decreti, sed supposito tantum decreto permissivo denegandi gratiam efficacem indebitam; jam intelligitur voluntas determinata ex se, & ex propria defectibilitate ad peccatum perpetrandum: unde decretum prædefinitivum entitatis non determinat ad malitiam, sed supponit logicè ablatam indifferentiam à voluntate creata vi decreti denega-

gativi gratiæ efficacis, seu permissivi peccati, in quo Deus cognoscit, creaturam liberè, & ex propria determinatione, ac defectibilitate consensuram in malum: & per consequens decretum prædefinitivum, & physica præmotio erga entitatem peccati voluntatem non conjicit in aliquod periculum peccati, sed videndo ipsam à se jam determinatam ad peccatum, facit ne purè deficiat, sed quod etiam aliquid efficiat: cumque in hoc, quod efficit, sit aliqua entitas, & perfectio physica, ad illam Deus in quantum talem, ut causa universalis concurrit.

64 Si dicas, quod hoc ipso, quod Deus prædeterminet ad materiale peccati, sequitur à priori, ideò creaturam peccare, quia Deus vult illam sic prædeterminare; prius est enim prioritate causæ illa Dei motio, quàm consensus creaturæ in peccatum; & aliàs sine illa prædeterminatione creatura non potest in malum consentire. Sequela autem est contra August. *lib.* 12. *de Civit. cap.* 6. dicentem, ex duobus æqualiter affectis, & eadem tentatione pulsatis, cur unus cedat, non alter, causam esse *unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere.* Vide *tract.* 5. *quæst.* 4. *art.* 2. *num.* 27. Ita quodam argumentante, asserebat hanc non esse congruentem responsionem, si Deus ad materiale peccati prædeterminat; hoc enim dato ratio à priori consensus in malum est, quia creatura prædeterminatur ad physicam entitatem, sine qua repugnat consensus actualis.

65 *Respondemus* (ait Aug. *tract.* 53. *in Joannem post initium*) *Deum præscium futurorum per Prophetam prædixisse infidelitatem Judæorum; prædixisse tamen, non fecisse. Non enim propterea quemquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata jam novit: ipsorum enim præscivit peccata, non sua; non cujuscumque alterius, sed ipsorum.* Si ergo Deus in suo decreto permissivo præscivit peccata hujus hominis, quæ non sunt peccata alterius, sed ipsius, utique præscivit peccaturum, quia ipsemet vult; & sic ratio à priori cur iste tentationi consentit, est, quia ipse vult, & non est alia causa consensionis in malum, nisi velle ipsius creaturæ, cum ex decreto permissivo Dei, & illius præscientia non inferatur peccatum in sensu causali, sed tantùm illativo, ut ex August. diximus *tract.* 5. *art.* 1. & constat ex præjactis verbis August. Nec valet causalis, *ideò peccat, quia Deus physicè ad entitatem peccati prædeterminat*, tùm quia prædeterminatio non est ad malum,

lum; sed ad entitatem bonam, ad quam ex mala voluntate creaturæ consequitur malitia. Tùm quia ad decretum prædeterminativum entitatis præsupponitur permissivum malitiæ, unde illud nec est prima ratio illativa. Peccatum autem, quod cognoscitur in decreto permissivo est peccatum ex propria determinatione à creatura commissum, & hujus determinationis si quæris causam deficientem (quia efficiens non datur juxta August.) unica est ipsa ex nihilo facta creatura.

66. Ad urgentiam positam *num.* 58. nego maj. quia illud esset Deum velle conditionatè malitiam, quod inhonestum est Deo, quia alias purificata conditione, uti est possibile, vellet objectum turpe. Ex probatione autem tantum infertur, posse Deum velle aliquid logicè connexum cum malitia, quod salvatur, quin Deus amet malitiam, ut patet exemplis datis *num.* 34.

67. Ad conf. ex *num.* 59. dic laudabile esse velle id, quod Deus vult, ut causa moralis, & specialis, secus quod tantùm vult, ut agens universale. Et ratio est, quia nos non possumus vellè elicere talem actum eo præcisè modo, quo illum Deus vult, & sub hac unicè ratione non est malum morale: unde oportet, quod si velimus elicere talem actum, illum velimus sub alia ratione, in qua illum Deus non vult, & sic non esset conformis voluntas nostra cum voluntate Dei. Ratio primi est, quia quod agit Deus, ut auctor specialis, agit per motionem respicientem actum, ut vestitum omnibus circumstantiis, & eo modo, quo eliciendus est à creatura, ut diximus *num.* 3. & 60. Unde si creatura vult hoc, debet illud velle eo modo, quo Deus illud vult, & sic conformatur cum voluntate Dei.

Cum autem, quod Deus vult, ut agens universale, tantùm velit sub ratione boni physici, & sic non possit poni à creatura, si velit illud ponere in circumstantiis libertatis, &c. hinc est, quod illud non potest velle; quia nequit stare conformitas unius voluntatis cum alia. Et ratio hujus est, quia si creatura ponat entitatem peccati in illis circumstantiis, cognoscit infallibiliter ponendam esse malitiam ex ipsius defectibilitate, & sic si vult entitatem, quæ substernitur malitiæ, vult ipsam malitiam, quia malitia non erit nisi media voluntate, suppositâ libertate, & prohibitione. Sed Deus potest vellè hominem ponere entitatem in illis circumstantiis, quin velit malitiam consecutam, quia ut malitia consequatur, sufficit

esse

esse volitam ab alia voluntate, quę agit ut causa specialis, & moralis. Sic Deus de facto vult permissionem peccati, quæ non stat sine malitia, quin istam velit, quia ad hoc sufficit, quod Deus permittat, quod creatura vult efficere.

68. Nec desunt, qui asserant, unum hominem posse velle prædefinitionem ad materiale peccati erga alterum, non absolutè, sed prout conducere potest ad majorem ejus utilitatem, & uberiorem gratiam. Quod innuisse videtur Prophera, dum asserit: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum*. Et: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*. Sed hoc etiam monent agendum esse magna discretione; & videtur ad perfectos tantum viros pertinere, ne voluntas nostra dum id respectu aliorum postulat, in peccato complaceat. Sed respectu sui ipsius nullus potest id velle propter rationem datam.

69. Arg. 3. Si Deus est causa per se odij Dei, ut actio est, erit etiam causa per se exclusionis amoris ejusdem: sed hoc nequit admitti, cum Deus per se amorem sui ubique, & illum consulat, & præcipiat: ergo. Prob. seq. Qui est causa per se alicujus actus, ut impedientis, & expellentis alterum, est causa per se saltem indirecta exclusionis alterius: sed actus odij Dei etiam in esse physico expellit amorem Dei: ergo.

70. Resp. admittendo Deum esse causam indirectam exclusionis, & impedimenti purè physici amoris ejusdem; sed non est causa impedimenti moralis. Odium physicè acceptum habet bonitatem physicam, qualem amor physicè acceptus: nec est inconveniens, quod per unum bonum impediatur aliud, sicut per unam formam expellitur altera. Cumque Deus unicè sit agens physicum relatè ad odium Dei, nec illud respiciat, ut pertinet ad lineam moris; propterea non est causa impedimenti moralis: & unicè in linea moris opponuntur sicut accessus & recessus, amor & odium. Sic Deus concurrens ad actum odij elicitum ab amente, esset causa purè physica exclusionis amoris ipsius, & impedimenti purè physici. Et licèt entitas actus amoris dicatur magis bona etiam in esse physico, quàm actus odij physicè consideratus; cum tamen illa bonitas sit finita non necessitat Deum ne illam impediat per existentiam minoris boni.

71. Ult. arguunt adversi ex cap. Identitatis, quam habet materiale peccati cum malitia in sententia ipsorum, & plurium Thomistarum constituentium peccatum per aliquid po-

stitivum. Sed cum oppositum sit conformius menti P. Augustini, & Ang. Præceptoris, ut suo loco, Deo dante, propugnabimus; propterea hoc argum. non militat contra nos; & ideò illud prætermittimus. Ut autem non ignores quid admissâ illa sententia responderi potest à DD. qui nobiscum sunt in præsenti, nota, quod licèt entitas physica peccati, & malitia moralis sit unica entitas, quæ in esse physico dicit ordinem ad existentiam, & in esse morali ad objectum dissonum legi; tamen isti ordines sunt adæquatè distincti, & sic licet adunentur in unica entitate, habent tamen diversa constitutiva, quia linea physica habet constitutiva distincta à constitutivis lineæ moralis. Ex hoc igitur agens, quod sit tantum physicum, attinget illam entitatem, ut purè pertinentem ad lineam physicam: ut odium Dei, quod habet entitatem, & simul moralitatem, si fiat ab amente, fit sola entitas physica, non verò ejus moralitas, quia amens non est agens morale, cum agat sine libertate, & non ut subjectus regulis morum: ergo respectu hujus non identificatur entitas physica cum malitia, sed una est præscindibilis ab alia. Deus autem erga entitatem peccati est agens purè physicum, non morale, ut constat ex dictis; & ideò poterit efficere entitatem peccati, ut dicit ordinem ad existentiam, non verò sub ratione deformitatis, quia istæ formalitates tantùm identificantur, ut fiunt ab agente simul physico, & morali.

QUÆST. II.

DE PRÆDESTINATIONE.

POst considerationem eorum, quæ pertinent ad providentiam in communi, restat agere de providentia in particulari, quam Deus exercet erga electos: & hæc dicitur *Prædestinatio*, quæ idem est, ac *prævia destinatio*, & potest sumi tripliciter: 1. prout respicit omnes creaturas, quas Deus destinat in aliquem terminum, vel finem, secundùm quod dicimur destinare, quod mente firmiter proponimus: & in hoc sensu dicitur 2. Machab. 6. *Eleazarus destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem*, & sic est idem, ac prædefinitio æterna cujuscumque rei à Deo in tempore efficiendæ, in quo sensu dixit August. *Deus fecit futura, ea prædestinando.* Et *cap.* 17. *de Dono Persev. In sua, quæ falli, mutarique non potest præscientia opera sua futura disponere, id omninò nec aliud quidquam est prædestinare.*

Se-

2. Secundò accipitur prout respicit creaturas intellectuales in ordine ad aliquem terminum, ultra quem non est progressus, sivè ille sit gloria, sivè damnatio æterna, in quo sensu dicitur *cap. 3. Concil. Valent. Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Et Augustˉ. *tract. 46. in Joann. Videbat*, inquit, *eos ad sempiternum interitum prædestinatos.* Sed hæc acceptio non est propria, & rigorosa prædestinationis, quia æterna damnatio non est finis creaturæ rationalis, quem Deus primo, & per se intendat, illam creans. Vide ex *lib. Respons. ad art. Augustino falsò imposítos art.* 14. ubi dicitur, prædestinationem non esse de malis, sed de bonis. Et *lib. 6. Hypognost. cap.* 2. Unde 3. sumitur strictè prædestinatio pro æterna ordinatione creaturæ intellectualis ad æternam beatitudinem per certa, & determinata media: & in hoc sensu accipitur prædestinatio, dum absolutè profertur à PP. & Theologis.

De illa in 1. acceptione egimus *tract. 5. quæst. 3.* De 2. acceptione agemus *quæst.* 5. ut melius percipiatur natura electionis justorum, cognitâ reprobatione ipsi opposita. De 3. acceptione agimus in præsenti cum D. Thom. *quæst.* 23. de illa verò tractant Theologi antiqui in 1. *dist.* 40. & 41. Magnus autem P. Augustˉ. eleganter de hoc differit fere in omnibus suis operibus *de Grat.* præsertim in *lib. de Prædest. SS. de Dono Persev. in Epist. ad Sixtum*, & *de Nat. & Grat. &c.* Per Prædestinationis autem vocem non significari solam electionem ad gratiam, sed etiam ad gloriam docent communiter Theologi ex Augustˉ. *cap.* 21. *de Dono Persev. sup. Psalm.* 87. & *lib. de Grat. & Lib. Arb. cap.* 8. contra Vazquez.

ARTICULUS I.

DE COMPARATIONE Prædestinationis ad Providentiam.

§. UNICUS.

PROB. EXISTENTIA Prædest. & quod non sit pars subjectiva Providentiæ.

1. SUpponimus dari in Deo prædestinationem: hoc enim indubitatâ fide tenendum est contra plures gentiles, qui divinam præscientiam, & providentiam negavere. Expressè autem constat ex illo Matth. 25. *Possidete paratum vobis regnum ab origine mundi.* Et *ad Rom.* 8. *Quos prædestinavit, hos*

& vocabit. Et *cap.* 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Supra quæ August. *cap.* 18. *de Dono Persev. Hæc est illa electio, quia eos, quos voluit elegit in Christo ante constitutionem mundi, ut essent sancti, & immaculati in conspectu ejus, in charitate, prædestinans eos in adoptionem filiorum. Nullus igitur, qui hæc intelligit, negare, vel dubitare permittitur, ubi ait Apost.* Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit, *prædestinationem significare voluisse.*

2 Ratio ex D. Thom. est, quia cùm ad providentiam pertineat res in finem ordinare, ut dictum est *quæst. præc.* & hic finis sit duplex, alius scil. naturæ creatæ proportionatus, & alius, qui excedit facultatem naturæ, qualis est Vita æterna; oportet, quod natura transmittatur ab alio ad illud, ad quod non potest virtute suæ naturæ pervenire. Cùm autem creatura rationalis sit capax finis gloriæ, & ex se ad illum pervenire non possit, conveniens est, ut ad illum perducatur quasi à Deo transmissa. Ratio autem prædictæ transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ prædestinatio nominatur, nam destinare est mittere. Sed illa datur in Deo ab æterno, cum quidquid in tempore exequitur Deus, ab æterno in sua mente dispositum habeat, & in tempore plures Angelos, & homines ad gloriam transmittit, ut constat ex *tract. de Visione:* ergo.

3 Objic. vulgarem illam imperitorum hominum, & illusoriam ratiocinationem: Si à Deo prædestinatus sum, salvabor: si reprobus sum, damnabor, sive benè, sive malè vixero. Sic argumentabatur ille Monachus, de quo Augustinus *lib. de Dono Persev. cap.* 15. ait: *Fuit quidam in nostro Monasterio, qui corripientibus fratribus cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, respondebat: Qualiscumque nunc sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præscivit.* Hoc quidem verum est, sed non ideò debemus proficere in malum, quia electio ad gloriam à meritis objectivè dependet, ut dicemus; nullus enim adultus illam sine bonis operibus obtinet. Et vel ex solo creationis titulo habet Deus jus ne ullis injuriis afficiatur; undè semper malum est apponere iniquitatem iniquitati, & si reprobus es, & ex eo nova intendis flagitia perpetrare, thesaurizas tibi iram, & supplicium auges, quia Deus, ut summè justus, semper ultor est iniquitatis. Ex adverso si justitiam sequaris, bona opera deservient saltem ut mitiùs puniaris

ris in futuro, ut ait Aug. *lib. de Spir. & lit.* 28. & sicut nullum bonum irremuneratum, ita nullum malum impunitum: nullus ergo laborat sine fructu; nullus torpet sine damno.

4 Instat argum. N. Ægidius *in Opusc. de Prædest cap.* 3. quia si Deus prævidit te comesturum, de necessitate comedes, & sic superfluit labor tuus in victu quærendo, nec debes ire ad mensam, vel os aperire: si prævidit te non comesturum, quantumcumque pro victu sis solicitus, impransus eris. Similiter non debes medicum consulere in ægritudine, quia si Deus prævidit te nunc è vivis discessurum, nil medicus juvabit. Nec agricola debet agrum colere, ut fructus ferat; nec debes litteris vacare, quia si Deus agrum prævidit fore sterilem, vel te non fore eruditum, superfluus erit labor. Hæc ab omnibus deridentur: ergo similiter præfatum argum. Imò diabolus, qui melius logicam callet, nullam vim inesse huic argumento recognoscit; dum ipse nihil non agit, ut homines seducat, ac si omnia ex illorum tantùm industria penderent. Directè resp. ex dictis *tract. 6. q. 3. art. 4. num.* 21. *& seq.* Et ex D. Thom. à Villanova *conc. 2. de S. Nicolao*, dicente: *Neque tamen Dei præscientia, vel prædestinatio nebus necessitatem imponit: manet namque in homine ad bonum, & ad malum arbitrium liberum, quamvis Dei prædestinatio infallibiliter implenda sit: neque habet excusationem iniquus, si labitur in peccatum, neque meritum bonorum operum ex hoc prædestinatus amittit, quia licèt adsit ibi necessitas consequentiæ, non tamen consequentis.*

5 Quomodo autem prædestinatio differat à providentia exponit D. Thom. *quæst. 6. de Verit. art.* 1. *in corp.* ubi ait: Providentia dicit universaliter ordinationem in finem, tam respectu rationalium, quam irrationalium, tàm bonorum, quàm malorum: prædestinatio autem respicit tantum illum finem, qui est principalis rationali creaturæ, utpotè gloriam: & ideò non est nisi hominum, & eorum, quæ spectant ad salutem. Differt etiam alio modo, quia providentia tantum respicit ordinem in finem; sed prædestinatio respicit etiam ordinis exitum, unde non est nisi eorum, qui gloriam consequuntur. Vide *art.* 2. *quæst. præc. num.* 17.

6 Cum autem objectum particulare prædestinationis sub communi providentiæ objecto contineatur, quia munus providentiæ est res in finem dirigere, munus verò prædestinationis est has res in hunc specialem finem

nem tali modo dirigere, hinc prædestinatio quantum ad objecta dicitur à D. Thom. *hìc art.* 1. quædam pars providentiæ, & per consequens prædestinatio est pars objectiva providentiæ, quatenus objectum unius continetur sub latitudine alterius; ad modum quo tractatus de prædicabilibus dicitur pars objectiva logicæ, quatenus prædicabilia sunt quoddam particulare objectum contentum sub latitudine objecti logicæ. Hoc supponitur communiter contra Aureolum.

Dubium est an prædestinatio sit pars subjectiva providentiæ, id est inferior essentialiter illâ, ita illam contrahens, ut quamdam quasi diversam speciem constituat; & providentia diversificetur essentialiter, dum dividitur in providentiam naturalem Dei, & supernaturalem, electionem ad gloriam, destinationem impiorum ad pœnam, & providentiam ordinis hypostatici, ita ut in hæc dividatur tamquam in diversa attributa, sicut virtus moralis in misericordiam, justitiam, &c.

7 Affirmant Soto, Alvelda, Herrera, Suarez, & alij ex Societate, cum quibus Marin, & N. Alviz *pag.* 23. *de Prædest.* asserens esse quæstionem de nomine; negant verò communiter Thomistæ, & plures è Societate. Similiter negant Augustiniani, Gavardi cum Ægidio, Gibbon cum Cornejo, & Bernardino, & alij.

8 Dicimus *Prædestinationem non esse partem subjectivam providentiæ.* Prob. breviter. Providentia est una etiam virtualiter respectu eorum, ad quæ se extendit sub una ratione formali: sed ad omnia se extendit providentia sub una ratione formali, quia ratio ultimi finis est ratio formalis sub qua providentiæ, & illa est eadem in omnibus provisis: ergo *Explicatur.* Licèt finis proximus hujus rei differat ab alio alterius in particulari, uterque tamen ordinatur ulterius ad ostensionem divinæ gloriæ, & manifestationem divinę voluntatis: sed omnia provisa, & omnes illorum fines particulares respiciuntur à supremo provisore, ut conveniunt in illo ultimo fine, qui reliquos comprehendit: ergo respectu divinæ providentię omnia cadunt sub eadem ratione formali: & ideò diversitas finium particularium non diversificat rationem providentiæ quasi specificè, & attributaliter; ad modum quo omnipotentia est formaliter & virtualiter una, licèt plures effectus respiciat, quia illos respicit, ut conveniunt sub communi ratione entis creabilis: & similiter scientia omnia respicit

cit sub una ratione scibilis.

9 Pro solut. argumentorum insistendum est in vi hujus rationis, quia tantùm distinguuntur virtualiter, quæ sunt diversi ordinis, seu quæ addunt aliquid supra rationem communem, se tenens ex parte rationis formalis, secus si illud se teneat ex parte objecti, seu connotati materialis: & sic se habet efficacia mediorum, & consecutio gloriæ, quas addit prædestinatio supra providentiam generalem; hoc enim non est aliquid se tenens ex prate rationis formalis providentiæ, seu finis ultimi, sed tantùm ex parte connotati materialis. Sic licèt scientia visionis addat aliquid supra scientiam ut sic, scil. presentiam objecti, tamen non est pars subjectiva, sed objectiva divinæ scientiæ. Et licet intellectus practicus addat supra intellectum ordinem in operationem, non est pars subjectiva illius, quia ratio practici non se tenet ex parte objecti formalis. In Deo dantur virtutes morales virtualiter distinctæ, quia non specificantur à fine ultimo ex parte operantis, sed ab objecto proprio: illa autem objecta sunt formaliter diversa v. gr. aliena miseria ut sublevanda, jus alterius servandum. Providentia autem, quæ est virtus universalissimi provisoris respicit finem universalissimum, à quo quælibet ordinatio accipit omnimodam unitatem. Nec inter providentiam, & prædestinationem intercedit oppositio, quæ datur inter divinas relationes; & ideò licèt istæ plurificentur, illæ non diversificantur, aliàs si paritas teneret, providentia, & prædestinatio realiter differrent inter se.

Hìc agendum erat de necessitate prædestinationis, sed pro majori incipientium utilitate, placet præmittere illius diffinitionem.

ARTICULUS II.

QUID SIT, ET IN QUO actu consistat Prædestinatio?

§. I.

PONITUR DIFFINITIO tradita ab Augustino.

1 *Prædestinatio* strictè sumpta diffinitur à D. Thom. in præsenti per hoc, quod sit *ratio transmissionis, vel ordinis creaturæ rationalis in salutem æternam in mente divina existens.* Vide *num.* 2. *art. præc.* Communior tamen, & usitatior prædestinationis diffinitio est illa, quæ traditur à P. August. *lib. de Dono Persev. cap.* 14. *Hæc est*, inquit, *prædestinatio Sanctorum, nihil aliud;*

Præscientia scil. & pręparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur. Hanc diffinitionem esse normam totius tractatus testatur P. Ramirez *hìc art.* 1. *num.* 21. Sed non ab omnibus unanimiter exponitur juxta Augustini mentem, sed prout postulant uniuscujusque principia.

2 Dicimus, quod de mentè S. D. nomine *præscientię* non potest intelligi scientia media, sed scientia absoluta, & visionis. Ita P. Tyrsus contra Molinam. Et constat ex dictis *tractat.* 5. *quæst.* 4. *art.* 2. ubi ostendimus illam scientiam non esse de mente S. Doctoris. Et ulterius prędscientiam sumptam pro scientia media rejicit S. Doct. *cap.* 17. *de Prædest. SS.* dicens: *Hęc est immobilis veritas prædestinationis, & gratiæ. Nam quid est quod ait Apost.* Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem? *Quod profectò si propterea dictum est, quia præscivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes; contra istam prędscientiam loquitur Filius, dicens:* Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: *Cum hoc potius præscierit Deus, quod ipsi eum fuerant electuri, ut ab illo mererentur eligi. Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit.* Sed præscientia in illa prædestinatione absdubio est scientia absoluta juxta Augustt. ergo.

3 Et cum *cap.* 18. adduxisset verba Apost. *ad Ephes.* 1. *Ut ostenderet nobis mysterium voluntatis sue secundùm bonam voluntatem suam*, ait: *In hoc mysterio voluntatis suæ posuit divitias gratiæ suæ, secundùm bonam voluntatem suam, non secundùm nostram: quæ bona esse non potest, nisi ipse secundum bonam voluntatem suam, ut bona fieret, subveniret.* Et infra: *Sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum, non nostrum, sed ejus, qui universa operatur.* Et hæc est præscientia, quam posuit in definitione prędestinationis, quia de illa in hoc sensu differit in his libris. Illa autem non est scientia media, quæ est præscientia secundùm voluntatem nostram, & consensûs nostri, seu cognitio actus nostri liberi non in voluntate Dei, vel in proposito, decreto, & prædestinatione ipsius, sed in voluntate creata.

4 Id ulterius constat ex contextu, & intentione illius *cap.* 14. nam ibi intendit explicare quomodo prædestinationis diffinitio non adversetur utilitati prædicationis, & correptionis, uti ipsi objiciebant Pelagiani: non esset autem locus huic objectioni, si in definitione prædestinationis includeret

Au-

Augustſcientiam mediam. Rursus, prædestinatio est Deo valdè libera, & gratiosa adæquatè sumpta: sed scientia media, esto contingens, non est Deo libera: ergo.

5 Nomine ergo præscientię intelligitur scientia libera approbationis, & in illa stat ratio generis, quæ postea determinatur tamquam per differentiam, per particulam *prę-paratio beneficiorum Dei*; per hoc enim nomen declaratur, prædestinationem non esse quamcumque cognitionem, sed practicè practicam, secundùm quam dicitur aliquis se præparare ad agendum; quæ prępara-ratio in agentibus per intellectum nihil aliud est, ait D. Th. *hìc art. 2. ad 3.* quam præconcipere rationem operis fiendi, quod optimè quadrat imperio: unde præparatio addit supra pręscientiam præconceptionem modi fiendi operis, qualiter scil. & per quæ media sit ultimò mandandum executioni: & hæc media significantur per ly *beneficiorum Dei*, hoc est præparatio gratiæ habitualis, actualis excitantis, & adjuvantis, & bonorum operum, quibus gloriam æternam promeremur; hæc enim sunt beneficia, & dona, quæ Deus prædestinatis confert, & quæ coronat Deus tamquam dona sua, ut ait Augustſ. *de Grat. & Lib. Arb. cap. 6. Si ergo*, inquit, *Dei dona sunt bona merita tua, non coronat Deus merita tua, tamquam merita tua, sed tamquam dona sua.* Per ultima verba, *quibus certissimè liberantur, &c.* declarat intrinsecam efficaciam mediorum, seu auxiliorum gratiæ, quibus electi ad æternam beatitudinem infallibiliter perducuntur.

6 Subjectum *cui* prædestinationis est sola creatura intellectualis; sola enim hæc est capax finis gloriæ: & hęc persona sic ad illum ordinata dicitur ab aliis finis *cui*. Finis *qui* prędestinationis est ipse Deus: Finis *cujus quo* est ipsa actualis consecutio summi boni, vel ipsa visio Dei. Objectum prædestinationis est gratia, & merita in recto, & gloria tantùm in obliquo, quia objectum præscientiæ, & præparationis sunt media, & beneficia Dei, quibus prædestinati salvantur, ut apparet ex diffinitione Augustin. constatque, quia providentia, cujus pars est prædestinatio, directè versatur circa media ea ordinando, & præparando ad finis præintenti consecutionem: unde finis indirectè, & in obliquo attingitur, & ideò in Scriptura, & PP. modò significatur prędestinatio per ordinem ad gloriam, modò per ordinem ad gratiam, quia utrumque respicit prædestinatio.

§. II.

ASSIGNANTUR ACTUS *concurrentes ad Prædestinationem, & statuitur conclusio.*

7 VArij actus enumerantur ab AA. circa providam alicujus finis consecutionem, & latè de illorum natura, & necessitate pertractant in 1. 2. *à quæst.* 11. Sed nos unicè de illis agemus in præsenti prout deserviunt ad quæstionis intelligentiam. Igitur, ut Petrus v. gr. gloriam per hæc media consequatur, primò requiritur Deum cognoscere possibilem esse gloriam hominum, & Angelorum, & possibilitatem mediorum: & hæc cognitio spectat ad scientiam simplicis intelligentiæ. Post actum hunc *apprehensionis*, sive judicij bonitatis finis secundùm se considerati oritur in voluntate primus actus, qui est *simplex volitio*, vel simplex complacentia in illius bonitate. Postea sequitur *judicium* intellectus de convenientia assecutionis illius finis, & voluntas prorrumpit in alium actum, qui dicitur *intentio efficax* ratione cujus attingit bonitatem finis, ut per media consequibilem, intendendoque illius consecutionem.

Progreditur intellectus ad inquirendum de mediis; per actum *consilij*, & varia indifferenter proponit voluntati, circa quæ oritur in voluntate quædam complacentia, que vocatur *consensus*: & tunc intellectus procedit ad *judicium* de majori conducentia mediorum, hujus scil. præ alio, & in hoc judicio terminatur consilium intellectus. Postea oritur in voluntate actus *electionis*, quo acceptat, & præfert media judicata ab intellectu conducentiora. Et in hoc actu terminatur ordo intentivus, & incipit executivus.

Perseverante voluntate in efficaci mediorum electione, & conatu consequendi finem, progreditur intellectus *ad imperium*, per quod statim voluntas prorrumpit in actum *usus activi*; & per illum completè determinata applicat potentias executivas ad mediorum electorum executionem: Hæc executio dicitur *usus passivus*; ad quem sequitur *possessio* finis: possessionem autem consequitur *fruitio*, *delectatio*, & *gaudium*. Sic terminatur tota series actuum intervenientium in provida cujuslibet finis consecutione.

8 Dubium est in præsenti de *judicio*, quo Deus cognoscit efficaciam mediorum, quod immediatè regulat electionem: an scil. in hoc actu consistat præ-

def-

destinatio, an in actu *imperij*, qui subsequitur electionem. Mag. Carrasco pro se allegans Mag. Serna in M. S. Bañez, & alios, docet consistere in judicio præcedente electionem. Contrarium tenent communiter Thomistæ tàm illi, qui cum Godoy propugnant in Deo imperium monalticum, quàm alij, qui illud rejiciunt, ut Sancto Thoma, Montalvan, Palanco, & alij, quibus subscribit Mag. Perez Dominicanus Complut. in M. S. Ex nostris Puteanus *quæst.* 23. *dub.* 3. Cælestinus Brunus *quodlib.* 14. *cap.* 2. Gibbon cum Bernardino, Gavardi, Sichrovvsky, & alij cum fundamentali D.

9 Cum autem prædestinatio sit pars objectiva providentiæ, ut diximus, eodem modo loquendum est de constitutivo unius, ac alterius: unde dicimus, *prædestinationem non consistere formaliter in actu voluntatis, sed in actu intellectus: hic autem actus est imperium ad electionem subsecutum, sed non monasticum.*

Hæc conclusio probata est *quæst. præc. art.* 2. §. 2. & 4.

10 Dicimus 2. *prædestinationem non consistere in judicio regulante mediorum electionem.* Hoc prob. ex dictis *ibi* §. 2. *n.* 9. Et ulterius ex D. Thom. asserente *hic quæst.* 22. *art.* 1. *ad* 1. *Prudentia propriè est præceptiva eorum de quibus eubulia rectè consiliatur, & synesis rectè judicat. Unde licèt consiliari non competat Deo, secundum quod consilium est inquisitio de rebus dubiis; tamen præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit Deo secundum illud Psalm.* 148. Præceptum posuit, & non præteribit. *Et secundum hoc competit Deo ratio prudentiæ, & providentiæ.* Et *quæst.* 23. *art.* 4. ait: *Prædestinatio secundum rationem præsupponit electionem, & electio dilectionem. Cujus ratio est, quia prædestinatio, ut dictum est, est pars providentiæ: providentia autem, sicut & prudentia, est ratio in intellectu existens præceptiva ordinationis aliquorum in finem.*

Ex quibus sic, quia prædestinatio est pars providentiæ, & providentia est pars prudentiæ, & prudentia propriè est præceptiva, inde infert prædestinationem, & providentiam consistere in imperio de ordinandis in finem, seu quod *secundùm hoc*, id est præcipere, *competit Deo ratio prudentiæ, & providentiæ*: ergo.

11 Respondet Carrasco, prudentiam humanam respicere præceptum, ut actum primarium, divinam verò, ut actum secundarium, quia prudentia humana respicit, ut proprium ac-

actum imperium monasticum, executivum verò, quod est in ordine ad subjecta externa, respicit, ut actum secundarium. In Deo autem, cum non detur imperium monasticum, non datur primarius actus prudentiæ, & providentiæ: datur quidem imperium executivum, sed in illo non consistit prædestinatio, quia hoc est imperium ad extra, quod coincidit cum externa gubernatione prædestinatorum, & sic ad illud præsupponitur prædestinatio, & providentia.

12 Sed contra, quia dum D. Thom. agit de prædestinatione, & providentia Dei, testatur esse partes prudentiæ, ex eo quod Deo competat actus proprius prudentiæ, scil. præcipere; & quia præcipere de ordinandis in finem competit Deo, ideò ait, Deo convenire rationem prudentiæ: ergo sine fundamento dicitur, quod dum assignat imperium pro præcipuo, & proprio actu prudentiæ, loquitur de prudentia humana, & non de divina. Similiter, incongruè dicitur, imperium Dei esse tantùm executivum ad extra, ita ut sit prædestinatorum gubernatio, supponatque providentiam, & prædestinationem; quia *præcipere*, secundùm quod competit Deo ratio prudentiæ, providentiæ, & prædestinationis, est juxta D. Thom. in primo testimonio *de ordinandis in finem*, in 2. testimonio est *ratio præceptiva ordinationis in finem*: sed imperium prædestinationem supponens non est *de ordinandis, sed de ordinatis in finem*: ergo nulla est ratio cur asserat hic A. prudentiam Dei respicere imperium, ut actum secundarium. Imperium executivum, quod supponit imperium prudentiæ, & providentiæ, explicatum est *quæst. præc. art. 2. num. 15.*

13 Tertiò juxta D. Thom. 2. 2. *quæst. 49. art. 6. ad 3. In recta ordinatione ad finem, qui includitur in ratione providentiæ, importatur rectitudo consilij, & judicij, & præcepti; sine quibus recta ordinatio ad finem esse non potest*: ergo sine rectitudine præcepti nequit esse recta ordinatio ad finem: sed in providentia essentialiter includitur ordinatio ad finem, & ratio providentiæ perfectè Deo competit: ergo antequam ordinatio illa fiat per præceptum, vel imperium divinum, non intelligitur perfecta, & completa in esse ordinationis. Ergo præceptum est principalis actus etiam providentiæ divinæ.

14 Secundò prob. directè concluſ. & impugnatur solutio ex D. Thom. *hìc quæst. 23. art. 4.* dicente: *Prædestinatio secundùm rationem præsupponit electionem.* Ergo prædestinatio non con-

consistit in judicio præcedente electionem, sed potius in actu subsequente, vel præsupponente electionem.

15 A rat. prob. Prædestinatio consistit in actu intellectus ab intrinseco efficaci, seu inferente infallibiliter media determinata, quibus gloria obtineatur: sed judicium immediatè regulans electionem non est tale: ergo non est prædestinatio. Prob. min. ex D. Thom. *quæst.* 22. *de Verit. art.* 15. dicente: *Electio est ultima acceptio, qua aliquid accipitur ad prosequendum, quod quidem non est rationis, sed voluntatis: nam quantumcumque ratio unum alteri præferat* (en loquitur de judicio non indifferenti, sed determinato, & prælativo unius præ alio) *nondum est unum alteri præacceptatum ad operandum, quousque voluntas inclinetur in unum magis quàm in aliud: non enim voluntas de necessitate sequitur rationem.* Ergo judicium immediatè regulans electionem, etiamsi sit prælativum unius præ alio, non infert infallibiliter electionem voluntatis, nec connectitur cum executione mediorum, cùm adhuc illo supposito voluntas possit non eligere; *non enim de necessitate sequitur rationem.* Sed judicium non inferens infallibiliter electionem, & executionem mediorum non est ab intrinseco efficax: ergo.

16 Si dicas, illud judicium esse efficax, ut acceptatum à voluntate per sequentem electionem. Contra. Ergo tale judicium non est ab intrinseco efficax, quia quod est tale, non est tale, quia acceptatur, sed quia ex se causat, & infert acceptationem: sicut dicimus, auxilium tantum efficax à consensu prævisо non esse ab intrinseco efficax. Ratio. Illud judicium, vel ex se infert infallibiliter, & à priori acceptationem voluntatis per sequentem electionem, vel non? Si non infert: ergo non est efficax ab intrinseco, ut patet. Si infert: ergo non est efficax præcisè, ut acceptatum à voluntate, quod est contra solutionem, & contra D. Thom. laudatum.

§. III.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

17 OBj. ex D. Thom. *hìc quæst.* 22. *art.* 1. *ad* 1. ubi data solutione à nobis laudata *numer.* 10. prosequitur, *vel dicendum, quod ipsa ratio rerum agendarum consilium in Deo dicitur, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes inquirendo perveniunt. Unde dicitur ad*

Ephes.

Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ecce (ait Carrasco *dub.* 1. *de Prædest. num.* 64.) ubi judicium ponit actum primarium divinæ prudentiæ. Quod & docet (inquit) *in* 1. *cont. Gent. cap.* 93. *num.* 7. ubi postquàm prudentiam à Deo relegat quantum ad actum consilij, quia consilium est quædam inquisitio, subdit: *Secundùm autem actum illum, qui est de consiliatis judicare, & judicata eligere, nihil prohibet prudentiam de Deo dici.* Ubi agendo ex professo de Dei prudentia, nullam mentionem facit imperij: sentit ergo actum primarium divinæ prudentiæ non esse imperium, sed judicium antecedens electionem. Hæc Carrasco.

18 Resp. proponendo argum. quod sibi objecit S. D. ut mens illius pateat. Videtur, inquit, quod providentia Deo non conveniat. Providentia enim secundùm Tullium est pars prudentiæ: prudentia autem, cum sit benè consiliativa secundum Philos. Deo competere non potest, qui nullum dubium habet, unde eum consiliari oporteat: ergo providentia Deo non competit. Ad hoc argum. respondet D. Thom. 1. negando non esse in Deo prudentiam, ex quo in ipso non detur consilium secundùm quod dicit de imperfectione, seu inquisitione de rebus dubiis: esto enim hoc non detur in hoc sensu, salvatur in Deo prudentia, quia proprius actus hujus est præceptum, seu consistit in præcipere de ordinandis in finem: sed Deo competit sic præcipere: ergo Deo competit prudentia, & providentia, licèt ipsi non competat consilium secundùm id, quod dicit de imperfectione. Vide verba S. D. *numer.* 10.

Hæc est genuina mens Ang. Præcept. ut legenti patebit. Sed quia solutio nititur in eo, quod consilium prout dicit inquisitionem non pertinet essentialiter ad prudentiam, & ideò hæc potest Deo competere quin detur in ipso consilium; procedit S. D. non ad præstandam alteram solutionem, ut existimat Carrasco, sed ad statuendum, an in Deo detur consilium in aliquo vero sensu, & pro hoc ait: *Quamvis etiam dici possit, quod ipsa ratio rerum agendarum consilium in Deo dicitur, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes inquirendo perveniunt*: per quæ verba nihil aliud statuitur, nisi sensus, in quo, ultra præceptum, possit in Deo admitti consilium. Ceterum ex hoc litteræ obvio contextu qua ratione infertur, S. D. per hæc verba statuere *judicium* tamquam prima-

marium actum divinæ prudentiæ?

19 Nec hæc consequentia deducitur etiam apparenter ex textu *contra Gentes*, ubi solum asserit, quod *nihil prohibet* prudentiam de Deo dici secundùm actum illum, qui est de consiliatis judicare, & judicata eligere. Quis hoc negat? Sed quis ex hoc rectè inferet: ergo primarius actus prudentiæ est judicium antecedens electionem? Ex ipso enim S. D. possumus dicere, quod licèt de ratione prudentiæ sit esse benè consiliativam, nihil prohibet prudentiam in Deo dari secundùm illum actum, qui est rectè consiliare, quia nihil prohibet consilium in Deo admittere, si sumatur non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis; infertur ne ex hoc: ergo actus benè consiliandi est primarius actus prudentiæ? Neutiquam, quia aliud est, quod in ratione prudentiæ, & providentiæ includatur rectitudo consilij, & judicij, ut diximus ex D. Thom. *num.* 13. aliud quod hic actus importetur in recto, & ut principalis actus: alias etiam de prudentia humana probaretur, illius primarium actum esse benè judicare de consiliatis, cum nihil prohibeat, prudentiam de homine prudente dici secundum illum actum judicij.

20 Nec D. Thom. ibi tribuit Deo prudentiam secundùm illum actum tantum, *qui est de consiliatis judicare*, sed addit: *& judicata eligere*: sed actus, qui involvit *eligere judicata*, non est judicium antecedens electionem: ergo actus secundùm quem nihil prohibet prudentiam de Deo dici, juxta D. Thom. non est judicium antecedens electionem; sed cum supponat electionem de judicatis, erit actus imperij, seu judicij ad illam subsecuti. In illis ergo verbis involvit D. Thom. imperium; cum ad rectam ordinationem ad finem, & per consequens ad rationem providentiæ, & prædestinationis, non sufficiat rectitudo consilij, & judicij, sed ulterius requiratur rectitudo præcepti, ut vidimus ex ipso *num.* 13.

21 Arg. à rat. Voluntas nequit mediâ electione acceptare unum præ alio, nisi à ratione determinetur ad unum: ergo nisi ad electionem præcedat judicium determinatum, & cum electione connexum. Sed hoc ipso judicium regulans electionem infert infallibiliter executionem: ergo in illo consistet prædestinatio. Prob. 1. cons. Si enim judicium illud non sit determinatum, & cum electione connexum, etiam illo supposito, manebit voluntas indifferens, & non determinata: ergo

vel ab illa non exibit actus, cùm ab indifferenti nullus actus oriatur, vel irrationabiliter exibit, cùm non exeat per rationis determinationem.

22 Resp. argumentum æquè militare contra prudentiam humanam, cùm voluntas rationabiliter eligit: cur enim si debet præcedere illud judicium determinatum, ille non est primarius actus prudentiæ humanæ, qualiter dicitur esse prudentiæ divinæ? Similiter instatur in quovis actu voluntatis, quia si in omnibus est appetitus rationalis, quomodo pro primo actu voluntatis non præcedit judicium determinatum, & cum illo connexum? Et si præcedit judicium ita determinatum, quomodo cum illo componitur libertas? Directè resp. distinguendo antec. Nisi determinetur objectivè, & quoad speciem actus, conc. Subjectivè, & quoad exercitium, nego. Requiritur quidem, quod ex parte objecti proponatur sufficiens ratio ob quam voluntas potiùs acceptet unum, quam aliud, quia hoc exigit natura appetitus rationalis; & sufficiens ratio adest, ut rationabiliter transeat de indifferentia ad actum, dum supponitur judicium prælativum unius præ alio, non tamen requiritur, quod illa major ratio proponatur per judicium determinatum, vel determinans quoad exercitium, quia aliàs ipsa voluntas necessitaretur ad eligendum, cum tamen in sua propria indifferentia subdatur soli Deo, dum illam bonum non rapit necessario. Determinari ergo, ita ut infallibiliter ponatur in actu, pertinet ad causam primam, & ad ipsius voluntatis facultatem. Et sic stante judicio regulativo electionis voluntas erit indifferens, ut docet D. Thom. *num.* 15. & non exibit in actum, nisi à Deo determinetur, quia hoc suadet illud proloquium *ab indifferenti ut tali*, &c. Unde judicium non est ita determinatum, ut ab intrinseco cum actu connectatur, sed solum est efficax dependenter ab acceptatione voluntatis, ut diximus *num.* 16.

ARTICULUS III.

AN ALIQUIS POSSIT salvari qui non sit prædestinatus?

§. UNICUS.

RESOLVITUR DUBIUM negativè.

1 SUpponimus nullum in hac providentia consequi salutem sine prædestinatione, quia ut ait Augustin. per prædestinationem *liberantur*

tum quicumque liberantur. Et N. S. Fulgent. inter opera August. in *Appendice tom. 3. lib. de Fide ad Petrum, cap. 35. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo: neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad Regnum Cælorum: nec quemquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari. Prædestinatio enim illa gratuitæ donationis est præparatio, qua nos Apostolus ait prædestinatos in adoptionem filiorum Dei per Jesum Christum in ipsum.*

2 Hoc supponunt communiter AA. contra Catherinum, qui *lib. 2. de Prædest. cap. ult. & lib. 3. cap. 1. & 2.* docet, iis tantum concessum esse beneficium prædestinationis, qui eximia fulgent sanctitate, & dignitate, ut Beatissima Virgo, Apostoli, & alij, qui in gratia dicuntur confirmati: reliquos verò homines relictos à Deo putat sub communi providentia, & illis, qui salvandi sunt, gloriam decet fuisse à Deo propositam communi voluntate antecedenti, quos decrevit salvare post prævisa merita, illis providendo communem gratiam, quam sub illorum reliquit arbitrio. Et similiter erga damnandos docet non reprobari à Deo nisi ex prævisione peccatorum usque ad mortem: & de his duobus ordinibus docet non fuisse certum numerum ante perseverantiam in bono, aut in malo, quia liberum erat utrisque salvari, aut damnari. In primo verò ordine, ubi collocat, quos eximiè prædestinatos vocat, certum numerum admittit, quia ita Deus voluit illis dare gloriam ante prævisionem eorum perseverantiæ in meritis, ut non relinqueretur illis liberum non perseverare. Ita etiam Okan, & Gabriel, licèt isti non renuant, eos, qui sunt in secundo ordine, prædestinatos vocare.

In Catherinum acriter invehuntur AA. præcipuè Soto, Cordova, & Camerarius apud Vazquez *hìc disp. 90. cap. 3.* & ajunt opinionem illius esse temerariam, contra Scripturam, & notâ erroris dignam. Vazquez verò ostendit, in pluribus lapsum, & deceptum fuisse Catherinum, præcipuè quia non intelligens mentem, & sententiam Augustini ipsum impudenter impugnat, & in sententiam illius suo modo explicatam maledictis procaciter fertur, in quo turpissimè (inquit Vazquez) lapsus est.

3 Dubium ergo est, an ut creatura rationalis gloriam asse-

quatur per merita, necessaria sit prædestinatio? Affirmant Thomistæ, & illis suffragantur Suarez, Thyrsus, Munièssa, & alij. Negant, loquendo de alia providentia, Quiros, Herrera, & Ramirez. Alij distinguentes prædestinationem formalem, quæ est, quæ tribuit media, quibus certissimè liberentur ex intentione gloriæ; à prædestinatione materiali, seu laxa, quæ est, per quam tribuuntur illa media, sed non ex intentione gloriæ; dicunt neminem posse salvari in ulla providentia sine prædestinatione materiali: in alia verò providentia omnes creaturas rationales posse salvari sine prædestinatione stricta, & formali. Ita Marin cum Rivadeneira, & Junio. Contra hos.

4 Dicimus *repugnare in omni providentia aliquem salvari sine prædestinatione formali.* Prob. Nullus potest salvari sine ea prædestinatione, de qua verificatur diffinitio tradita ab August. *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur*: sed ista est prædestinatio stricta, & formalis, ut non diffitentur adversarij: ergo. Prob. maj. Sine præscientia, & præparatione beneficiorum Dei fieri non potest, ut aliquis gloriam adipiscatur: aliunde beneficia ista talia essent, ut illis certissimè liberaretur quicumque liberaretur: ergo. Minor patet, quia illa creatura consequeretur gloriam mediis illis beneficiis, ut supponimus: ergo certissimè liberatur. Prob. maj. Implicat Deum conferre beneficia gratiæ suæ, quin præsciat ea se daturum, aliter dabit nesciens: sed aliàs beneficia, quæ in tempore elargitur, ab æterno voluit, & constituit dare (secus inciperet aliquid velle in tempore) & nihil aliud est præparare: ergo sine præscientia, & præparatione, &c.

5 Dices, Deum præscire, & præparare beneficia sua, sed non ex fine gloriæ, sed ex fine tantùm constituendi creaturam liberam ad benè, & salutariter operandum: ex hoc autem non tenetur Deus velle salutem volitione antecedenti, ex qua oriantur media, cum Deus omninò liber sit, ut velit salutem volitione, vel efficaci, vel inefficaci. *Sed contra*, 1. quia vi illorum mediorum conferenda est beatitudo, ut supponimus: ergo vel collatio beatitudinis est fortuita, & casualis respectu Dei, vel causalitas meritorum erga gloriam est à Deo decreta: primum dici non potest, si secundum: ergo Deus ab æterno decrevit dare gloriam; & sic præscivit, & præparavit beneficia, quibus creatura certissimè liberabitur, quia nihil aliud est

ctu præparare, ut dixi, & per consequens stricte prædestinavit.

6 2. Dum Deus confert in actu secundo, & in executione gloriam, absdubio habet intentionem, & vult dare illam in vi præcedentium meritorum: sed quidquid Deus in tempore exequitur, prævoluit ab æterno: ergo ab æterno habuit intentionem conferendi gloriam in vi talium meritorum: ergo præparavit, seu decrevit ab æterno conferre beneficia sua cum intentione, & ex fine conferendi gloriam in vi illorum. 3. Dato Deum præparare beneficia sua ex fine constituendi libertatem creaturæ, debet saltim in alio signo decernere salvare illam in vi meritorum liberè elicitorum, si de facto salutem est consecutura: ergo, ut salvetur, debet esse stricte prædestinata; quia regulativum posterioris decreti debet esse actus prædestinationis formalis, cum per illud decernatur causalitas meritorum ex fine gloriæ, & non collatio beneficiorum ex fine libertatis. Ant. pat. quia aliàs salutem consequeretur creatura, quin Deus decrevisset illam salvare, & præter illius voluntatem, & intentionem.

7 4. Perseverantiæ donum nequit à Deo conferri tali creaturæ, quam prævidit salutem consecuturam ex solo fine libertatis v. gr. sed etiam ex intentione salutis prævolitæ: sed sine perseverantia finali in bono non salvaretur illa creatura: ergo nec sine prædestinatione formali. Prob. maj. Donum illud perseverantiæ ordinaretur ex se, vel esset connexum cum salute, saltim ex præscientia, & decreto, quod Deus habet de futura liberatione talis creaturę sub illis meritis: ergo. Prob. conf. Ubi res una est propter aliam, implicat velle existentiam illius, quin etiam Deus velit, ut existat propter alteram; quia Deus nequit velle illam existere aliter, quàm potest existere: tantum autem potest existere, ut ad aliam ordinata: ergo si donum perseverantiæ ordinatur ad gloriam, Deus debet velle illud, ut ordinatum ad finem gloriæ, & sic ex intentione gloriæ.

8 Nec valet dicere cum Ramirez, quod licèt beneficia gratiæ ordinentur ex se ad gloriam, tamen Deus illa conferens non tenetur intendere finem, ad quem ex se ordinantur, quia prædestinatio non consistit in ordinatione intrinseca donorum ad gloriam, sed in extrinseca Dei in talem finem. Cum autem illa dona sint conducentia ad alios fines, potest Deus pro suo arbitrio illa conferre ex hoc, vel illo fine, non

præ-

præcisè ex intentione salutis. Sicut licet longa studia ex se ordinentur ad magnum præmium, & ad obeunda præclara munera; non ideò, qui per longum tempus, & cum magno scientiarum profectu litteris vacat, tenetur operari ex illo fine, sed vel ad evitanda vitia, vel ad instruendos alios, vel ad mentem nobilitandam, addita positiva nolitione dignitatum.

Sed contrà; quia longa, & prolixa studia non ita connectuntur cum dignitatibus, sicut dona Dei cum salute: Deus enim non solum præsciret ab æterno illa merita, & perseverantiam ordinari ex se ad beatitudinem, sed quod de facto creatura illa non prædestinata, mediis illis salutem erat consecutura, etsi Deus non illa conferret ex intentione consecutionis salutis (quod judico impossibile, quia ille finis gloriæ esset ultimus in executione, utpotè ad quem ordinaretur ipsa volitio constituendi creaturam liberam, ac per consequens esset primus in intentione) Præsciret etiam Deus ab æterno creaturam illam non invitam, sed volentem futuram esse beatam, quia ad hoc vult Deus illam liberam constituere.

9 Sicut ergo Princeps mittens aliquem ad scholas, ut medio litterarum studio vitet otia, & sciat vitare vitia, ac post longam, & laboriosam aliorum instructionem velit illum magno honore cumulare, prævidens illum sponte dignitatem acceptaturum; sicut, inquam, hic Princeps ordinatè volens non posset apud se constituere illum ad dignitatem evehere, post illos longos labores, & simul mittere ad scholas præcisè ex fine, ut alios ibi instrueret; ita etiam Deus, qui ordinatissimè vult, nequit illa dona, per quæ certò scit, & vult creaturam salvare, præcisè conferre ex alio fine à salute.

10 Verum est, beneficia Dei posse conferri ex hoc, vel illo fine, & Deum esse liberum antecedenter, ut velit salutem volitione efficaci, ex qua oriantur media, sed hoc probat posse Deum non velle creaturam salvare, vel non decernere causalitatem mediorum erga gloriam; quod erit separari collationem beneficiorum Dei à tali causalitate erga gloriam. Cetèrùm semel ab Deus prævideat, talem creaturam salvandam fore mediis illis bonis meritis, non potest non descendere collatio illa ex intentione, ut creatura consequatur salutem, & per consequens illa creatura erit strictè prædestinata.

11 Confirmantur hæc omnia ex August. 17. *de Dono Persev.* ubi redarguit Semipelagianos

rios (asserentes prædestinationis definitionem utilitati prædicationis adversam) per hoc quod juxta ipsos castitas, pietas, & alia, quæ Dei dona esse fatebantur, prædicationem definitionis prædestinationis nullatenus impediebant. Ergo illa dona (infert Augustin.) vel erant prædestinata, vel non? Secundum dici non potest, primum suadet intentum: ergo. Subsumpta probatur ab August. in hunc modum. *An forte nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nescivit. Quod si & dantur, & ea se daturum esse præscivit; profectò prædestinavit.* Ex quo sic. Vel Deus daret creaturæ, de qua loquimur, beneficia gratiæ suæ ita ut ea se daturum esse præsciret, vel non? Si secundum: ergo nesciens in quem terminum creaturam perducerent, dona illa conferret. Si autem se daturum esse dona illa, quibus creatura salutem consequatur, præscivit, en Augustini illationem: ergo *profectò prædestinavit.* Et quidem hoc intelligendum esse de prædestinatione stricta, apparet ex forma à nobis proposita; quia si Deus præsciens dona illa perductura esse creaturam in ultimum finem gloriæ, talia dona confert, non apparet qualiter illa dona conferat, sine prævolitione salutis, seu manifestandi se ipsum clarè creaturæ, cùm universa propter semetipsum operetur.

12 Ult. suadetur conclus. ex D. Thom. *hìc art.* 1. Nulla creatura potest consequi gloriam per vires suę naturæ: ergo ut eam consequatur necesse est, ut à Deo ad illam transmittatur. Nequit autem Deus sic in illam beatitudinem creaturam transmittere, nisi apud se habeat talis transmissionis rationem, cum sit agens per intellectum, & voluntatem. Sed ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam est prædestinatio formalis: igitur repugnat creaturam aliquam ad gloriam in quacumque providentia pervenire sine stricta prędestinatione. Primum antec. est de fide. Conseq. prima ostenditur à D. Thom. per hoc quod ad id, ad quod non potest aliquid virtute suæ naturæ pervenire, oportet quod ab alio transmittatur; sicut sagitta à sagittante mittitur ad signum. Cetera constant.

Pro contraria sent. nullo alio fundamento utuntur Ramirez, & Marin, quàm adducto *num.* 5. cujus solutio constat ex dictis; præcipuè *num.* 10.

* * * \

QUÆSTIO III.

DE CAUSIS PRÆDESTINATIONIS.

CUm prædestinatio includat voluntatem, & nulla sit divinæ voluntatis causa ex parte actus volendi, non ponitur sub dubio, an detur ratio, vel causa divinæ prædestinationis ex parte actus prædestinantis: hoc enim nullus sanæ mentis asseruit, ut ait D. Thom. *hic art.* 5. Quærimus ergo de causa motiva prædestinationis; seu an ex parte effectus prædestinatio habeat aliquam causam: seu utrum Deus præordinaverit se daturum effectum prædestinationis alicui propter merita aliqua: quod ab antiquis, & pluribus RR. sic proponitur:

ARTICULUS I.

AN EX PARTE NOSTRA detur aliqua causa prædestinationis?

§. I.

REFERUNTUR ERRORES hæreticorum, & Catholicorum sententiæ?

1 PRocedit difficultas de causa meritoria, vel dispositiva ad omnes prædestinationis effectus, seu ad primum, vel ille sit vocatio, sive quodcumque aliud. Et hoc non de prædestinatione in executione, sed quoad intentionem, an scil. detur causa, cur Deus intenderit eligere hos ad gloriam? Primus error fuit Manichæorum dicentium ex parte nostra dari causam prædestinationis: & hanc esse naturalem cujuscumque dispositionem, & propriam stellarum constellationem, ex cujus diversitate dicebant alios esse bonos, alios malos. Hunc errorem confutabit P. Aug. in libris contra Manichæos, & ferè in omnibus suis operibus, ex eo quod Jacob, & Esau simul nati exitus tam diversos habuerint. Et ex illo Jerem. 10. *A signis cæli nolite metuere, quæ Gentes timent.* Idque fuit damnatum in Collatione magna Carthaginensi.

2 Secundus error fuit Origenis dicentis, animas rationales per aliquod temporis vixisse, antequam unirentur corporibus, & juxta merita, vel demerita, quæ habuerunt extra corpora ab initio creatæ, fuisse electas, vel reprobatas. De quo P. Aug. *tom. 6. lib. de Hæres. hæres.* 43. Et contra hoc *lib.* 21. *de Civit. Dei, cap.* 17. Refellitur à D. Thom. *hic art.* 5. *ex illo Apost. ad Rom.* 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni, vel mali, non ex ope-*

operibus; sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori. Damnata fuit hæc hæresis in VI. Syn. Gen. *act.* 12. Et in Concilio Vien. sub Clem. V.

3 Tertius error fuit Pelagij dicentis, initium benè faciendi esse ex nobis, & gratiam ex meritis dari: unde uni datur prædestinationis effectus, & non alteri, quia unus initium dedit, se præparando, & non alius. Hic error fuit damnatus in variis Concil. Palestino, & Carthag. Deinde in Milev. & Arausic. 2. Contra hunc errorem egit P. Augustin. ferè in omnibus suis scriptis, à D. Thom. *hìc* refellitur ex illo Apost. 2. *ad Cor.* 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.* Nullum autem anterius principium inveniri potest, quàm cogitatio: ergo non potest dici, quod aliquod in nobis initium existat, quod sit ratio effectus prædestinationis.

4 Semipelagianorum autem quidam asserebant, ideò Deum prædestinare, vel reprobare homines, *quia finem uniuscujusque prævidit, & sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset voluntate, & actione præscivit*, ut vidimus *tract.* 5. *q.* 4. *art.* 3. *num. ult.* Unde isti admittebant adjutorium gratiæ, ita *ut ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentirent*, ut ait Aug. *cap.* 1. *de Præd. Sanct.* ex Hilarij *epist. in initio.* Alij, asserentes tantum quemquam habere facultatis ad bonum, quantum ad malum, admittebant ex parte nostra aliquam causam prædestinationis. Et de parvulis asserebant, *tales perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina præviderit*; ut testatur Prosper *in Epist. num.* 3. Quod rejicit Aug. quia nullus judicatur per ea, quæ non fecit; aliàs Tyrij salvarentur per pœnitentiam prævisam, quam tamen non egerunt; & qui *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, damnaretur per ea, quæ non gessit, faceret autem si diutius viveret; quod est absurdum.

De adultis verò, & populis Gentilium, qui aliquando sedebant in tenebris, & in umbra mortis, quorumque aliquando non misertus est, cur nunc eorum Deus misereatur, hanc rationem reddebant: *Prævisos, inquiunt, à Domino credituros, & ad unamquamque Gentem ita dispensata tempora, ac ministeria magistrorum, ut exoriturae erat bonarum credulitas voluntatum*, ait Prosper. ibi: *Itaque quantum ad Deum pertinet omnibus paratam vitam æternam: quantum ad arbitrij libertatem,*

ab his eam apprehendi, qui Deo ſpontè crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. Et infra: *Nec acquieſcunt prædeſtinatum electorum numerum, nec augeri poſſe, nec minui.*

Iſti ergo, *initium ſalutis ex eo qui ſalvatur, non ex eo ſtare qui ſalvat*, affirmabant, ſed potiùs voluntatem hominis divinæ gratiæ ſibi parere opem, non gratiam ſibi humanam ſubjicere voluntatem, ut teſtatur D. Proſper *ibi num* 6. Et Auguſt. 17. *de Dono Perſev.* ait, hos ſolum initium fidei, & perſeverantiam ex nobis eſſe tenere; cetera verò pietas, charitas, &c. Dei dona eſſe, ſed a Deo impetrari credentis fide. Unde opera viribus naturæ elicita aſſerebant eſſe meritoria donorum Dei, & ut ait Proſper, auxilium gratiæ merito credulitatis accipere arbitrantur. Ergo docebant iſti, hominem ex conditione liberi arbitrij per naturalem facultatem petendo, quærendo, pulſando poſſe pervenire ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus, & ad gratiam ſanctificantem, ut ideò accipiat, inveniat, & introeat, quia bono naturæ benè uſus, ad iſtam ſalvantem gratiam initialis gratiæ ope (quæ videtur eſſe juxta ipſos gratia Creatoris, quæ hominem nihil prius merentem, quia nec exiſtentem, liberi arbitrij, & rationalem inſtituit, ut ait Proſper *ibi num.*4. cujus verba dedimus in loco *ex tom.* 1. *num.* 32.) meruit pervenire.

Et nota, quod ij, qui ita docebant, prius meliora ſenſerunt apud Proſper *num.*6. *Epiſt.* ſed illa meliora deſeruerunt, renuentes concedere prædeſtinationem ſecundum propoſitum voluntatis Dei, occaſione argumenti deſumpti à correptione, & exhortatione, quas inutiles prædicabant, ſi prædeſtinatio eſſet ſecundùm electionem Dei, & non ſecundùm præſcientiam voluntatis humanæ. E contra illi de quibus 1. mentionem fecimus videntur cum iis ſenſiſſe, ſed poſteà illorum opiniones retractaſſe, ut propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam operum ſub gratiæ adjutorio reciperent, ut ait Proſper in fine Epiſt. *Retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par invenitur, & una ſententia, qua propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuſcujuſque pręviderit, & ſub ipſo gratię adjutorio in qua futurus eſſet voluntate, & actione præſcierit.* In quibus involvitur ipſos ſentire, electionem ad gloriam eſſe poſt pręviſa merita.

An autem Semipelagiani, qui asserebant initium fidei ex nobis, meritum adstruerent de condigno, an tantum de congruo; res est utrimque probabilis. Illud esse tantum de congruo docet novissimè Illust. Montalvan in presenti: sed meritum de condigno ex eo posset defendi, quia absolutè, & absque restrictione tribuebant credulitati, & bono usui naturæ meritum accipiendi auxilium gratiæ, ut constat ex pluribus Prosperi verbis: & cùm juxta August. & Prosp. in hoc à Pelagianis semitis non declinarent, credendum est, ipsos in hoc sentire cum Pelagio, qui meritum de condigno arbitrij viribus attribuebat. Contra hos egit strenuè M. P. Aug. *in lib. de Prædest. SS. & de Dono Persev.* & post ipsum Concilium Arausicanum secundum.

5. Ex Catholicis Javellus, & alij existimant dari ex viribus naturæ causam dispositivam, non tamen meritoriam primi auxilij supernaturalis. Hanc tamen sent. aliqui asserunt non distingui à doctrina Pelagij, asserentis opera bona moralia ex viribus naturæ elicita esse causam nostræ prædestinationis, ita ut sine prævisione illorum nemo prædestinetur; ut videre est apud P. August. *de Prædest. SS. cap.* 18. *Præsciebat ergo, ait Pelagianus, qui futuri essent sancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium: & ideò eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales futuros esse præscivit, elegit.* Quod rejicit P. August. ex illo Apost. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati.* *Non ergo* (ait Aug.) *quia futuri eramus, sed ut essemus... Ideò quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus.*

6. Pro hac sent. citari etiam solent Durandus, Gabriel, & quotquot docent: *Facienti quod est in se ex viribus naturæ Deum non denegare gratiam.* In hanc etiam inclinat N. Argentinas.

Huic sententiæ affinis est alia, quæ tribuitur Henrico, asserenti non resistentiam liberi arbitrij nostri ad gratiam Dei esse causam motivam *sine qua non* nostræ prædestinationis: licèt enim voluntas nullam habeat operationem moraliter bonam absque gratia, tamen non resistere, sed sinere se ab illa duci est proprium arbitrij, & hanc non resistentiam, seu consensionem esse causam nostræ prædestinationis. Sic explicat sententiam hujus A. N. Gavardi. Sed rejicitur ex pluribus August. testimoniis, in quibus asserit, Deum per gratiam suam

operari in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, id est consensum : unde hic est donum Dei, & effectus prædestinationis. Vide *tract. 6. quæst. 3. art. 4. præcipue num. 7. & 8.* ex quo constat etiam esse effectum gratiæ Dei illa non resistentia, & illud sinere se trahi, ait enim S. D. *Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit.* Tùm etiam, quia Deus non posset prædestinare quem vellet; nam supposito dissensu, & resistentia, non posset creaturam prædestinare, si causa prædestinationis est non resistentia. Tùm quia alias initium nostræ salutis esset ex nobis, quod est contra Arausic. II. Rejicitur etiam ex dictis *ibi num. 12.*

7 Et nota, non eodem modo ponere DD. Catholicos actus bonos liberi arbitrij in ordine ad gratiam, ac hæreticos: isti enim asserebant primam gratiam dari de condigno ex meritis elicitis à nudo arbitrio: illi solum fatentur, illa opera esse meritoria de congruo primæ gratiæ : imò plures nec usurpant hoc vocabulum *meriti*, sed solum dispositionis, aut conditionis, qua posita Deus misericorditer dat gratiam, & non ex meritis : ad modum quo si dives daret eleemosynam pauperibus petentibus, non autem non petentibus ; assignari posset aliqua ratio cur ij potius accipiant eleemosynam : cùm tamen eleemosyna etiam petentibus sit merè gratis concessa. Unde supponunt, nullam dari causam meritoriam de condigno nostræ prædestinationis; ita enim constat ex Apost. 2. *ad Tim.* 1. *Vocabit nos vocatione sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum.* Et 3. *Non ex operibus justitiæ, &c.* Et *Rom.* 11. *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia jam non ex operibus; aliòquin gratia jam non est gratia.* Supra quod P. August. *de Prædest. SS. cap.* 6. ait : *Gratis ergo consecuta est, quod consecuta est electio; non præcessit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis; pro nihilo enim salvos fecit nos.*

8 Secunda sent. docet, quòd licèt bona opera ordinis naturalis non sint ratione sui dispositiones ad primum auxilium supernaturale, ex ordinatione tamen divina, & pacto inito cum Christo de non deneganda gratia facienti quod est in se, habent connexionem infallibilem cum illa. Ita P. Molina *in Concordia*, *disp.* 10. cujus sententiam explicant, & secuntur Lessius *de Auxil in Append. ad cap.* 10. Ripalda *tom.* 1. *disp.* 20. *sect.* 2. & plures ex RR.

Ul-

Ultima ſent. tenet, nullam dari cauſam ex parte noſtri ad prædeſtinationem in communi, ſeu quoad omnes prædeſtinationis effectus; poſſe tamen dari quoad aliquem effectum in particulari, quia prior effectus poteſt eſſe cauſa meritoria poſterioris, ſicut per gratiam meremur gloriam. Ita ſe explicat D. Thom. in præſenti, cum quo & Thomiſtæ. Noſter Fund. D. Ægidius *in* 1. *diſt.* 41. *quæſt.* 2. docet idem aliis terminis, ſcil. eſſe cauſam, vel rationem prædeſtinationis in generali, nempe pulchritudinem univerſi, & divinæ bonitatis multis modis manifeſtationem. Et in hoc ſenſu aſsignavit Apoſt. cauſam prædeſt. & repr. dicens *ad Rom.* 9. *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuę in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* In particulari verò, & per deſcenſum ad perſonas non poſſumus aſsignare aliquam cauſam niſi ſolam Dei voluntatem.

Ita etiam reliqui Auguſtiniani Scriptores, Ariminenſis, Gerardus Senenſis, Cæleſtinus Brunus *quodlib.* 14. *cap.* 2. Puteanus *quæſt.* 23. *dub.* 3. 4. & 5. ubi teſtatur, à tempore P. Auguſtini ad hodiernum uſque diem hanc fuiſſe in Eccleſia Catholica de prædeſtinatione communem opinionem, & illam latè præter morem elucidat. Et Illuſtriſ. Hiſpalenſis Archipræſul Alphonſus Toletanus *diſt.* 41. *concluſ.* 5. Alviz *diſp.* 7. *ſect* 7. Gibbon, cum Bernardino, & Cornexo, Gavardi, Conſon, Benedictus à S. Jacobo *Axiom.* 4. *de Prædeſt.* Arpe, & & Sichrovvsky, cum D. Thoma à Villanova, verbis dandis *numer.* 29.

§. II.

IMPUGNANTUR ALIQUÆ ſententiæ, & ſtatuitur noſtra.

9 DIcimus 1. *Opera bona moralia ex viribus naturæ elicita, nec de congruo eſſe meritoria primæ gratiæ auxiliantis.* Prob. ab Auguſt. ex illo Apoſt. *ad Epheſ.* 2. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt.* Supra quæ S. Doct. *Serm.* 15. *de Verbis Apoſt. cap.* 2. ait: *Non ex operibus, ne fortè dicas: promerui, & ideò accepi. Non putes te promerendo accepiſſe, qui non promereres, niſi accepiſſes. Gratia præceſsit meritum tuum; non gratia ex merito, ſed meritum ex gratia. Nam ſi gratia ex merito, emiſti, non gratis accepiſti.* Ut autem clariùs etiam meritum de

de congruo rejiciat, adducit illud Psalm.55. *Pro nihilo salvos facies illos*, & ait *Quid est: Pro nihilo salvos facies eos? Nihil in eis invenis unde salves, & tamen salvas. Gratis das, gratis salvas. OMNIA MERITA præcedis, ut dona tua consequantur merita mea. Prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis unde salves, & multum invenis unde damnes.*

Ex quo eleganti testimonio deducimus 1. Juxta August. auxilium divinæ gratię præcedit omnia merita creaturæ: meritum de congruo est aliquod meritum: ergo. 2. Deus *prorsus gratis* dat gratiam, & gratis salvat: sed non prorsus gratis salvat, si opera ex viribus naturæ elicita de congruo merentur primum prædestinationis effectum, vel primum auxilium supernaturale; tum quia meritum de congruo fundat debitum saltem imperfectum; tum quia si tale meritum præcedit primum auxilium supernaturale, aliquid invenit Deus ex parte creaturæ, ut illud conferat, & hunc potiùs, quàm alium salvet: juxta Augustin. autem Deus *nihil invenit unde salvet*: ergo ita est purè gratuita primi auxilij supernaturalis collatio, ut nullum prorsus meritum præsupponat. 3. Deus pro nihilo salvat nos: sed si opera bona moralia viribus naturæ elicita merentur primum prædestinationis effectum, & sunt causa illius, non pro nihilo, sed pro aliquo salvat nos: ergo.

10 Probat etiam Augustin. quod nullum initium boni operis potest esse in nobis, quod non sit ex Deo, vel effectus gratiæ Dei, ex illo Apost. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Sed si etiam primum opus bonum nostrum est effectus gratiæ Dei, ante primum auxilium nequit in nobis præcedere aliquid, quod sit ratio, vel causa illius: ergo. Hinc ait D. Thom. super *cap.* 1. *Epist. ad Ephes. lect.* 1. *Gratię, quæ est primus prædestinationis effectus, non potest ratio aliqua assignari ex parte hominis.* Hæc conclusio amplius roboratur ex dicendis concluſ. seq.

11 Dicimus 2. *Opera bona moralia viribus naturæ elicita, nec esse dispositiones ad primam gratiam supernaturalem, adeoque nec ad prędestinationem.* Prob. ex Concil. Arausic. 2. *Can.* 3. ubi dicitur: *Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: Inventus sum à non quærentibus me, palàm apparui his, qui me non interrogabant.* Et

Can. seq. diffinit Deum non expectare voluntatem nostram, ut à peccato purgemur, sed etiam ut purgari velimus Deum in nobis operari. *Can.* 5. diffinit initium fidei, ipsumque credulitatis affectum non naturaliter nobis inesse, sed esse donum Dei. *Can* 6. damnat asserentes, quod *sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus misericordia conferatur divinitus.*

Et *Can.* 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti... hæretico fallitur spiritu non intelligens... illud Apost. Non quod idonei sumus cogitare aliquid à nobis, &c.* Idem diffinitum est in Trident. *Sess.* 6. *Can.* 3. Ex quibus deducimus: Sed actus naturales, qui disponerent proximè ad primum gratiæ auxilium, remotè etiam ad justificationem disponerent, & per consequens ad æternam salutem conducerent: ergo per naturæ vigorem nullum opus possumus elicere, quod sit dispositio ad primam gratiam. *Conf.* 1. Si gratia conferretur ratione talis dispositionis naturalis, per illud bonum naturæ creatura sufficienter quæreret Deum: sed Deus invenitur à *non quærentibus*, & appareret non interrogantibus: ergo quia ex parte nostra nulla datur ratio, vel causa, quæ sit proxima dispositio ad primam vocationem, & primum auxilium, quo Deum quæramus, & possimus invenire. 2. Juxta Trident. *Sess.* 6. *cap.* 6. *Disponuntur ad ipsam justitiam dum excitati divina gratia, & adjuti, &c.* Ergo sine gratia excitante, & adjuvante nulla datur proxima dispositio ad justitiam.

12 Prob. ex August. verbis datis *num.* 9. *quia Deus nihil invenit in nobis unde salvet:* ergo ex parte nostri ante primum gratiæ auxilium nulla invenitur dispositio proxima ad illud. Prob. ex Apost. à D. Th. *quodlib.* 1. *art.* 7. dicente: *Ad Pelagianorum errorem pertinet dicere, quod homo possit se ad gratiam præparare absque auxilio divinæ gratiæ; & est contra Apost. qui dicit ad Philip.* 1. *Qui cœpit in nobis opus bonum, ipse perficiet.* Et 3. *contra Gent. cap.* 149. *Non propter hoc datur nobis auxilium divinum, quia nos ad illud per bona opera promovemur: sed potius nos ideò per bona opera proficimus, quia divino auxilio prævenimur.*

Sin-

13 Singularem, & efficacem rationem nobis tradit S. D. *ibi num.* 2. dicens: *Agens instrumentale non disponit ad perfectionem inducendam à principali agente, nisi secundum quod agit ex virtute principalis agentis: sicut calor ignis non magis præparat materiam ad formam carnis, quàm ad aliam formam, nisi in quantum agit in virtute animæ. Sed anima nostra operatur sub Deo, sicut agens instrumentale sub principali agente: non igitur potest se anima præparare ad susciendum effectum divini auxilij, nisi secundum quod agit ex virtute divina. Prævenitur igitur divino auxilio ad benè operandum, magis quàm divinum auxilium præveniat quasi merendo illud, vel se præparando ad illud.*

14 Prob. etiam ratione communi, quia dispositio, & forma debent esse ejusdem ordinis, cùm debeant habere debitam proportionem, & commensurationem: sed opera bona ordinis naturalis, & primum auxilium supernaturale, non sunt ejusdem ordinis, ut patet: ergo illa non possunt ad gratiam disponere. *Conf.* Quælibet dispositio ad formam supernaturalem connectitur cum illa, & ad illam inducit aliquod debitum, vel physicum, vel morale, in eo sensu in quo sit dispositio; quia dispositio est propter formam, & illam causat positivè inclinando subjectum ad recipiendam formam, quæ positiva inclinatio fundat connexionem, & debitum: sed implicat, bona ordinis naturalis connecti cum forma supernaturali, & fundare aliquam exigentiam, vel habitudinem ad res supernaturales: ergo.

15 Nota, quod hæc conclusio procedit de dispositione sufficienti, & utili, proximè, aut remotè conducenti ad primam gratiam: loquendo enim de dispositione necessaria ad illam, constat opera bona moralia ordinis naturæ non esse dispositiones necessarias ad primam vocationem, ut patet in D. Paulo, & aliis, qui sunt divinitus vocati, nullis præcedentibus operibus bonis, imò quando erant in actuali affectu peccandi. Nota etiam, ad gratiam simpliciter talem tantum opponi debitum ex viribus naturæ, non autem debitum, vel meritum de congruo ex viribus gratiæ: ex auxilio enim Dei possumus mereri augmentum gratiæ, & per actus disponentes ad gratiam justificantem possumus impetratoriè, seu de congruo mereri talem gratiam: imo ipsum perseverantiæ donum *suppliciter emereri* possumus, ut docet August. *cap. 6. de Dono Persev.* Relinquitur ergo ad primum prædestinationis ef-

effectum, primam vocationem, & primum auxilium supernaturale non posse dari ex parte nostri, vel meritum, vel dispositionem naturalem. An autem opera, quæ ex gratia procedunt possint esse causa primi effectus nostræ prædestinationis resolvemus *num.* 21.

16 Dicimus 2. *Nullam dari ex parte nostra causam ad rationem prædestinationis, sed id ratione cujus prædestinatus primò differt à reprobo provenire ex Dei gratuita electione, & prædestinatione.* Prob. à P. August. ex Scriptura verbis dat. *num.* 9. Et ulterius ferè ex toto *lib. de Prædest. SS.* præcipuè à *cap.* 16. usque ad 20. ubi probati, non nos eligere Deum, quia benè operamur, sed ut benè operemur, quia juxta Apost. Rom. 9. *Non ex operibus, sed ex vocante.* Et Joann. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, nam si propterea,* inquit August. *cap.* 17. *electi erant, quia crediderant, ipsi eum prius utique elegerant credendo in eum, ut eligi merentur. Aufert autem hoc omnino, qui dicit, Non vos me elegistis, &c.* Et *cap.* 18. probat electionem Dei gratuitam, & absque omni ratione ex parte nostra, ex illo Apost. *ad Ephes.* 1. *Prædestinans nos... secundùm placitum voluntatis suæ... at ostenderet nobis mysterium voluntatis suæ secundùm bonam voluntatem suam... in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum, qui universa operatur secundùm consilium voluntatis suæ.* In quibus notat S. D. Apostolum loqui de electione secundùm voluntatem Dei, *non secundùm nostram*: de prædestinatione secundùm *propositum, non nostrum, sed ejus qui universa operatur*, ut diximus *art.* 2. *num.* 3. Idem probat S. D. *in de Dono Persev. cap.* 17. *in fine* 18. & 19.

17 Et *lib.* 2. *contra duas Epist. Pelagianorum, cap.* 7. exponens illud Apost. *ad Rom.* 9. *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundùm electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est, major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui... Ergo cujus vult miseretur, & quem vult obdurat, &c.* Et illud 1. *ad Cor.* 4. *Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti?* Respondet August. *Ille discernit, qui de nondum natis, nec qui aliquid egerant boni, aut mali, ut secundùm electionem propositum ejus maneret, non ex operibus, sed ex ipso vocante dixit*: major serviet minori... *electionem quippe dixit, ubi Deus non ab alio factum,*

quod eligat invenit, sed quod inveniat ipse facit: sicut de reliquiis Israel scriptum est. (*Roman.* 11.) Reliquiæ per electionem gratiæ factę sunt. Si autem gratia jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. *Propter quod profecto desipitis, qui dicente veritate,* Non ex operibus, sed ex vocante dictum est; *vos aicitis, ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum esse præsciebat, Jacob fuisse dilectum; atque ita contradicitis Apostolo dicenti*, Non ex operibus: *quasi non posset dicere, Non ex præsentibus, sed futuris operibus. Sed ait*, Non ex operibus, *ut gratiam commendaret.*

Et apponit exemplum in parvulis geminis ab aliqua meretrice editis, & un ab aliis colligerentur expositis, quorum unus sine baptismo, alius baptizatus expiret: in uno enim, nec bona merita propria præcesserunt, ut ad vitam per baptismum eligeretur; nec etiam in parentibus fuerunt merita, ubi fornicator pater, meretrix mater: nec in alio fuerunt mala opera propria, ut sine baptismo moreretur, cum non sit capax demeritoriæ operationis proprię in infantia. Quod si secundum Pelagianos peccatum originale non admittatur, Quærit August. ab illis unde geminus non baptizatus fuerit à fraterna felicitate discretus? Cur illâ infelicitate punitus, ut illo in Dei filium adoptato, iste non acceperit Sacramentum? E contra si catholicè fatemur, utrumque nasci cum originali reatu, quænam est causa, vel ratio, ut unus à macula emundetur, & in Regnum Cælorum assumatur, non alter? Nec enim fortuna, vel fatum est, aut apud Deum acceptio personarum. *Huic non loquenti*, inquit Aug. *quid loquamini non habetis.*

18 Ex his constat juxta August. non solam prædestinationem ad primam gratiam esse absque aliqua causa, aut merito ex parte nostri, ut volunt Vazquez, Lessius, & alij, sed etiam prædestinationem ad gloriam. Cum enim de hoc ulterius differat in *cap.* 14. *de Prædest. SS.* etiam de adultis loquendo, excludit omnem rationem ex parte ipsorum, ut eligantur ad gloriam, recurrens ad Apost. solutionem, *Quis cognovit sensum Domini? Numquid iniquitas apud Deum?* Et ait: *Quare aliis concedatur, ut ex hujus vitæ periculis, dum justi sunt, auferantur; alij verò justi donec à justitia cadant, in eisdem periculis vita productiore teneantur; quis cognovit sensum Domini?* Et postea: *Cur autem hìc tenuerit casurum justum, quem priùs quàm caderet hinc posset auferre, justissima omninò,*

nò, sed inscrutabilia sunt judicia ejus. Et in fine de parvulis ait: *Cum alij baptizati, alij non baptizati vitæ hujus terminum sumunt, satis indicant misericordiam, & judicium: misericordiam quidem gratuitam, judicium debitum.* Sed justum casurum, antequam cadat hinc auferre, vel parvulum post baptismum rapere, est hos eligere ad gloriam: ergo si ratio horum tantum est gratuita misericordia Dei, & illius sensus inscrutabilis, prædestinationis nostræ unica causa est ex parte divinæ voluntatis.

Ex his deducimus, nec pro prædestinatione parvulorum, nec adultorum dari aliquam causam ex parte ipsorum; non in parvulis, quia si isti possent elegi ratione operum quæ Deus prævidit ipsos facturos, si diutius viverent; etiam adulti v.g. Tyri reprobi, deberent non damnari ratione conversionis, quam Deus in ipsis prævidebat, si Christus apud ipsos prædicasset. Et si opera prævisa, & non facta, ad id conducerent, frustra diceretur: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*: iste enim deberet judicari secundum illam malitiam conditionatè futuram. Ita arguit Aug. *cap. 14. de Prædest. SS. & cap. 9. de Dono Persever.*

De adultis idem constat, quia ex duobus justis hic & nunc, cur unus assumatur, & alius relinquatur, nulla potest assignari causa ex parte ipsorum, quare Deus ab æterno hunc elegerit: utrumque enim vidit in gratia futurum hìc & nunc: intentio ergo finis gloriæ ex qua uni confert perseverantiam, non alteri, non est ex prævisione boni usus liberi arbitrij à gratia provenientis, quia uterque est in gratia, & benè illâ utitur, etiam si non uterque assumatur dum est in gratia: ergo.

2o. Id ipsum probat Aug. ab exemplo prædestinationis Christi, dicens: *Ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, Filius Dei Unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecumque præcessit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?* Sed Christus Dominus est *præclarissimum lumen prædestinationis*, & gratiæ: ergo si prædestinatio illius nullum bonum ejus qualecumque supposuit, ita fuit gratuita, ut nulla causa daretur ex parte ipsius; vel prævisio boni usus supernaturalium donorum: si enim hic bonus usus esset ratio, vel causa prædestinationis Christi, jam illam *bonum qualecumque* præcessisset, quod est contra August.

Rursus, in hac quæstione, cur iste sit prædestinatus, non ille, cur iste, potiùs quàm ille sit secundùm propositum vocatus, semper recurrit Augustin. cum Apost. ad inscrutabilia judicia Dei, & investigabiles vias ejus; ita locis laud. & 8. *de Dono Persev. & lib.* 83. QQ. *quæst.* 68. ubi refellit curiosos, quosdam dicentes, *Apostolum in solvenda quæstione defecisse*, & (per illa verba: O homo tu quis es, qui respondeas Deo) *objurgasse quærentes, quia non poterat, quod quærebatur, exponere.* Sed si Apostolus, & August. cognoscerent aliquam esse rationem ex parte nostra ad prædestinationem, illam assignando congruentius solverent quæstionem: ergo nulla datur.

21 Ult. prob. concluf. Si daretur in nobis aliqua causa nostræ prædestinationis, vel esset quid naturale, & non donatum à Deo nobis per suam gratiam, vel esset quid supernaturale, & à Deo nobis donatum per suam gratiam: neutrum dici potest: ergo. Quod non possit esse aliquid naturale constat ex dictis *à num.* 9. contra Semipelagianos. Quod non possit esse opus bonum consequens ad gratiam, prob. quia illud esset conducens ad consecutionem vitæ æternæ, vel per modum meriti, vel dispositionis: sed quidquid sic conducit ad gloriæ consecutionem esset prædestinationis effectus: ergo nequit esse causa, vel ratio prædestinationis quoad omnes suos effectus. Prob. min. ex August. dicente contra Semipelagianos, quod si pietas, & aliæ virtutes fidem consequentes sunt effectus gratiæ Dei, sunt etiam in electis prædestinationis effectus, ait enim verbis datis *art.* 3. *præced. num.* 11. *Quod si dantur, & ea se daturum esse præscivit, profectò prædestinavit*: ubi ex eo quod sint dona Dei, intulit esse prædestinationis effectus. Id ipsum probat S. D. ex illo Apost. *Elegit nos in ipso, ut essemus sancti*; dicens *cap.* 18. *de Prædest. Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus... ideò quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus.* Ergo prædestinatio est causa operum gratiam consequentium, non è contra. Ergo opera gratiam consequentia non sunt causa prædestinationis totalis, seu quoad omnem illius effectum.

22 Ita etiam docet S. Doct. *quæst.* 2. *ad Simpl. prope initiam*, ubi ait: *Vocantis est gratia. Percipientis verò gratiam consequenter sunt opera bona, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur. Non enim ut ferveat, calefacit ignis, sed quia*

quia fervet. Nec ideò benè curvatur rota, ut rotunda sit, sed quia rotunda est, sic nemo propterea benè operatur, ut accipiat gratiam, sed quia accepit: si autem percipientis gratiam consequenter sunt opera bona, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratiâ pariantur: ergo antecedenter ad primam gratiam nulla sunt opera Deum moventia, ut conferat gratiam, & sic opera ex gratia non possunt esse causa primi effectus prædestinationis, seu electionis ad primam gratiam, sed debent dici effectus.

Et ibi pridpe finem ait, omnia, quibus proficimus ad Deum esse effectum gratiæ Dei: *Cùm ergo*, inquit, *nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu nostro, & industria, aut operum meritis comparatur; quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studij, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur.* Si hæc omnia tribuuntur gratia Dei, profectò ex solius arbitrij viribus ad primam gratiam pervenire non possumus.

123 D. Thom. referens Aopinionem contrariam, quod merita sequentia prædestinationis effectum sunt ratio prædestinationis, ita ut ideò Deus det gratiam alicui, & præordinaverit se ei daturum, quia præscivit eum, benè usurum gratia, sicut si Rex det alicui militi equum, quem scit eo benè usurum; ex eo hanc opinionem rejicit, & nostram probat, quia *isti videntur distinxisse inter id, quod est ex gratia, & id quod est ex libero arbitrio, quasi non possit esse idem ex utroque. Manifestum est autem, quod id, quod est gratiæ, est prædestinationis effectus; & hoc non potest poni, ut ratio prædestinationis, cùm hoc sub prædestinatione concludatur. Si igitur aliquid aliud ex parte nostra sit ratio prædestinationis, hoc erit præter effectum prædestinationis. Non est autem distinctum, quod est ex libero arbitrio, & ex prædestinatione, sicut nec est distinctum, quod est ex causa secunda, & causa prima.* Et postea concludit: *Impossibile est, quod tota prædestinatio nisi effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra: quia quidquid est in homine cardinans ipsum in salutem comprehenditur totum sub effectu prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam. Nec enim hoc fit, nisi per auxilium divinum, secundùm illud Thren. ult. Convertere nos Domine ad te, & convertemur.*

Ex his constat, quod bonus usus liberi arbitrij ex gratia jam supponit prædestinationem in electis, & sic est effectus il-

illius: nam tam ille, quam alia opera gratiam consequentia sunt media ad consecutionem gloriæ: sed media supponunt intentionem finis: ergo nequeunt esse causa intentionis illius. Hoc amplius constabit ex *art. seq.* & dum statuamus, creaturam non esse unicam causam suæ discretionis in actu secundo.

§. III.

SOLVUNTUR ALIQUA *argumenta in favorem Massilienssium adducta.*

24 ARg. 1. Æqualibus inæqualia præstare nulla præcedente causa ex parte ipsorum est vitium acceptionis personarum: sed omnes homines sunt æquales quoad naturam, & peccatum originale: ergo non potest Deus sine tali vitio aliquos ad gloriam eligere præ aliis, nisi prævideat in illis inæqualia opera elicita ex viribus naturæ. Ad id respondet Augustin. *lib. 2. contra duas epist. Pelagianorum, cap. 7.* tunc dari acceptionem personarum, quando *qui judicat relinquens causæ meritum, de qua judicat, alteri contra alterum suffragatur, quia invenit aliquid in persona, quod honore, vel miseratione sit dignum.* In præsenti autem nullum est meritum, vel debitum ex parte creaturæ, quia omnes sunt in massa perditionis. *Nec ulla est acceptio personarum in duobus debitoribus æqualiter reis, si alter dimittitur, alteri exigitur, quod pariter ab utroque debetur.*

Et adducens parabolam operariorum, qui inæquales fuerunt in labore, æquales autem facti sunt in mercede, ait: *Hic tota justitia est: hoc volo: Tibi, inquit, reddidi, huic donavi; neque ut huic donarem, tibi aliquid abstuli, aut quod debebam, vel minui, vel negavi.* Am non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? *Sicut ergo hic nulla est acceptio personarum, quia sic alius gratis honoratur, ut alius debito non fraudetur: sic etiam cum secundum propositum Dei vocatur alius, alius non vocatur, vocato datur gratuitum bonum, cujus boni est vocatio ipsa principium; non vocato redditur malum, quia omnes rei sunt ex eo quod per unum hominem peccatum intrawit in mundum.* Ita etiam D. Thom. *hic artic. 5. ad 3.*

Aliud fundamentum Semipelagianorum erat, quod si Deus gratiam conferret nulla precedente in voluntate boni cupiditate, destrueretur libertas, & sub nomine gratiæ fatum adstrueretur. Contra hoc agit Augustin.

gust. *lib. 2. contra duas Epist. Pelagianorum, cap. 5. 8. & 9.* Et illud à nobis solutum est *tract. 6. quæst. 3. art. 4. à numer. 19.*

25 Nec illis favet illud Psalm. *Præveni in maturitate, & clamavi*, & similia, in quibus significatur, creaturam clamore, & oratione sua ita Deum prævenire, ut illis bonis operibus illius gratiam aliqualiter videatur promereri. In his enim solùm significatur, quod per priorem prædestinationis effectum prævenit voluntas posteriorem i. v. gr. vi auxilij ad orandum prævenit gratiam dilectionis, & justificationis, & illam aliqualiter promeretur vi prioris auxilij. Sic etiam ex parte nostra prærequirit Deus, & expectat conversionem imperfectam, ut ipse convertatur ad nos conversione perfecta, & amicabili: & hoc est, quod dicitur Isai. 30. *Expectat Dominus, ut misereatur vestri.* Et: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Sed illud, quod sic requiritur ex parte nostra, & præcedit aliquod donum gratiæ, non potest præcedere primum auxilium, sed debet esse effectus gratiæ Dei, juxta illud: *Convertе nos Domine ad te, & convertemur. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis; Qui cœpit opus bonum, perficiet. Misericordia ejus prævenit nos.* Et: *Præparatur voluntas à Domino.*

26 Nec illud: *Uni dedit quinque talenta, alij verò duo, unicuique secundùm propriam virtutem.* Hoc enim exponitur à D. Thom. 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 3. *ad* 1. de virtute secundùm dispositionem cujusque ex auxilio gratiæ procedentem; & sic illa virtus non est naturalis. Secundùm alios resp. non omnia, quæ in hac parabola facta narrantur, ad spiritualia applicari debere, & ideò non tenet prout ad præsens. Vide Silveira, & Vazquez.

27 Nota etiam, Massilienses in sui favorem adducere Patres, qui ante August. floruerunt v. gr. Chrisostomum, qui *Homil. 12. in Exposit. Mor. Epist. ad Hebr. in initio*, ait: *Oportet nos quippe eligere primùm quę bona sunt, & tunc ipse, quę sua sunt, introducit: non antecedit nostras voluntates, ne lædatur liberum arbitrium; cum autem nos elegerimus, multam tunc nobis affert auxiliationem.* Et prosequitur, id ipsum comprobans, ita ut nullus videatur supersse locus, ut ipsum à doctrina Cassiani, ipsius discipuli, sejungamus. Unde P. Vazquez non dubitat Chrisostomum, & alios PP. Græcos eamdem tenuisse, quam Semipelagiani, sententiam: nec mirum, *res enim* (inquit *dis-*

put.

put. 91: *num.* 55.) *admodum subtilis, & difficilis erat ad explicandum, donec Augustinus ingenij sui felicitate, ut multa alia, eam nobis explicavit.*

Et ex eo id probat, quod cum August. sæpe contra Jul. Chrisostomum interpretetur, id non facit in præsenti, sed respondet *cap.* 14. *de Prædest. SS. Quid opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priùs quam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari?* Ellies Dupin *in sua Bibliotheca, tom.* 3. *pag.* 72. reflectatur etiam multum tribuisse Chrisostomum liberi arbitrij viribus: nostrum esse bonum eligere, & velle, Deum verò dare gratiam, qua illud possimus adimplere. Et alias ex ipso deducit conclusiones, quibus in terminis utebantur Semipelagiani. Et Ambr. super *Rom.* 8. *Miserebor* ejus, cujus præscius ero, seu *quem scio post errorem toto corde reversurum ad me.* Hieronym. *Dial.* 3. *contra Pelag.* ait: *Nostrum sit rogare, illius tribuere; nostrum incipere, illius perficere*: ergo.

28 Nihilominus resp. auctoritates Chrisostomi debere benignè interpretari ob reverentiam tanto Doctori debitam, cum suppetat digna, & efficax expositio. Nec enim minus clarè ait Damascenus Deum præcognoscere omnia, sed non omnia Deum prædefinire, vel prædeterminare, & tamen id expolitum à D. Thom. *hic art.* 1. *ad* 1. per hoc quod dum Damascenus negat Deum omnia prædeterminare, per prædeterminationem intelligit impositionem necessitatis, & in hoc sensu in Deo non admittitur prædefinitio, vel prædestinatio. In hoc sensu dicimus intelligendum esse Chrisostomum, nam dum negat, Deum nostras prævenire voluntates, loquitur de prævention necessitante. Et quando asserit, à nobis incipiendum esse, loquitur de initio à nobis liberè præstando, & oppositio prævention necessitantis.

29 Quæ solutio fundatur in eo quod August. ait, scil. antiquos Patres, qui ante Pelagium scripserunt, breviter, quid de Dei gratia sentirent, attigisse, immorari verò *in eis, quæ adversus inimicos Ecclesiæ disputabant.* Disputabant autem contra Manichæos, qui, liberum arbitrium negantes, naturam esse ad unum necessariò determinatam affirmabant. Ea autem est hujus quæstionis difficultas, & tanto contra hæreticos Sancti PP. impetu ferebantur, ut dum contra Manichæos liberum arbitrium defensabant, in Pelagij sententiam incidere viderentur. Unde Augustinus *lib.*

lib. de Grat. Christi, cap. 47. ait: *Ista quæstio ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem asseritur Dei gratia liberum arbitrium putetur auferri.* Et notat S. D. *lib.* 4. *cont. Jul. cap.* 8. *in medio*, se non dicere gratiam negari, sed quod *negari videatur*. Sic dicimus de Chrisostomo, in illius sententia gratiam non negari, sed ita arbitrium defendi, ut *negari gratia videatur*, ne libertas putetur auferri. Imò *tom.* 1. *in Hom. de Adam, & Eva* expressè tenet Augustini sent.

Ad Auct. Ambr. respondet D. Thom. *quæst.* 6. *de Verit. art.* 2. *ad* 1. quod *debitus gratiæ usus est quoddam, ad quod divina providentia gratiam collatam ordinat: unde non potest esse, quod ipse rectus gratiæ usus præscitus sit causa movens ad dandam gratiam. Quod ergo Ambrosius dicit, Dabo illi gratiam, quem scio, &c. non intelligendum est, quod perfecta cordis conversio sit inclinans voluntatem ad dandum gratiam: sed quod datam gratiam ad hoc ordinat, ut aliquis accepta gratia perfectè convertatur in Deum.*

29 Ad auctoritatem Hieron. resp. ex N. D. Thom. à Villanova *Conc.* 3. *in Fest. Corp. Christi*, dicente: *Tu diligis, tu prævenis, tu disponis... tu omnia facis, & ut ego cooperer facis... tuum ergo est hanc dispositionem præstare, nostrum est petere: tuum est efficere, nostrum est desiderare: tuum est dare, nostrum est quærere, & flagitare, & hoc non nisi à te, & per te, à quo est & velle, & perficere pro bona voluntate. Coadjutores enim tui sumus in bonum nostrum, sed à te est, ut coadjuvemus te, ut per te perveniamus ad te. ITAQUE, ET QUOD NOSTRUM EST, A TE EST, & à te totum, & per te totum, ut non glorietur omnis caro coram te. Nec propter hoc gloria nostra evacuata est, & meritum voluntatis sublatum: imò eo major est nostra gloria, & honorificentius meritum nostrum, quando non sic ex nobis est, non quasi ex nobis, sed quasi ex te.* Quæ aurea, & verè Augustiniana verba valdè notanda sunt, ut alia Sanctorum PP. testimonia in catholico sensu intelligantur.

30 Objic. P. August. qui in *lib.* 83. *QQ. quæst.* 68. *in medio*, ad illa verba: *Cujus vult miseretur*, ait: *Sed hæc voluntas Dei injusta esse non potest. Venit enim de occultissimis meritis... Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamvis nondum sint justificati, digni efficiantur justificatione; & item præ-*

cedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtusione. Propter hoc testimonium Soto, & alij dixerunt, Augustinum sensisse dari ex parte nostra causam prædestinationis, & quod hoc postea retractavit: verùm hi AA. ut benè notat Vazquez, Augustini mentem non sunt assecuti: licet enim retractaverit id quod dixit in expositione propos. Epist. Rom. merita arbitrij esse causam prædestinationis gratiæ, *ut quem sibi crediturum esse præscivit, ipsum elegerit*, ut constat ex *cap.* 3. *de Prædest. SS.* non tamen retractavit, quod nobis objicitur, sed illud ex posuit *lib.* 1. *Retr. cap.* 26. ubi referens: Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit ad pacem. *Hoc dictum est*, inquit, *post pœnitentiam. Nam est misericordia etiam ipsam prævenies voluntatem, quæ si non esset, non præpararetur voluntas à Domino. Ad eam misericordiam pertinet & ipsa vocatio, quæ etiam fidem prævenit.*

Loquitur ergo M. Parens de misericordia remissionis peccatorum, & aliarum gratiarum, quas post pœnitentiam confert, quarum multæ ex occultissimis meritis congruis procedunt, non quidem vi solius arbitrij, sed prioris alicujus gratiæ, quia illa bona voluntas, quæ præcedit misericordiam Dei, per quam remittit peccata post pœnitentiam, prævenitur etiam a misericordia Dei, per quam voluntas præparatur à Domino, ut expresse ait S. D. *Primam* ergo misericordiam gratiæ Dei nullum meritum, nulla bona voluntas præcessit, juxta S. D. Assumptum patet, quia ibi intendit M. Parens aliter tractandum fore populum Israel, qui sub Pharaone ingemuerat, & aliter Pharaonem, & Ægyptios, qui Israelitas afflixerant: unde autem proveniat hæc diversitas? Respondet indurationem Pharaonis ortum duxisse ex prioribus meritis, quibus afflixit in regno suo peregrinos: beneficium verò, quod Israelitis contulit, eos à servitute Pharaonis liberando, venisse de occultis eorum meritis, gemitibus, & orationibus, quibus Deum, ut eis subveniret, supplicantes, misericordiâ Dei digni effecti sunt, sed ex gratia Dei: subdit enim ibi: *Si quisque... magno gemitu, & dolore pœnitendi, misericordia Dei dignus fuerit, non ipsius est... sed miserentis Dei, qui ejus precibus doloribusque subvenit.* Igitur ante pœnitentiam datur bona voluntas, sed ad istam præcedit misericordia Dei, etiam ipsam prævenies voluntatem.

Paucis solutionem complectitur D. Thom. *quæst. 6. de Verit. art. 2. ad 10.* dicens; illud in-

intelligendum esse non de causa totali prædestinationis, sed de effectu aliquo de quo datur causa meritoria, vel dispositiva.

31 A ratione objic. Major est distantia inter ordinem hypostaticum, & gratiæ, quàm inter ordinem gratiæ, & naturæ, cum illa sit distantia infinita, hæc finita: sed unio hypostatica potest cadere sub merito de congruo per actus ex gratia, nam ut dicitur *in 3. part.* SS. PP. veteris legis meruerunt de congruo substantiam, vel aliquas circumstantias Incarnationis; ergo gratia poterit cadere sub merito boni operis ex viribus naturæ eliciti. Resp. conc. maj. de distantia in genere entis, secus de distantia habitudinis, & proportionis: nam ordo hypostaticus, & gratiæ continentur intra genus ordinis supernaturalis, & sic unus potest dicere habitudinem ad alium: secus ordo naturæ ad gratiæ, quia hic excedit totam exigentiam alterius. Vide *tract. 4. quæst. 1. art. 1. num. 16.* Vide etiam *hìc num. 15.*

32 Contra 2. concluf. objic. Div. Thom. *in 1. dist. 41. quæst. 1. art. 3. ad 2.* affirmantem, *quod respectu primi effectus* (prædestinationis) *scil. gratiæ, ex parte recipientis non est assignare causam, quarè dignus sit gratia; sed solum dispositionem quamdam.* Et *in 2. dist. 5. quæst. 2.* ait: *Ad eliciendum actum conversionis sufficit liberum arbitrium, quod se ad habendam gratiam per hunc actum præparat, & disponit.* Resp. S. D. loqui non de primo simpliciter effectu prædestinationis, sed de primo inter principales effectus, qui sunt gratia, & gloria: inter quos primus effectus est habitualis gratia. Unde præparatio, & dispositio ita sunt à libero arbitrio, ut non excludatur auxilium transiens divinæ gratiæ. Et similiter intelligendum est secundum testimonium: in hac enim 1. *part.* juxta quam regulari debent alia ipsius scripta, docet, etiam ipsam præparationem ad gratiam comprehendi sub prædestinationis effectu, ut diximus *num.* 23. Et 1. 2. *quæst.* 112. *art.* 2. *in corp.* expressè ait: *Si loquamur de gratia secundum quod significat auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla præparatio requiritur ex parte hominis quasi præveniens divinum auxilium; sed potius quæcumque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum.* Et *in 2. ad Annib. dist. 28. art. 4. ad 3. Cum dicimus aliquid esse in nobis, non excludimus Dei auxilium.*

33 Objic. Juxta D. Thom. *in Suppl. quæst. 14. art. 4.* opera extra charitatem facta sunt meritoria de congruo ad con-

secutionem temporalium bonorum, *ad dispositionem ad gratiam, & ad assuefactionem bonorum operum*: ergo per opera naturalia potest homo ad gratiam se disponere. Hinc ait S. D. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 16. orationem peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem Deum audire non quasi ex justitia, sed ex pura misericordia, quia ut ait *ibi ad* 2. quamvis oratio ejus non sit meritoria, potest tamen esse impetrativa: ergo gratia purè naturalis habet aliquam vim impetrandi. *Rursus.* In natura datur virtus radicalis, seu remota ad actus supernaturales, quamvis non detur vis proxima, & immediata, ut diximus agentes de lumine gloriæ: ergo licèt per actus bonos ordinis naturalis non possit homo se disponere proximè, & immediatè ad gratiam, poterit tamen mediatè, & remotè se disponere.

34 Propter hoc plures AA. concedunt, opera viribus naturæ elicita esse dispositiones ad primam gratiam auxiliantem, non dispositiones positivas, sed negativas, quod benè operando, & non peccando primæ vocationi obicem non ponamus. Alij influxum etiam negativum absolutè negant. Certum est, illa non esse dispositiones positivas, quia carent connexione positiva cum gratia, ut diximus *num.* 14. Certum etiam est, illa non esse dispositiones negativas infallibiles ad gratiam, quia per vires naturæ nequit homo ita benè operari diù perseveranter, ut excludat omne peccatum, quod est impedimentum sufficiens ad omnem gratiam: ut enim excludat talem obicem, indiget gratiâ Dei, quia juxta D. Thom. *Hoc ipsum quod aliquis non ponit obstaculum gratiæ, est ex gratia Dei.* Ita *lect.* 3. *sup. cap.* 12. *ad Hæbr.* Certum est etiam, peccatum non esse impedimentum infallibiliter impeditivum primæ vocationis ad fidem, ut patet in D. Paulo, & aliis.

Ex quibus dicimus, opera bona elicita ex viribus naturæ cum auxilio ordinis naturalis esse dispositiones negativas non infallibiles (in quo sensu vera est secunda sententia) sed fallibiles, & in hoc sensu admitti potest prima sententia, & debet explicari prima auctoritas D. Thom. quòd opera extra charitatem facta valent ad dispositionem ad gratiam, negativè scil. in quantum excludunt aliquem ex se obicem ad receptionem gratiæ: sed non infallibiliter, quia facienti quod est in se ex viribus naturæ Deus non confert gratiam infallibiliter, ut statim dicemus, sicut nec infallibiliter destituit Deus auxilio eos, qui impedimentum gra-

gratiæ præſtant, ſed interdum ex abundantia bonitatis ſuæ etiam eos prævenit auxilio ſuo.

35 Ad 2. reſp. Div. Thom. loqui de oratione ex bono naturæ deſiderio procedente, non naturæ nudè ſumptæ, ſed elevatæ per auxilium tranſiens, & in fide fundato, ait enim *art. præc. ad 3.* quod *oratio innititur principaliter fidei... quantum ad efficaciam impetrandi, quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiæ divinæ, & miſericordiæ, ex quibus oratio impetrat quod petit.* Et juxta Auguſt. quem ibi laudat *ad 1.* clamor, & oratio eſt donum Dei, ut ait *cap. 23. de Dono Perſev.* Ergo oratio præſupponit auxilium. Quod ulteriùs patet ex eo, quod D. Thom. ait, quod illa oratio eſt impetratoria, & ſic ad ſalutem ſpiritualem indubiè conducit: ſed nullum opus tale poteſt elici ab homine ſine adjutorio Dei, ut diffinitum eſt in Arauſ. verbis dat. *num.* 11. ergo illa oratio ſupponit adjutorium.

36 Ad ult. reſp. neg. conſ. quia potentia activa remotè non influit ratione ſui, ſed ut elevata: diſpoſitio autem remota ratione ſui exercet aliquam cauſalitatem in formam, quia licèt ultra ipſam diſpoſitiones proximæ deſiderentur, iſtæ tamen non elevant remotam, ſed iſta cum ſit ejuſdem ordinis cum forma, aliquam ratione ſui cauſalitatem exercet: non ſic actus naturalis reſpectu gratiæ, quæ eſt ſuperioris ordinis.

§. IV.

EXPLICATUR AXIOMA de faciente quod eſt in ſe. Impugnantur aliqui RR. Thomiſtæ; & Molina cum Ripalda.

37 OBjic. 3. Illud axioma: *Facienti quod eſt in ſe Deus non denegat gratiam*, intelligi debere de faciente quod eſt in ſe ex viribus naturæ, nam D. Thom. *quæſt. 14. de Verit. art. 11. ad 1.* ait: *Si aliquis in ſilvis enutritus ductum naturalis rationis ſequeretur, &c.* ut diximus *hic quæſt. 1. art. 3. num. 54.* Et *in 2. Sent. diſt. 28. quæſt. 1. art. 4. ad 4. Dicendum, quod etiam ad fidem habendam aliquis ſe præparare poteſt* PER ID, QUOD IN NATURALI RATIONE EST: *unde dicitur, quod ſi aliquis in barbaris natus nationibus quod in ſe eſt faciat, Deus ſibi revelabit illud, quod eſt neceſſarium ad ſalutem, vel inſpirando, vel Doctorem mittendo. Unde non oportet, quod habitus fidei præcedat præparationem ad gratiam gratum facientem; ſed ſimul homo ſe præparare poteſt ad fidem habendam, & ad alias virtu-*

tu-

tutes, & gratiam habendam. Ergo operatio ex viribus naturæ eſt diſpoſitio infallibiliter connexa cum gratia.

38 Occaſione hujus arg. variant AA. circa axiomatis intelligentiam: communior enim Thomiſt. ſent. docet, intelligendum eſſe de faciente quod eſt in ſe viribus gratiæ: ita etiam communiter DD. NN. & Illuſt. Tellez in M. S. cum aliis Scotiſtis *controv. 5. de Neceſſit. Grat.* At oppoſitum docent non ignobiles Thomiſtæ; & noviſsimè SS. M. Aliaga (*tom. 3. pag. 480.*) fatetur, hoc ſibi (quidquid alij dicant) eſſe clariſsimum, ſtando textui D. Thomæ. Et ut omnis duritia etiam quoad apparientiam auferatur, notat, ly ex *viribus naturæ* non debere ſumi, ita ut importetur ſola gratia creationis, & excludatur auxilium ulterius, quo Deus det nobis ipſum velle, & perficere; hoc enim erat dogma Pelagij. Nec illud auxilium ulteriùs deſideratum, poteſt habere efficaciam à conſenſu creaturæ, quia hoc alienum eſt à principiis Thomiſt. Debet ergo involvi auxilium ab intrinſeco efficax, & ſpeciale, ſed intra ordinem naturæ: attamen opus ſic factum, non debet poni, ut medium intrinſecè tale, aut diſpoſitio poſitiva, vel meritorium de condigno, vel de congruo gratiæ ſupernaturalis. Et per hoc non ſolùm tollitur omnis duritia, & quidquid Semipelagianiſmum redolere poſſet, ſed reſplendet miſericordia Dei gratuitò annectentis ſufficientiam ad conſecutionem vitæ æternæ. Hæc autem univerſalis lex ſic conferendi gratiam non adſtruitur voluntariè, ſed ut pateat via ad ſalutem, & ſimul adſtruatur in pluribus infidelitas negativa.

39 Ceterum quantumcumque hæc lenimenta adhibeantur adhuc dura remanet hæc poſitio, nec recedit à ſent. Molinæ; & minus conſona eſt litteræ D. Thom. quàm ſententia illius, ut à Ripalda, & aliis RR. explicatur. Ratio primi eſt, quia Concil. Arauſ. 2. non ſolùm excludit ab operibus naturalibus rationem meriti, & diſpoſitionis, ſed connexionem infallibilem cum gratia; ut conſtat ex *Can. 6.* ubi damnat aſſerentes, quod ſine gratia Dei quærentibus miſericordia conferatur: ut diximus *num. 11.* ſed qui faceret quod in ſe eſt ex viribus naturæ, Deum quæreret ſine gratia Dei: ergo huic non infallibiliter miſericordia conferenda eſt. 2. ille *per naturæ vigorem* poſuiſſet aliquod initium ad ſuam ſalutem, quod ibidem damnatur, vel poneret id cui infallibiliter eſſet annexa gratia, vi ordinationis, vel pacti, & ſic poneret id quod con-

conducit ad ſalutem ſine gratia Dei. Sicut circumciſsio in veteri lege erat opus ad ſalutem conducens, licèt non gauderet vi intrinſeca, & phyſicè cauſativa gratiæ; quia illi ex ordinatione divina erat infallibiliter annexa.

40 Rurſus rejicitur ex P. Auguſt. laud. *num.* 22. *Nemo propterea benè operatur, ut accipiat gratiam, ſed quia accepit.* Et D. Thom. laud. *num.* 12. & 3. *Ad Pelagianum errorem pertinet dicere, quod homo poſsit ſe ad gratiam præparare abſque auxilio divinæ gratiæ.* Directè oſtenditur ex D. Thom. *ad Rom.* 10. *lect.* 3. *Si feciſſent quod in ſe eſt, Dominus eis ſecundùm ſuam miſericordiam providiſſet... Sed tamen hoc ipſum, quod aliqui faciunt quod in ſe eſt, convertendo ſe, ſcil. ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum.* Et 1. 2. *quæſt.* 109. *art.* 6. *per totum*, & præcipuè *in argum.* 2. ubi opponit contra ſe: *Homo ſe ad gratiam præparat, faciendo quod in ſe eſt; quia ſi homo facit, quod in ſe eſt, Deus ei non denegat gratiam: ſed illud in nobis eſſe dicitur, quod eſt in noſtra poteſtate*: ergo. Ad hoc reſpondet S. D. quod *cùm dicitur homo facere quod in ſe eſt, dicitur hoc eſt in poteſtate hominis, ſecundum quod eſt motus à Deo.* Et *quæſt.* 112. *art.* 3. ubi quærit, *utrum neceſſariò detur gratia ſe præparanti ad gratiam, vel facienti quod eſt in ſe?* Reſp. quod *præparatio hominis ad gratiam eſt à Deo ſicut à movente: à libero autem arbitrio ſicut à moto. Poteſt igitur præparatio dupl. conſiderari: uno quidem modo ſecundùm quod eſt à libero arbitrio; & ſecundùm hoc nullam neceſsitatem habet ad gratiæ conſecutionem, quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ*: ergo facere quod eſt in ſe, ſi conſideretur ſecundùm quod eſt ex viribus naturæ, & etiam cum auxilio efficaci ordinis naturalis, nullam neceſsitatem, vel connexionem habet cum gratia ſupernaturali, *quia donum gratiæ* ſupernaturalis *excedit omnem præparationem virtutis humanæ*: ſed opera moralia, quæ homo elicit ex viribus naturæ, & cum auxilio efficaci dante actum ordinis naturalis, ſunt opera quibus verificatur *aliqua præparatio virtutis humanæ*: ergo ſi juxta D. Thom. gratia ſupernaturalis excedit *omnem præparationem virtutis humanæ*, nullam habet connexionem, & neceſsitatem cum bonis operibus ordinis naturalis; & per conſequens facienti quod eſt in ſe ex viribus naturæ, & cum auxilio efficaci ordinis naturalis, non neceſſariò confertur donum gratiæ.

Quòd

41 Quòd auxilium illud efficax, & speciale ordinis naturalis non extrahat illa opera ab eo quod sint præparatio virtutis humanæ patet, quia illa præparatio est operatio aliqua bona moraliter intra ordinem naturæ, cujus sufficientia descendit ab ipsa virtute naturali: sed nulla operatio bona etiam ordinis naturalis potest elici potentia positionis absque illo auxilio speciali operanti, ut fatetur prælaud. Mag. ergo talis præparatio semper manet intra ordinem naturæ. Sed id quod est à Deo, ut auctore naturali ex terminis, & ex parte effectus nullam habet connexionem infallibilem cum eo quod pertinet ad ordinem supernaturalem; & aliàs non constat de aliqua connexione extrinseca vi legis, aut ordinationis divinæ, ut contra Molinam dicemus cum omnibus Thomist. & Augustinianis: ergo. Hinc ait D. Thom. *ibi* in *Sed contrà*: *Ergo nec homo recipit ex necessitate gratiam à Deo quantumcumque se præparet.* Et nota, quod pro eodem sumit S.D. se præparare ad gratiam, ac facere quod in se est, ut constat ex titulo articuli.

42 Hinc constat, quod semper ac S. D. asserit, quod ut homo se præparet ad gratiam, indiget *auxilio gratuito Dei interius moventis*, ut docet *in* 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 6. *in fine corp.* vel dum ait, quòd facere quod est in se provenit *à Deo movente*, secundùm illud Thren. *Converte nos Domine ad te, & convertemur*, ita ut faciens quod est in se ex Deo movente, gratiam à Deo consequatur, ut docet in ult. loco laud. ex 1. 2. & in loco objecto ex Sent. ly *ex Deo movente* debet intelligi de motione Dei per auxilium supernaturale, quia huic motioni tantum annexa esse potest misericordia Dei.

43 Quod confirmatur ex ipso loco ex Sent. ubi *ad* 2. ait: *Dicendum, quod homo non potest se ad gratiam preparare, nec aliquod bonum facere sine Dei auxilio: & ideò rogandus est, ut nos ad se convertat, & etiam alios: nec tamen oportet, quod illud auxilium semper sit per aliquem habitum infusum: sed potest esse per multa, quæ exterius sunt salutis occasio, & per ipsum actum interiorem, quem Deus in nobis causat.* Ubi ad preparationem ad gratiam excludit donum habituale, uti etiam facit in loco nobis objecto, ubi excludit habitum fidei: adstruit tamen auxilium supernaturale, quia illud occasionatur per illa, quę sunt salutis occasio; unde ratione illius elicit opus, quod conducit ad salutem, vel proximè, vel remotè: ergo debet esse auxilium supernaturale: ergo qui facit quod

est

esse sic fecerit, ita ut infallibiliter consequatur gratiam, non operetur ex viribus naturæ cum auxilio ordinis naturalis, sed ex viribus auxilij supernaturalis.

44. Ulteriùs suadetur assumpt. solvendo auctoritatem objectam: ibi enim non loquitur S. Doct. de naturali ratione nudè sumpta, & sine auxilio supernaturali, sed de ratione naturali cum tali auxilio, quia docet, quod si faciat quod est in se, ita se ad fidem præparabit, ut à Deo accipiat auxilium proximè necessarium ad salutem; ergo supponitur auxilium remotè sufficiens, à quo provenire *possit*, ut præparetur ad proximum. *Rursus*: ipse S. D. nobis præstat regulam generalem, ut illius testimonia juxta illius mentem exponamus, dicens in 2. *ad Annibald. dist.* 28. *art.* 4. *ad* 3. *Cùm dicimus aliquid esse in nobis, non excludimus Dei auxilium.* Vide *num.* 32. Ergo cùm dicimus aliquid esse in potestate *naturalis rationis*, non excludimus Dei auxilium.

Ergo si per id, quod in naturali ratione est, ita præparamur ad fidem, vel ad gratiam, ut illam infallibiliter, vel certissimè (ut D. Thom. ait) consequamur, non excludimus Dei auxilium supernaturale; aliàs conantibus ex viribus naturalibus circa dolorem v. gr. de peccatis, ac justificationem, à Deo conferrentur auxilia quibus id faderent, ut oportet ad salutem: quæ in terminis est sententia Molinæ *in Concordia, disp.* 10. ubi etiam addit restrictionem, quod eo conatu hullâ ratione promeretur, vel digna efficitur creatura talibus auxiliis: sed tantum illa consequitur ex lege, quam Christus, & Pater Æternus statuerunt de donis, quæ nobis ille promeruit merè gratis conferendis. Nec Molina excludit concursum Dei ordinis naturalis: & licèt illud adstruatur dependens à consensu creaturæ, hoc non est discrimen, quod faciat prout ad præsens; quia si ponantur auxilia supernaturalia, ut dependentia à consensu creaturæ, & ex parte actus primi, nihil deducitur contra præsentem concluſ. quia ita præsupponuntur, ut sine illis nec possimus cogitare, unde nec gratia conferetur volentibus ex viribus naturæ, sed gratiæ.

45. Pro fine autem illius legis, quam non voluntariè existimat se statuere prælaud. SS. Mag. ut scil. pateat via ad salutem, & resplendeat Dei misericordia, non est necessarium illud medium, quòd *facienti quod est in se ex viribus naturæ, &c.* sed congruentiùs est dicere, Deum nulli denegare auxilia saltim remotè sufficientia ad salutem pro tempore, quo urget

get præceptum supernaturale, ut diximus *hic quæst. 1. art. 3.* ubi explicatum est quomodo cùm hoc salvetur infidelitas negativa *à num. 97.*

46 Ripalda explicans sententiam Molinæ, ait illud axioma debere intelligi de faciente quod est in se ex viribus gratiæ, quia auxilia supernaturalia ad sunt ex parte actus primi inafferta naturalibus pro priori ad omnem conatum, & usum libertatis nostræ, ut vel actum naturalem efficiat creatura ex se intrinsecè supernaturalem, & salutarem, vel simul cum actu naturali alium ejusdem virtutis intrinsecè supernaturalem eliciat circa idem objectum formale, quod utrique actui commune est: unde nullus est conatus naturæ bonus moraliter, quem non præveniat aliqua gratia supernaturalis, non ex natura actûs naturalis, sed ex providentia supernaturali, quæ datur in hoc statu elevationis, de qua ipse late in aliis sectionibus.

47 Propter hoc diximus primam explicationem axiomatis minùs consonam esse litteræ D. Thom. quàm istam Molinæ, ut sic explicatam; quia nullum conatum, nullum initium ad opera salutaria admittit ex viribus naturæ, & sine Dei adjutorio supernaturali: quod ex hoc capite conforme est textui D. Thom. Ceterum non videbis tenenda est sententia Ripaldæ, quod Deus vi alicujus legis, & providentiæ supernaturalis prævenial supernaturali auxilio omnem conatum naturalem, & actum moraliter bonum, quia alias nullum opus bonum eliceretur de facto, quod non esset salutare, quod est contra Augustin. *lib. de Spir. & litt. cap. 27. & 28.* ubi ait: *Ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera sine quibus, difficillimè vitia cujuslibet pessimi hominis invenitur.* Impugnationes hujus propositionis supernaturalis sepius apud N. SS. Manso in suo *de Viribus Infidelium Operum, quæst. 7. à num. 20.*

48 Secundò impugnatur Molina. Illa lex dandi gratiam supernaturalem prævenientem conanti ex suis viribus naturalibus id quod ex se potest, non aliter potest nobis innotescere quàm ex Scriptura, aut Patribus; cum illa ex libera Dei voluntate pendeat. Sed ex his non colligitur, cum potius ex illis deducatur, plura esse opera moraliter bona, quæ non fiunt ut oportet ad salutem, ut suo loco dicemus, & interim summariè constat ex immediatè laudata auctoritate Augustini: ergo non omnibus ex viribus naturalibus conantibus facere quod in se est, præstò sunt auxilia gratiæ, quibus opera, ut opor-

oppositum aiat, salutem efficiant. Illam, ingeniosè non posse deduci ex textu Scripturæ, quem Molina pro se adducit, ex illo Joann. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, constat ex Aug. lib. 1. *ad Bonif. duas Epist. Pelag.* cap. 3. ubi ait: *Quæ potestas nisi detur à Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio; quia nec liberum in bono erit, quod liberum non liberaverit.* Et in fine cap. ant. Julianum alloquens: *Quid est*, inquit, *quod iste libero arbitrio vult benè vivendi tribuere potestatem; cùm hæc potissimum detur à Deo gratia per Jesum Christum.* Q. N. dicente Evangelio: *Quot quot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Molina autem ita explicat hanc potestatem, ut connaturali naturæ correspondeat; ait enim, ubi supra: *Eatenus facta est potestas, ut filij Dei fiant, quatenus si quantum in se est conentur, priùs illis adsit Deus.* Et clarius ad illa verba Apostoli: *Vult omnes homines salvos fieri*, ait: *Quod si conantibus* ex SUIS NATURALIBUS, *facientibusque quod in se est, vel ut fidem amplectantur unam, quâ ut vide peccatis doleant, Deus non est semper priùs ad opem humilis, & gratiam prævenientem, ut actus sint quales ad salutem oportet, quibuscumque rationibus quidem erit, Datum hullo modo, hominis salvo objici.*

xit. Ergo ex libero arbitrio, & ex conatu naturali, qui non oriatur à gratia præveniente, habet homo potestatem, ut possit ad fidem, & salutem pervenire per gratiam Dei subsequentem, qua filius Dei fiat, & ad agnitionem veritatis veniat. Quæ consequentia opponitur Augustino nullam potestatem admittenti, quæ ex gratia Dei non descendat, juxta illud: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.*

90. Consequentia autem prob. contra Ripaldam ex verbis Molinæ, dum ait, conantibus ex suis naturalibus Deum conferre auxilia, & gratiam prævenientem, ut actus sint salutares. Ergo talis conatus, cujus occasione Deus confert gratiam supernaturalem, non oritur à gratia Dei, aliàs non esset ex viribus naturæ, sed gratiæ: & per consequens gratia, de qua Molina, non est prævenies ad conatum, vel ad facere quod in se est, ut homo doleat de peccatis, & fidem amplectatur, sed unicè est prævenies respectu actus fidei, vel doloris de peccatis, ut fiat, sicut oportet ad salutem: & in hoc sensu habet contra se Arausicanum Can. 6. ubi damnat dicentes, quod conantibus ex viribus naturæ gratia Dei divinitùs conferatur. Ergo nulla lex datur, qua conantibus ex suis naturalibus

Deus semper sit præsto per suam gratiam. Unde contra hanc sententiam militant etiam dicta à *num. 39.*

51 Potestas ergo quæ vi meritorum Christi D. hominibus competit, ut filij Dei fiant, non est ratione alicujus conatus naturalis gratiam præcedentis, sed ratione auxiliorum saltim remotè sufficientium ad salutem, quæ diximus omnibus omninò conferri, quæque præcedunt conatus creaturæ, & ratione quorum verificatur, quod si faciat quod est in se, illis benè utendo, Deus non denegabit proxima, & uberiora. Undè Evang. non loquitur de potestate ex natura ad fidem, sed de potestate proxima ex vi actus fidei, ut sint filij Dei; & ideò subdit, *iis qui credunt in nomine ejus.* Et Augustin. ubi supra: *Datur potestas ut filij Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur, ut credant in eum.* Et ideò illa potestas est effectus Prædestin.

52 Nec hoc est incidere in sent. Ripaldę, quia non dicimus, quod ista sint inserta naturalibus, vel quod singulis momentis conferantur & paganis, & peccatoribus christianis: sed tantum statis temporibus, seu dum urget aliquod præceptum supernaturale. Nec enim sunt dona habitualia, sed transeuntia, quæ vel consistunt in actibus indeliberatis intellectus, & voluntatis, vel in qualitatibus, quæ illos causant, & sic tunc actus evadet salutaris, cùm quis faciat quod est in se, sequens ductum illius illustrationis, quæ sit de objecto supernaturali: cùm autem non semper, & in omni actu occurrat illa sancta cogitatio circa objectum supernaturale; hinc est, quod manet locus, ut aliqui actus tantùm gaudeant honestate naturali, ut eleëmosyna, temperantia, &c.

53 Objic. pro Molina celebre illud August. testimonium ex *lib. 19. de Civitate, cap. 13.* ubi ait: *Deus ergo naturarum omnium sapientissimus conditor, & justissimus ordinator... dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua, id est pacem temporalem... eo pacto æquissimo, ut quicumque mortalis talibus bonis paci mortalium accommodatis rectè usus fuerit, accipiat ampliora, atque meliora, ipsam scil. immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam, & honorem in vita æterna ad fruendum Deo, & proximo in Deo: qui autem perperam, nec illa accipiat, & hæc amittat.*

54 Resp. quod si prædictum testimonium intelligatur de bono usu rerum temporalium ex viribus naturæ, vi pacti æquissimi, vel ex vi ali-

alicujus legis statutæ inter Christum, & Æternum Patrem, sequeretur, illum sic benè utentem illis bonis ex viribus naturæ, ex justitia (hoc enim sonat pacto æquissimo) consecuturum esse ipsam immortalitatis pacem, & convenientem gloriam in vita æterna, quia hoc est, quod August. ait, accepturum esse illum, qui bonis talibus benè usus fuerit, ut satis se explicat per ly *ipsum scil. immortalitatis pacem.* Sequelam autem nec Pelagiani concesserunt, qui gratiam sub meritis arbitrij cadentem propugnantes, non tantum jus bono usui naturæ condebebant, ut gloriam immediatè, & sine gratia dicerent hominos promereri.

Nisi autem demas ly *scilicèt*, non manet locus, ut per *ampliora, atque meliora* intelligantur auxilia, quibus homo *gloriam* accipiat, & *honorem in vita æterna*: unde textu, ut jacet in littera August. manente plus probat, quàm adversi intendant. Imò nec Molinæ favet, etiamsi per ly *accipiat meliora* possent intelligi auxilia, quia ista fatetur merè gratis conferri: non autem conferuntur merè gratis conanti ex suis naturalibus, si benè utenti ex viribus naturæ temporalibus bonis, *pacto æquissimo* redderentur.

Directè resp. M. Parentem loqui de benè utenti *ex viribus gratiæ* temporalibus bonis: hic enim pacto æquissimo à Deo accipit immortalitatis pacem, quia illam ipsi reddit Dominus, ut justus Judex, cùm ad hoc dona sua præordinaverit. Qui sensus constat ex ipso Magno P. qui se ipsum explicat *cap. seq.* dicens: *Ad hoc velle debet... ut aliquid utile cognoscat; & secundùm eam cognitionem vitam moresque componat. Sed ne ipso studio cognitionis propter humanæ mentis infirmitatem in pestem alicujus erroris incurrat, opus habet MAGISTERIO DIVINO, cui certus obtemperet, & ADJUTORIO, ut liber obtemperet.*

ARTICULUS II.

AN PRÆDESTINATIO, ut est electio efficax prædestinatorum ad gloriam, ut coronam, sit ante absolutam prævisionem meritorum?

§. I.

QUIBUSDAM NOTATIS referuntur sententiæ.

1 SUpp. electionem ad gloriam non potuisse fieri ex prævisione meritorum ex viribus naturæ, ut contra Pelagianos diximus *art. præc.* ubi egimus de causa meri-

to-

toria ex parte prædestinati ad totum, vel ad primum prædestinationis effectum. Nunc agimus de meritis creaturæ ex gratia procedentibus: an prædestinatio ita sit gratuita, ut prævisionem illorum meritorum antecedat. Nec loquimur de prædestinatione prout significat actum imperij ad quem præsupponitur intentio gloriæ, & mediorum electio, sed de illa ut est electio personarum ad gloriam: in quo sensu non sumitur electio contrapositivè ad intentionem, sed potius quæritur, an ille actus, quo vult Deus gloriam prædestinato, sit intentio, ex qua eligat media, seu merita, per quæ electus gloriam in executione consequatur? Unde diximus *ad gloriam ut coronam*, quia gloria non est gratis danda; sed ex meritis, & ideò non est sermo de infantium prædestinatione, sed adultorum, in quibus tantum sunt merita.

2 Et ne aggerentur difficultates, an scil. electio efficax supponat conditionatam præscientiam meritorum, ut salvetur creaturæ libertas, diximus, *Ante, absolutam prævisionem*, quia præsens difficultas præscindit ab illa, de qua egimus *tractat. 6.* Supponimus etiam, Deum potuisse eligere homines ad gloriam ut coronam post absolutam prævisionem meritorum; posset enim ex intentione gloriæ ipsius, vel Christi Dei decernere dare gratiam, & merita, quibus absolutè prævisis posset efficaciter eligere ad gloriam eos, quos bene operantes, & in gratia perseverantes prævidit. Sermo ergo est de facto, & juxta ordinem in præsenti providentia statutum.

3 Omissa sententia Catherini, de qua *hìc ant. 3. num. 2.* Prima sent. tenet electionem ad gloriam esse post prævisa merita. Pro hac sent. longum AA. cathalogum reperies in fine operis Card. Sfondrati: *Nodus prædestinationis dissolutus*, ubi quadraginta & quatuor DD. numerantur, quorum primus est D. Bonavent. *in 1. dist. 40. ant. 2. quæst. 2. ad ult.* ubi ait Deum non prædestinare hominem ad salutem nisi per merita, nec reprobare, ut perveniat in damnationem sine meritis. Ceterum hìc loquitur S. D. de prædest. ad salutem in executione, non in intentione. A quia ibi solvit argum. cur prædestinatus non debet non satagere benè operari, licèt prædestinatio sit certa; quod solvitur, quia salus est exequenda per merita, & ideò debemus curare benè agere, quia, *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te.* Et *in quæst. 41. num. 2.* explicans illud Apostoli, *Reliquiæ per electionem gratiæ*, ait: *Si intelligatur de electione temporali, tunc electio gra-*

gratiæ dicitur, quia fit per gratiam. Si autem *de æterna, sic dicitur electio, non ut gratia dicat habitum, sed ut construatur sicut ex vi declarationis essentiæ, unde dicitur electio gratuita, quæ merita non considerat.* Et *quæst.* 2. *num.* 15. expresse ait: *Cum quæritur utrum æternum Dei propositum sit electio in Deo motivam rationem habeat, hoc non intelligitur quantum ad voluntatem divinam, sed quantùm ad ordinationem voliti ad ejus voluntatem. Et si quæratur ratio causalis, vel meritoria, respondetur quod dari non possit.* Unde immeritò laudatur pro sent. contraria.

4 Citant etiam ibi, & in operis fronte S. Franciscum Salesium in quadam ad Leonardum Lessium epist. quam non esse authenticam decem argumentis ostendit A. opusculi *Examen Thomisticum, in puncto* 9. In *libro 3. Operis de Amore Dei*, ubi etiam laudatur, nihil docet quod illi sententiæ expresse faveat; dum enim ait, divinam bonitatem gloriam secundum merita tantùm conferre, loquitur de gloria in executione, & 2. Secundi sent. docet prædestinatos religi efficaciter ad gloriam ante prævisa merita. Hoc cujus defensoribus copiosissimum texuit catalogum Adam Tannerus, Societatis Jesu clarissimus Scriptor *tom. 1. disp. 3. quæst. 5. dub. 3.* tàm ex antiquis, quàm ex RR. ex Hispania, Gallia, Italia, Belgio, & Germania. Pro hac primas partes egit M. P. Augustinus, quem secuntur illius discipuli D. Th. à Villanova *Conc. 3. de S. Joann. Bapt.* S. Prosper, Fulgentius, & Patres Africani *in Epist. Synodica*, apud Noris. Et ultra sexdecim clarissimos DD. NN. quos *art. præc.* laudavimus, docetur etiam à Mendoza *quæst. 1. in Quodl. num. 6.* & vindicatur ab Em. Noris *cap. 3. §. 7. in Vindiciis.* Manso *tom. 1. sui Interpres. quæst. 6. §. 2.* Eamdem tenet D. Thom. cum quo omnes illius discipuli; eamdem Scotus apud Mastrium, qui melioris notæ Scotistas testatur, illum in hoc sensu & intelligere, & sequi. Fasolus ait, hanc esse communiorem, & graviorem inter antiquos, & modernos AA. Huic adhærent clasici ex Societate Scriptores Suarez, Salmeronius, Maldonatus, Granado, Henriquez, Arrubal, Ruiz, Typhanius, & Em. Card. Toletus, & Bellarminus, qui numquam, teste Jacobo Fuligato *in Vita ejusdem, cap. 6.* acquiescere potuit sententiæ oppositæ suis lectoris P. Caroli Faraonis Siculi, & demum audiatur P. de Rhodes Societ. Jesu *disp. 5. de Deo, quæst. 2. sect. 5.* ubi sincerè pronuntiat: Tenent illam 1. Scriptu-

rarum Interpretes nobiliſsimi Abulenſis, Salmeron, Pererius, Toletus, Lyranus, & ad unum veteres omnes. 2. Controverſiarum Scriptores celeberrimi Bellarminus, Driedo, Ruardus, Caſtro, Eſtius, Horantius. 3. Scholaſtici ferè omnes, S. Thom. apertiſsimè, quem ſecuntur omnes ad unum Thomiſtæ; Scotus cum diſcipulis ſuis omnibus; Durandus, Ægidius, Major, &c. Ex RR. Suarez, Ruiz. Enumerare alios infinitum eſſet. Scripturas habent pro ſe apertiſsimas, ac alios multos PP. rationes denique omninò efficaces. Sententia illi extremè oppoſita magno plauſu à RR. plerisque excepta eſt, quia, inquiunt, facilior eſt, & ſuavior, in qua ignari citius acquieſcunt; quia in eâ non ſtatim prodit ſe difficultas, & abyſſus judiciorum Dei eſt occultior.

§. II.

STATUITUR NOSTRA conclusio.

6 DIcimus, *Electionem efficacem ad gloriam eſſe ante prævisionem meritorum.* Prob. ex textibus Scripturæ, quos Auguſt. in favorem noſtræ ſententiæ adducit, datis *art. præc. num. 16. & 17.* Rurſus, ex illo ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Supra quæ Pr. Auguſt. *lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 9.* notat, quod *cum poſſet dicere Apoſtolus ſtipendium juſtitiæ vita æterna, maluit dicere*: Gratia autem Dei vita æterna; *ut hinc intelligeremus, non pro meritis noſtris Deum nos ad æternam vitam, ſed pro ſua miſericordia perducere. De quo in Pſal. dicit homo ejus animæ ſuæ: Qui coronat te in miſeratione, & miſericordia.* Quomodo autem cum hoc ſtet, vitam æternam reddi ſecundum debitum, juxta illud Rom. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Reſpondet S. D. *Quia ipſa bona opera ille in bonis operatur... ideò dicit Pſalm. Coronat te, &c. quia ejus miſeratione bona operamur; quibus coronam reddit.* Idem habet *cap. 8.* Et *in Epiſt. ad Sixtum*: Ex quibus. Dum corona, aut præmium eſt gratia formaliter, intentionem illius non præcedunt alia merita, aliàs gratia non eſſet gratia; ſed gloria ut corona eſt gratia, quia *coronat te in miſericordia*: ergo intentio dandi illam eſt ante prævisionem meritorum. *Explicatur.* Si Rex intenderet donare militi aliquam civitatem acquirendam vi belli, & ei conferret arma, milites, fortitudinem, & omnia media ad occupationem illius neceſſaria; tunc in-

intentio donandi illam non supponeret merita, quia ista consecuntur ad intentionem, & vi illius gratis ipsa merita conferuntur: sed Deus intendit dare gloriam adultis, ut mercedem acquirendam per merita, quæ ipse gratis omninò confert illis: ergo intentio dandi illam est ante prævisionem meritorum.

7 Prob. etiam ex Apostolo, & August. verbis dat. *art. præc. num.* 5. Et *in cap.* 17. *de Prædest. SS.* id probat S.D. ex verb. Jacobi, *cap.* 2. dicentis: Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? *Eligendo ergo* (ait Mag. Parens) *facit divites in fide, sicut heredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos eligit.* Ex quibus deducitur contra Vazquez, non solàm electionem ad gratiam esse gratuitam, ut ipse putat, sed etiàm electionem ad gloriàm, ad quam nullum præcedit examen meritorum, juxta Augustinum; dum enim loquitur de electione constituente heredes regni, loquitur de electione ad gloriam, seu ad regnandum cum Christo: & dum ait, Deum per talem electionem facere divites illos pauperes, quos eligit, profectò loquitur de pauperibus, in quibus ante talem electionem nullæ dantur divitiæ meritorum, aliàs non essent pauperes, nec per electionem divites efficerentur: ergo ante illam electionem ad gloriam, seu ad regnum, nullum præcedit meritum, seu examen meritorum.

8 Prob. etiam M. Parente in *de Corrept. & Grat. cap.* 7. ex illo Apost. Rom. 8. *Omnia cooperantur in bonum iis, qui secundùm propositum vocati sunt: quoniam quos ante præscivit, & prædestinavit. Ex istis*, inquit, *nullus perit, quia omnes electi sunt. Electi sunt autem, quia secundùm propositum vocati sunt: propositum autem non suum, sed Dei; de quo alibi dicit*: Ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori... *electi autem sunt ad regnandum cum Christo.* Ex quibus. Prædestinati sunt electi ad regnandum cum Christo; sed hæc electio non fuit facta ex aliquo examine meritorum, sed ex libera tantùm voluntate Dei: ergo. Prob. min. Ideò sunt sic electi, quia secundùm propositum vocati sunt: sed hæc vocatio fuit ex puro beneplacito Dei, & non secundùm propositum eorum, quos prædestinavit: ergo hæc electio ad gloriam non fuit facta ex prævisis meritis, aliàs electio eorum esset secundum pro-

poſitum ſuum, & non unicè Dei.

Quod autem hæc non debeant intelligi de prædeſtinatis ad gratiam, patet, nam eorum, qui ad gratiam tantùm ſunt prædeſtinati, plures pereunt: ſed ex his, qui electi, & ſecundum propoſitum Dei vocati ſunt, nullus perit, ut docet Auguſt. & probat ex illo 1. Joann. 2. *Si fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum.* 16. *de Prædeſt. SS.* Unde procedit Auguſt. in illo *cap.* 7. & loquens de electione undecim Apoſtolorum, & de electione Judæ expreſsè ait, electionem illorum ad gloriam eſſe merè gratuitam, & præcisè per miſericordiam: *Illos*, inquit, *debemus intelligere electos per miſericordiam, illum per judicium: illos ad obtinendum regnum ſuum, illum ad fundendum ſanguinem ſuum.*

9 Ad hæc in enarratione *in Pſalm.* 30. ad illud *In manibus tuis ſortes meæ* ait M. Parens: *In poteſtate tua ſunt ſortes meæ. Non enim ullum video meritum, quo de univerſa impietate generis humani me potiſſimum elegiſti ad ſalutem.* Ergo ad electionem unius præ alio ad gloriam nullum prorſus meritum, nullum operum examen præceſſit. Per quæ non ſolum excluditur bonum opus ex viribus naturæ, ſed gratiæ: id enim ulteriùs exponens ibi *conc.* 2. ante finem ait: *Sortes dixit, quantum ego exiſtimo, gratiam, qua ſalvati ſumus. Quare ſortis nomine appellat gratiam Dei? Quia in ſorte non eſt electio, ſed voluntas Dei. Nam ubi dicitur iſte facit, iſte non facit, merita conſiderantur: & ubi merita conſiderantur, electio eſt, non ſors. Quando autem Deus nulla merita noſtra invenit, ſorte voluntatis ſuæ nos ſalvos fecit, quia voluit* N. B. *non quia digni fuimus.*

Ex quibus ſic. Juxta Apoſt. laud. ab Auguſtino 18. *de Prædeſt. SS.* in Chriſto *etiam & ſortem conſecuti ſumus prædeſtinati ſecundùm propoſitum, qui univerſa operatur, ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, ut ſimus in laudem gloriæ ejus*: igitur prædeſtinatio ſortis nomine ſignificatur. Sed in ſorte tantum attenditur voluntas Dei, non electio, quæ merita etiam ex gratia elicita conſiderat: ergo ſi Deus ſalvos nos fecit, id eſt elegit nos efficaciter ad gloriam ſorte voluntatis ſuæ, omninò gratis, & non ex conſideratione meritorum etiam ex gratia elicitorum elegit. Prob. hæc conſ. tùm quia Auguſt. per ſortem expreſsè intelligit gratiam, qua ſalvati ſumus, tùm quia illius ratio probat de meritis ex gratia. Si enim Deus intendit dare gloriam huic præ alio ex meritis, quæ iſtæ per

gratiam facturus est potiùs quàm alter, seu ut inquit Vazquez, præmisso examine meritorum, utique merita considerantur, & salvos nos fecit, quia digni fuimus, & non præcisè, quia voluit: sed *ubi merita considerantur, non est sors*: ergo *si sorte voluntatis suę nos salvos fecit, nulla merita nostra invenit*, sed *quia voluit, non quia digni fuimus. Hæc est sors*, subdit Augustt. Et nota, sortes pluraliter dici, quòd tàm prædestinatio ad gratiam, quàm prædestinatio ad gloriam procedunt ex puro Dei beneplacito, & non ex ullis prædestinatorum meritis in ordine intentionis.

10 Quòd autem non tantum rejiciat Augustt. prævisionem meritorum ex viribus naturæ, sed etiam ex viribus gratiæ, ex eo constat, quod Prosper refert, Massilienses docuisse prædestinationem ex prævisione meritorum adjutorio gratiæ elicitorum, ait enim: *Penè omnium par invenitur, & una sententia, qua propositum; & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque prævideriț, & sub ipso* GRATIÆ ADJUTORIO, *in qua futurus esset voluntate, & actione præscierit.* Ita in fine Epist. Præmiseratque in initio ipsos docere, *Deum eos prędestinasse in regnum suum, quos* GRATIS VOCATOS, *dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse prævideriț.* En juxta ipsos prima vocatio ad gratiam erat merè gratuita, & illa bona voluntas, qua digni fiebant electione, erat ex adjutorio gratiæ, aliàs non tàm Semipelagiani, quàm Pelagiani dicerentur: sed in his omnibus contra Augustt. sentiebant, & horum omnium enodationem Prosper ab Augustt. postulabat: ergo si iste ad propositum sibi dubium respondet, quoties ait in supradictis libris, electionem ad regnum esse merè gratuitam, prævisionem meritorum etiam ex gratia elicitorum excludit. P. Vazquez *disp.* 89. *num.* 37. asserit, id sentire esse leviter considerare prædicta Prosp. verba, & eos qui ità arguunt integram epist. non legisse. Sed sanè ex integra epistola non aliud deducitur, nec ipse adducit aliquid in oppositum.

11 Tandem prob. conclus. ex *quæst.* 2. *lib.* 1. *ad Simplic.* ex qua desumit P. Vazquez argum. in quo potissimè fidit ex intelligentia, quam ipse arbitratur Augustinum adhibuisse verbis Apostoli Rom. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vo-*

vocante dictum est ei, quia major serviet minori. Ex quibus sic. Si Jacob fuit electus ad gloriam post prævisa merita (& idem de quolibet alio prædestinato) fuit electus ad illam, ut jam distans ab Esau (vel ab alio quocumque non electo) ratione operum à gratia procedentium, quæ non sunt prævisa in alio: sed hoc rejicitur ab August. ergo etiam electio ad gloriam post meritorum prævisionem. Prob. min. Si Jacob electus esset ad gloriam, ut jam distans ratione operum bonorum ab Esau: hæc electio Jacob non esset, ut secundum electionem propositum Dei maneret, sed è contra debuisset dicere Apost. Ut secundum propositum Dei electio ejus maneret: sed hoc non ait Apost. ergo electio ad gloriam juxta ipsum non est ex prævisione meritorum. Prob. maj. Diversitas operum prævisorum provenit ex diversitate decreti, vel propositi Dei, per quod uni vult gratiam ad bonum opus eliciendum conferre, non alteri, in illoque cognoscit, quid in uno facturus sit, potius quàm in alio: ergo si electio est secundùm prævisionem operum, quæ à justificationis gratia proveniunt, electio erit secundum propositum, & prævisionem operum ab illo provenientium, non secundùm electionem propositum; id est, non quia Deus hunc eligit ad gloriam habet propositum illum justificandi, sed quia habet propositum justificandi illum, ideò eligit ipsum, quæ consequentia directè opponitur locutioni Apostoli, imò & Augustino in fine illius quæst. exponenti illud Apost. Rom. 11. *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt*, ut sic intelligatur, *Non ut justificatorum electio fiat ad vitam æternam, sed ut eligantur, qui justificentur.* En electio ad gloriam est causa justificandi, non è converso. Sed de his latè infra à *num.* 31. ubi clariùs exponentur.

12 Tam perspicua est August. mens in hoc puncto, ut etiam adversarij fateantur, ipsum indubitabiliter nostram sententiam propugnare, Hericius enim *disp.* 23. *cap.* 6. *num.* 71. contra Vazquez pronuntiat, tam expresè Augustinum id sensisse, ut *argumentum confici non possit ad hoc probandum, sed solum tradi debeat liber Augustini legendus.* Et Ellias Dupin *tom.* 3. *in Critice ad tom.* 10. P. Augustini secundùm ordinem novissimæ editionis referens Augustini placita de prædestinatione ait, ita se habere: primò Deum prævidisse peccatum originale, & in eo totam universi generis humani massam corruptam. 2. in ea corruptione jure optimo posset Deus om-

nes

nes homines relinquere, si velet. 3. aliquos ex hac miseria eripere ab æterno decrevit: *Quosdam ita elegit meræ misericordiæ affectu, nullo cujusquam futurorum meritorum habito respectu. Illis, quos sic elegit, ab æterno destinavit, præparavitque gratias, quarum auxilio possint infallibiliter salvari, easque illis gratias in tempore exhibet.* Hæc vir ille in Ecclesiasticorum AA. lectione versatissimus, per quæ graficè Augustini sententiam de prædestinatione depinxit.

13 Id ipsum constat ex iis, qui in propugnandis Augustini sententiis amplius elaborarunt. D. Prosper in iis, quæ adversus calumniatores doctrinæ P. Augustini edidit in 4. libris, & in *de Vocatione Gentium*. Et N. S. Fulgentius *lib. de Incarn. Verbi, cap.* 31. seu, ut alij dicunt, Petrus Diaconus inter opera vetera Fulgentij. Et *in lib. de Fide ad Petrum* inter opera August. *cap.* 35. & *in lib.* 1. *ad Monimum*. Et Ang. Præcept. pluribus in locis, quæ longum esset commemorare. Tam enim iste, quam reliqui Augustini discipuli cum ipso docent, ex mera liberalitate Dei procedere, quod hunc velit eligere ad gloriam. Videatur D. Thom. *quæst. 6. de Verit. art. 2. & 6.* Et hìc *art.* 4. ait: *Prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundùm rationem, quod Deus illorum velit salutem.*

Et 9. ad Rom. *lect.* 3. *litt.* K. *Non potest esse quod merita consequentia gratiam sint ratio miserendi, aut prædestinandi, sed sola Dei voluntas secundùm quam misericorditer aliquos liberat.* Et ex illo *miserebor cui voluero* intulit S. D. *Ubi manifestè non meritis, sed soli divinæ voluntati adscribitur divina misericordia.* Pro quo præmisit rationem Augustini dicens: *Cum omnes homines propter peccatum primi parentis damnationi nascantur obnoxij, quos Deus per suam gratiam liberat, sola misericordia liberat: & sic quibusdam est misericors, quos liberat; quibusdam autem justus, quos non liberat; neutris autem iniquus. Et ideò Apost. quæstionem solvit per auctoritatem, quæ omnia divinæ misericordiæ adscribit.* Videatur etiam *super cap.* 1. *ad Ephes.*

14 Consonat etiam D. Th. à Villanova *conc.* 3. *de S. Joanne Bapt. Non propterea*, inquit, *Deus elegit nos, quia merita nostra futura prævidit, sed è converso, ideò ad cumulum meritorum pervenimus, quia ab ipso electi fuimus... Qui secundùm propositum voluntatis suæ PURE GRATIS, quia sic voluit, & sic fuit placitum coram eo, sine operum, aut meritorum res-*

respectu, elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati coram eo... non quia futuri eramus sancti, elegit nos, sicut ait August. ut non sanctitas prævisa, electionis, sed è contra electio sanctitatis causa sit.

Constat autem ipsum agere de electione ad gloriam, quia immediatè præmiserat: *Electio illa sive prædestinatio ab æterno, qua homo AD VITAM ÆTERNAM destinatur... est prima, quia ab æterno: est pura quia N. B. non ex meritis: est maxima, quia immutabilis, & certa, & omnium aliarum causa.* Et postea subjungit: *Hęc autem gratia electionis, licèt omnibus electis communis sit, non tamen omnibus est æqualis: quia non omnes ad parem dignitatis, & glorię gradum eliguntur, sed secundùm Dei beneplacitum.... quos Deus ad sublimiorem, & celsiorem gloriæ statum pręordinavit, amplioribus etiam donis, & gratiis adjuvat, ut possint pervenire quò tendunt: nam secundùm statutum finem cetera media disponuntur.* En priùs est eligere, & statuere hunc gloriæ gradum tamquàm finem, quod òritur ex puro Dei beneplacito, quàm ad media, & gratiam respicere.

Ex quo desumitur ratio fundamentalis. Ordinatè volens priùs vult finem, quàm media ad talem finem: Deus ordinatè vult: ergo priùs vult finem, quàm media: talia sunt merita, & gloria est finis: ergo priùs vult gloriam, quàm merita. Sed ista nequeunt prævideri, ut absolutè futura ante voluntatem Dei illa conferendi: ergo prævisionem absolutam meritorum præcessit voluntas dandi gloriam prædestinatis. Maj. docetur à Philosopho 3. *Ethic. cap.* 8. dicente: *Finem prius esse volitum ab agente, quàm media ad illum.* Ratio. Finis est causa eligendi media, aliàs illorum electio esset præter agentis intentionem. Cetera constant.

15 Respondent adversf. electionem mediorum supponere intentionem finis non præcisè efficacem, sed sufficere ineffacem, qua Deus vult omnibus dare gloriam. *Sed contra.* Ad electionem efficacem mediorum necessariò prærequiritur intentio efficax finis, quia si electio, ut sic prærequirit intentionem finis, electio efficax mediorum efficacium debet præsupponere efficacem finis intentionem. Sicut quia ad calefactionem prærequiritur calor, ad majorem calefactionem prerequiritur major calor. *Tùm*, quia intentio movet ad electionem mediorum efficacium, ut talium, ideò dicitur efficax: ergo implicat dari electionem efficacem mediorum efficacium; & intentionem fi-

finis, quæ ad illam movet, non esse efficacem. Tum, *propter quod unumquodque tale, & illud magis*: sed media efficacia eliguntur propter finem: ergo si media eliguntur efficaciter, ad talem electionem præsupponitur amor, & intentio efficax finis. *Tum*, quia sicut se habent principia respectu intellectus ad assensum conclusionis in speculativis; ita se habent finis, & ejus intentio ad media, & eorum electionem in agibilibus, ut dicitur 6. *Ethic.* sed assensus certus, & evidens conclusionis necessariò præsupponit assensum certum, & evidentem præmissarum; ergo electio efficax mediorum præsupponit intentionem finis efficacem. *Tùm*, intentio inefficax finis est de se indifferens ad electionem efficacem mediorum, & inefficacem, seu est ab intrinseco conjungibilis cum fine, & illius carentia: sed ex hac nequit descendere electio efficax mediorum; quia hæc electio est infallibiliter connexa cum finis assecutione, & positivè repugnans cum carentia finis: electio autem talis nequit procedere ex intentione finis conjungibili cum carentia finis; aliàs à causa procederet effectus habens prædicata positivè repugnantia intrinsecis prædicatis causæ: ergo ad electionem efficacem prædestinatorum ad gloriam debet præcedere intentio efficax illius.

16 Respondent alij electionem efficacem medij physicè influentis in finem debere procedere ex intentione efficaci finis: secus autem loquendo de medio moraliter influenti, cujusmodi sunt gratia, & merita in ordine ad gloriam. *Sed contra*, ex hoc enim non enervatur ratio præcedens; nam ideò volitio efficax, & ordinata cujusvis medij à voluntate efficaci finis debet procedere, quia finis est omnium causarum prima; & ne ex intentione inefficaci finis quasi casù, & fortuitò ad electionem efficacem mediorum procedatur: sed hæ rationes non minus militant in mediis moralibus, quàm in physicis: ergo. *Tùm*, executio finis non minus dependet quoad præsens à mediis moralibus, quàm à physicis: intentio autem finis à neutris dependet, sed potiùs utraque à fine in ordine intentionis dependent: ergo licèt executio finis præsupponat prævisionem mediorum moralium, non rectè infertur intentionem efficacem finis illa prævisa supponere, sed è contra; aliàs potiùs intentio finis à mediis in ordine intentionis penderet, quàm media à fine. Et si executio finis à physicis, & moralibus mediis pendet; tam intentio efficax finis debet supponere prævisionem me-

medij phyſici, quàm moralis, vel neutrius.

17 Tertiò reſp. alij, eum qui ſibi vult finem debere incipere ab ejus efficaci intentione, ut eligat media efficacia: qui verò non ſibi, ſed alteri vult finem, non oportet velle efficaciter illum, ſed ſufficit velle conditionatè, antequàm prævideat media, quibus ad illum perventurus eſt. Pater enim volens filium evadere doctum, ex ſimplici hujus finis deſiderio moveri ſoleri ad electionem, & collationem mediorum, ſcil. ſtudiorum ſubſidia. Et Rex volens præmium ſtrenuiùs certanti, huic in particulari poteſt illud conditionatè velle, ſi ſcil. merita habuerit, & ex hac voluntate illi poteſt arma conferre: at non vult abſolutè, & efficaciter illi præmium conferre, niſi prævisis meritis ejuſdem.

18 Sed contra 1. exempla enim non ſunt ad rem, quia illi non habent finem, aut media efficacia in ſua poteſtate, ſicut Deus volens nobis finem gloriæ; quia & magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas, & novit ſe habere in ſua poteſtate media, quibus certiſsimè liberentur, quos ipſe voluerit liberare: & ideò non poteſt moveri ad efficacem horum mediorum electionem ex deſiderio inefficaci finis, ſed ex efficaci gloriæ intentione. Ratio eſt, quia ex eo potiſsimùm poteſt quis moveri ex ineffica-ci finis deſiderio ad efficaciter applicanda media, quia ignorat, aut dubitat, an media, quę poteſt adhibere ſint efficacia ad finis conſecutionem: ut qui exoptat dignitatem, quæ ab alterius voluntate unice dependet, poteſt efficaciter moveri ex illo deſiderio ad applicationem mediorum, quibus fortè dignitas de facto obtineatur: unde illa media non eliguntur, ut formaliter efficacia, ſeu cum prævisione efficaciæ: idcircò intentio finis non per ſe, ſed per accidens, & caſu infert electionem efficacem mediorum efficacium, quia finis non conſequitur ex vi illius intentionis inefficacis, quæ conjungibilis eſt eum non conſecutione finis, ſi ſcil. alter nolit illi dignitatem conferre. Sed Deo non competit ignorantia, aut dubitatio in electione mediorum, cùm evidenter ſciat, eſſe in ipſius poteſtate infinita media efficacia, ut creatura ſalutem infallibiliter conſequatur: ergo nequit hæc media eligere ex inefficaci finis intentione, ſed potiùs efficax gloriæ intentio debet præcedere mediorum electionem.

19 Aliter reſp. alij, quod ſi media eligantur, ut efficacia ad finem, debet præcedere intentio efficax finis: non ſi quamvis in re ſint efficacia, prout ta-

talia non eligantur; & ita contingit in præsenti. *Sed contra*, quia discretio inter prædestinatum, & reprobum consistit primò, & per se in electione mediorum non entitativè, quia auxilia intrinsecè sunt æqualia, sed in efficacia quam habent ad gloriæ consecutionem: ergo si talis efficacia non est volita formaliter à Deo per electionem, sed se habet concomitanter, discretio prædestinati à reprobo non erit ex Dei voluntate, & electione, sed præter illius intentionem. 2. Quia Deus non præparat reprobo medium inefficax, quia inefficax; ideò non est ex intentione Dei reprobum non consequi gloriam: ergo si Deus non præparat prædestinato media efficacia, quia talia, non salvabitur, consecutionem gloriæ esse ex intentione Dei, & similiter de discretione. Si dicas, Deum velle indirectè efficaciam, contra: ergo Deus solum indirecte discernit, & tantum indirectè efficaciter vult consecutionem gloriæ. Et nullam specialem benevolentiam habebit erga prædestinatos; quia si nullum speciale bonum vult directè prædestinato, non erit specialiter benevolus: bonum speciale volitum prædestinato est efficacia auxilij: ergo si hæc non est directè volita, non datur specialis benevolentia erga prædestinatos; actus enim non constituitur in aliqua determinata specie per id, quod ipsi competit indirectè.

20 Ult. resp. quod si finis intendatur, ut corona, voluntas efficax illius debet supponere meritorum prævisionem. *Sed contra.* Voluntas præsupponens prævisionem meritorum est remunerativa illorum: sed intendere gloriam per modum coronę non est remunerare merita per talem intentionem, sed tendere ad illorum remunerationem: ergo ad talem intentionem non præexigitur prævisio meritorum. 2. Ut gloria detur dependenter à meritis, seu ut corona, non oportet merita præcedere intentionem efficacem, sic illam conferendi, ut enim quis intendat dare equum alteri dependenter ab illius acceptatione non requiritur, prævisionem acceptationis præcedere intentionem dandi equum: ergo.

21 Alia ratio conclus. est. Merita nostra sunt efficacia ad gloriam, ut conjuncta cum dono perseverantiæ: sed tale donum datur prædestinatis ex intentione efficaci salutis ipsorum: ergo electionem mediorum efficacem præcedit efficax salutis intentio. Aliter. Deus omninò liberaliter, & independenter à meritis dat uni perseverantiam, alteri non dat: ergo etiam omninò liberaliter, & independen-

ter à meritis absolutè prævisis vult efficaciter uni dare gloriam, non alteri. Ant. docetur ab August. in *de Dono Persev.* & verbis dat. *art. prec. num.* 18. Et si quod inconveniens esset in consequenti, illud enervatur in materia antecedentis, nam si antecedens cohęret cum sincera voluntate salutis omnium, nec impedit solicitudinem salutis, correptiones, & exhortationes, nec inducit segnitiem, vel desperationem; non est cur electio gratuita ad gloriam similes patiatur instantias.

Secundò prob. cons. Eò perseverantia finalis dicitur *magnum donum*, quia & est materia liberalitatis, & cum effectu nos perducit ad beatitudinem: ergo Deus illud donans, & intendens uni conferre, vult merè gratis conjunctionem ejus cum beatitudine. Sed qui vult perseverantiam, ut conjunctam cum gloria, vel ut inductivam ejus, non potest non velle ipsam gloriam: ergo si Deus ante prævisa merita vult uni præ alio donare perseverantiam, etiam ante prævisa merita vult unum ad gloriam perducere præ altero.

* * * \

intelligi de possessione, quæ est consecutio actualis, & dependet à meritis, & facit hunc sensum, Regnum paratum vobis ab æterno, ante omnem creaturam, & ante omne vestrum meritum possidete, quia esurivi, & dedistis mihi manducare: unde ibi solum redditur causa executionis gloriæ, quæ merita prævisa præsupponit, seu præparationis completę gloriæ (quę est talis, ut consideratur ab omnibus causis dependens) non verò voluntatis intentivæ, quæ est gratuita, & ante prævisa merita. Et sic conciliantur illi textus à nobis adducti de gratuita, & liberali præparatione gloriæ, cum his in quibus merita dicuntur præsupponi: illi enim de intentivo, isti de executivo decreto intelliguntur. Ad 2. eodem modo resp. nam cùm *Joan. 1. cap. 4.* dicatur: *Dilectio ex Deo est*, debet esse ordinata à Deo in vitam æternam, aliàs Deus illam casualiter produceret in nobis. Ergo debet esse posterior ad prædestinationem, non autem causa illius, sed effectus: *Ex hoc* enim *proposito ejus*, seu prædestinatione, *est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum*, ut ait August. 18. *de Prædest. SS. in fine*. Unde ly *præparavit* intelligitur de præparatione completa per decretum executivum.

24 Ad 3. resp. ex D. Thom. *hìc art. 8. in corp.* quod prædestinati per bona opera certitudinaliter implent prædestinationis effectum; sine illis enim bonis operibus, & orationibus, sub quibus prædestinata est ipsorum salus, illam non consequentur: unde non frustrà admonemur, quia sine bonis operibus salus executioni non mandabitur. Igitur prædestinati certam faciunt suam prædestinationem quoad effectus, non quoad electionem, seu ipsam divinam præordinationem, quia hæc, utpote æterna, non juvatur aliquo temporali. Verba D. Thom. dedimus *tract. 6. quæst. 3. art. 4. num. 23.*

25 Ad aliud ex Apost. dici, sensum non esse, *Quos præscivit conformes fieri imaginis filij sui, hos prædestinavit*, in quo tantum sensu prædestinatio esset ex præscientia meritorum, sed ordinatio litteræ convenientius sic se habet, *Quos præscivit, hos & prædestinavit fieri conformes imaginis filij sui, Ut ista conformitas* (ait D. Thom. *ibi lect. 6.*) *non sit ratio prędestinationis, sed terminus, vel effectus.* Igitur per ly *præscivit* intelligitur scientia absoluta approbationis, fundata in decreto juxta illud August. *Prædestinatione sua Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Et: *Quid nos prohibet quando apud ali-*

quos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædestinationem intelligere, ut ait *cap.* 19. *de Dono Perseu.* Unde prædestinatio fundata in decreto est causa, seu ratio præscientiæ meritorum, & sensus est, Quos Deus in suo decreto, & prædestinatione intentiva præscivit conformes futuros imaginis filij sui, hos ordinavit ad gloriam voluntate executiva. Vel dic, quos præscivit scientia simplicis intelligentiæ, hos & prædestinavit, non enim prædestinare poterat, nisi præsciret, ut ait D. Thom. ibi.

26 Ad auctorit. Ambr. dic, ipsum loqui de prædestinatione, seu præparatione præmij in ordine executionis, quæ sic dependet à meritis: unde meritò ait, *Quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* Similiter exponendum est, quòd ait super *cap.* 8. *Rom. Istos quos præscivit futuros sibi devotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda*; loquitur namque de electione executiva, nam *cap.* 9. (prejacta simili sententia) subjungit: *Quia neminem damnat antequàm peccet; & neminem coronat, antequàm vincat.* Vel ut alij dicunt, loquitur de præscientia meritorum, non quæ sit motivum electionis, sed effectus ipsius electionis, juxta dicta ex D. Thom. *num. præc.*

27 Ad ult. dic, ibi esse sermonem non de corona, quæ est alicujus ex prædestinatione divina; sic enim nullus coronam suam amittit; & de hoc philosophandum est secundùm dicta *num.* 24. sed de corona, quæ est alicujus ex merito gratiæ, quod enim meremur, quodammodo nostrum est; & sic suam coronam *aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens. Alius autem illam coronam amissam accipit, in quantum loco ejus subrogatur: non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat... Sic enim in locum Angelorum cadentium substituti sunt homines, & in locum Judæorum gentiles. Substitutus autem in statum gratiæ etiam quantum ad hoc coronam cadentis accipit, quòd de bonis, quæ alius fecit, in æterna vita gaudebit, in qua unusquisque gaudebit de bonis tàm à se, quam ab aliis factis.* Ita D. Thom. *hic art.* 6. *ad* 1.

§. IV.

PRÆCIPUUM EX AUGUST. testimonium solvitur ex ipso Magno Parente, & aliorum solutiones rejiciuntur.

28 ARg. 2. ex P. August. *lib.* 1. *ad Simpl. quæst.* 2. *non parum à principio*; di-

dicente: *Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio; id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideò manet propositum justificationis ipsius, sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideò invenit opera, quę jam eligat ad regnum cælorum. Nam nisi esset electio, non essent electi; nec rectè diceretur*, Quis accusabit adversus electos Dei? *Non tamen electio prȩcedit justificationem, sed electionem justificatio. Nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur. Undè quod dictum est, quia* elegit nos Deus ante mundi constitutionem, *non videò quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hìc autem quod ait*, Non ex operibus... *non electione meritorum, quæ post justificationem gratię proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.* Ergo Deus eligit ad regnum cælorum, quia invenit opera consequentia justificationem; & sic electio ad gloriam est ex prȩscientia meritorum, ratione quorum electus distat, & discernitur à non electo.

29 Ad hoc testimonium, quod valdè magnificant adversi, respondet Bellarminus, Fassolus, & alij Mag. Parentem retractasse hanc sententiam, & his adhærer Illust. Montalvan loquendo de retractatione quoad modum. *Sed contra*, quia licèt S. D. alia retractet ex expositione Epist. ad Rom. mentionem tamen faciens *in lib. 2. Retract. cap. 1. hujus quæst. 2. ad Simpl.* nihil corrigit ex his quæ ibidem scripserat; imo ait, in illa commendari Dei gratiam, *Laboratum est*, inquit, *pro libero arbitrio voluntatis humanę, sed vicit Dei gratia.* Item *in cap. 4. de Prędest. SS.* Massilienses remittit ad illorum librorum lectionem: quod non faceret, si in illis essent sententiæ, vel locutiones dignæ retractatione. Et *cap. 20. de Dono Persev.* etiam approbat, quæ ibidem scripserat.

30 Respondet N. Gavardi Mag. Parentem loqui de electione non Dei, sed quæ est actus creaturæ. *Sed contrà*, quia dum ait: *Non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, sed invenit opera quæ jam eligat ad regnum cælorum*, ly *eligat* non videò quomodo possit intelligi nisi dictum de Deo; tum ratione concordantiæ; tum quia pro hoc adducit illud Ephes. 1. *Elegit nos Deus ante mundi constitutionem.* Loquitur ergo de electione Dei, non de creaturæ.

31 Pro genuina mentis Augustini intelligentia nota S. D. in illa quęstione procedere inquirendo, & produplici parte argu-

gu-

gumentando; non ita ut purè dubitativè procedat, & non resolvendo, ut aliqui existimant (aliàs si nihil ibi determinasset, frustra Massilienses ad illos libros legendos remisisset) sed in posteriori positione suam mentem testatam reliquit, unde in *lib. 2. Retract. cap.* 1. loquens de hac quæst. ad Simp. ait: *Laboratum esse pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicisse Dei gratiam*: ista autem non vicisset, si nihil ibi determinasset. Laboravit ergo pro libero arbitrio in quantum prius proposuit rationes, quibus se urgebat in arbitrij favorem. Sed vicit Dei gratia, quia per posteriores rationes resolvit in gratiæ commendationem. Hic mos procedendi familiaris erat Augustino, ut patet in *lib. de Genesi ad litteram*, & alibi: imò ex fine istius quæst. ad Simplic.

32 Cum enim quæreret rationem cur unus eligatur ad gratiam salutarem: *Si ad examen*, inquit, *hujus electionis aliqua cogitatione permittor*, non habeo quod intuear, nisi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque. *Quisquis ergo fuerit, quàm minimis peccatis irretitus, atque macalatus* (*nam nullis quis potest?*) *& acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam.* En statuisse videtur rationem, causam vel dispositionem ex parte nostri ad primam gratiam; quod ab omnibus Catholicis ipso August. præeunte rejicitur. Unde immediatè contra illam positionem resolvit, nihil dari ex parte nostri ad talem electionem. *Sed cùm hoc statuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia, & stulta mundi, ut confundat sapientes, ut eum intuens, & pudore correctus, ego irrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam piscatoribus oratores.* Si infirmus præ forti, & stultus ad sapientis confusionem eligitur, qua ratione robur, vel ingenium erit causa electionis?

33 Probat hoc ulteriùs S. D. ex variis comparationibus fidelium, & infidelium, conjugum castè viventium, & meretricum, & histrionum subitò conversorum: & concludit, quod non aliquid naturale; sed voluntates, quas Deus in nobis divinitus, & misericorditer efficit, eligantur; quod probat in Saulo persecutore, cujus cæca voluntas repentè, & gratuitò ad fidem correcta est à Deo donante cui placet. Et quærens, *quare huic ita, & huic non ita?* respondet cum Apost. *Homo tu quis es? Debitum si non reddis, habes quod gratuleris: si reddis*

dis non habes quod queraris?

34 Ex hoc apparet, nullam dari distantiam inter eligendos ad gratiam antequam eligantur: non ergo juxta Augustini mentem verum est absolutè, quod nobis objicitur, *Nemo eligitur nisi jam distans ab illo qui rejicitur*, cùm hoc sit falsum in electione ad gratiam. Urgentius ostendo, textum nobis objectum non debere opponi tamquam ex persona, & sententia M. Parentis, 1. quia expressè opponitur Apostolo, dicenti: *Ut secundùm electionem propositum Dei maneret*, illud, *Non secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio.* Apost. ait, *Secundùm electionem propositum*; verba nobis objecta corrigunt hanc locutionem, & contrarium inferunt, *Non ergo secundùm electionem propositum.* Qua ergo ratione menti Augustini attribui potest conclusio adeò ex diametro opposita D. Gentium? Vel si illa favet adversariis ipsi viderint an concordent Apostolo.

35 Secundò, ultra hanc rationem, quæ me non parùm urget, ostendo, verba nobis objecta non esse ex August. mente, ex ipso contextu: proposito enim sibi textu: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali*, ut posset dici, *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori*, inter quæ verba apposuit Apostolus in parentesi, *ut secundùm electionem propositum Dei maneret*, Quærit Augustinus, cur dixerit, *Ut secundum electionem propositum Dei maneret*? Et circa hoc duo facit, primò proponit rationem pro parte asserente, non salvari, propositum Dei erga justificationem Jacob fuisse secundùm electionem hujus præ alio, si nullo merito prævisso fuit electus, per quod distet à non electo: & secundùm hanc positionem electio debet esse ex prævisione metitorum. Secundò arguit pro contraria positione, quod scil. non salvetur, propositum Dei esse secundum electionem, si electio est ex prævisione meritorum, & non purè gratuita, seu liberalis.

36 Primam partem docuit ipse August. *in expositione quarumdam propositionum ex Epist. ad Rom. propos.* 60. ubi dixit, electionem Dei fieri ex præscientia fidei, ut quem sibi creditum esse præscivit, ipsum elegerit. Fundamentum quo usus fuit ad hoc, erat, quia ante meritum omnes sunt æquales: sed in omninò æqualibus non datur electio: ergo ut secundùm ELECTIONEM propositum dandi Spiritum S. maneat, dicendum est, Deum præscisse meritum in uno, & non in alte-

tero. Sed Spiritus S. non datur niſi credentibus: ergo quem ſibi crediturum eſſe præſcivit, ipſum elegit, cui Spiritum S. daret. Hoc expreſsè retractavit in *lib.* 1. *cap.* 23. quia fides, & fidei meritum ex Deo eſt, & de Dei deſcendit miſericordia, non quia fidelis homo ſit, ſed ut fidelis ſit: datur quidem fideli, ſed data eſt etiam ut fidelis eſſet, ut ex Apoſt. oſtendit Auguſtin. *ibidem.*

37 Unde non ſolum retractat, quod fides non ſit ex miſericordia Dei, ſed quod ut homo miſericordiam electionis conſequatur opus ſit, ut diſtet ab alio per aliquod præcedens meritum; quia dum illud docuit, *nondum diligentiùs quæſiveram* (ait ibi) *nec adhuc inveneram, qualis ſit electio gratiæ, de quâ idem dicit Apoſt. Reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt*, ex quo infert, quod ad electionem gratiæ nullum debet meritum ex parte hominis præcedere; & tamen ſubſiſtit electio, quia hęc miſericordia datur, ut homo ſit fidelis, non quia fidelis, ut dicit ibi in fine capitis. Et in *epiſt.* 106. *ad Bonifacium* ante medium exponit verba Apoſt. dicens: *Non dicit* (Apoſtolus) *electionem voluntatis humanæ, ſive naturæ, cum par eſſet in utroque mortis damnationiſque conditio, ſed electionem procul-dubiò gratiæ, quæ non invenit eligendos, ſed facit.* En juxta genuinam Auguſt. mentem poteſt dari electio inter omninò æquales, quoties ipſa electio facit diverſitatem. Unde in *de Prędeſt. SS.* ait: Elegit nos, non quia eramus, aut futuri eramus ſancti, ſed ut eſſemus; & *ideò eramus futuri, quia elegit ipſe.*

38 His circa acceptionem *electionis* ex mente Aug. jactis; nunc ad aſſumptum dicimus, quod primò arguit Mag. P. pro parte aſſerente, electionem debere fieri ex meritis; ex illo principio, quia ſi nullo merito electus eſt Jacob, quomodo dici poteſt electus; ubi enim nulla diſtantia eſt, nec electio eſt; aut quomodo juſta eſt talis electio, ſi nullo æquitatis examine facta eſt? Et quomodo juſta dici poteſt improbatio Eſau, ſi nullo merito improbatus eſt? Nulla ergo electio eſt, antequam eſſet quod eligeretur. *Non itaque electus eſt Jacob, ut fieret bonus* (id eſt, non eſt electus ſine prævisione omnis bonitatis) ſed *bonus factus eligi potuit*, id eſt, viſa illius bonitate, fuit electus. Ergo ut Jacob dicatur electus antequam natus, oportet, ut ex futura libera, & bona voluntate, quam Deus ab æterno præſcivit, ipſum elegerit, quem juſtificaret.

39 Quod prævisio debeat eſſe operationis liberæ, probat S. D. quia id per quod Jacob diſ-

distet ab Esau non potest esse meritum naturę, cùm illi fratres fuerint *ex uno patre, & ex una matre, & ex uno concubitu, & ex uno creatore* : ergo debuit esse electio ex diversitate operationis liberæ. Sed *ex fide justificat Deus gentes*, quia fides est fundamentum ad salutem, *nec credit aliquis nisi libera voluntate* : ergo *hanc ipsam fidei voluntatem futuram prævidens Deus, etiam nondum natum præscientia, qua justificaret elegit.* En argum. quod Aug. retractavit, si illud intelligas de fide, quæ non sit ex Deo. Intellecto tamen de fide ex gratia, illo utuntur adversarij.

40 Sed hoc rejicit M. Parens arguens pro parte opposita. *Si electio est per præscientiam, & præscivit Deus fidem Jacob* : unde probatur, quod *non etiam ex operibus elegit eum* ? Qui enim prævidetur creditурus, præscientia etiam videri poterat operaturus ; & sic ex operibus prævisis potuit esse electus. Sed juxta Apost. Non ex operibus, &c. *Non igitur ex præscientia voluit intelligi factam electionem minoris, ut major ei serviret.*

41 His pro utraque parte rationibus adductis iterum dubium exagitat : *Unde illa electio facta sit ; quia si non ex operibus, quę non erant in nondum natis ; nec ex fide, quia nec ipsa erat, unde igitur* ? Et denuò reponit pro prima positione rationem dubitandi, sic : *An dicendum est, quod nulla electio fuerit non existente aliqua diversitate in utero matris, vel fidei, vel operum, vel quorumlibet omnino meritorum* ? Hoc non approbans, immediatè pro parte oppositа arguit ex Apost. sic : *Sed dictum est, Ut secundùm electionem propositum Dei maneret*, ac si diceret : sed contra hoc obstat testimonium Apost. dicentis, propositum Dei manere secundùm electionem, & non ex operibus : ergo datur electio nulla existente meritorum, vel operum diversitate. In quibus, ut patet, ratio pro secunda positione est resolutoria in favorem nostræ sententiæ.

42 Sed pro majori rei enodatione quærit, quænam sit congruentior intelligentia sententię Apost. an quæ præstatur per primam positionem, an quæ per secundam ; hoc est, *an forte sic distinguenda sit sententia* Apostoli, ut dicendo, *non ex operibus*, nulla hìc intercedat electio : an dictum sit *non ex operibus, sed ex vocante*, ut propositum Dei maneret secundum electionem ? Quod possit intelligi in primo sensu, excludendo scil. opera, ut per exclusionem ipsorum nulla electio possit intelligi, probat

S. D. ex eo, quod si nondum nati erant, per consequens nec aliquid egissent boni, aut mali propter quod eligeretur ille, qui benè egerat: nulla ergo esset electio benè agentis, secundùm quam maneret propositum Dei; & sic salvatur, quod ex vocante, & non ex operibus dictum est, *Major serviet minori*, semel quod in isto non essent opera.

43 Sed contra hanc intelligentiam illorum verborum *non ex operibus* opponit S. D. quod ex illa sequeretur contra Apost. quod *non secundùm electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio*: Apostolus autem loquitur ex adverso, scil. *secundùm electionem propositum*: ergo illa intelligentia non congruit verbis Apost. Sequelam maj. probat Aug. sic. Negari non potest dari in Deo electionem aliquorum; aliàs non rectè diceretur, *Quis accusabit adversus electos Dei*; si enim dantur electi, utique datur electio, *Nam nisi esset electio, non esset electi*: Nunc sic. Sed hæc electio non præcedit justificationem, seu propositum justificandi, juxta illam primam positionem, & intelligentiam; sed potius electionem præcedit justificatio, quia nemo eligitur nisi jam distans ab illo qui rejicitur: ergo ex illa positione sequitur, quod non secundùm electionem propositum Dei justificandi maneat, sed è conversò; nequit enim propositum justificandi esse secundum electionem, nisi electio præcedat propositum: ergo si propositum justificandi precedit electionem, ex proposito manet electio, non secundùm electionem propositum, quod ex diametro locutioni Apost. contrariatur.

44 Ita rejectâ illa positione, & intelligentia verborum *non ex operibus*, resolvit Augustinus quid dicendum, tàm ad ista verba Apost. *non ex operibus*, quàm ad alia, quæ alibi scripsit Apost. scil. 2. ad Ephes. *Elegit nos Deus ante mundi constitutionem*; & ait; ista verba non aliter posse intelligi, nisi præscientia; id est, cùm ante mundi constitutionem non essemus, & ab æterno elegerit nos Deus, *ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate*, id non aliter potest dici, nisi præscientiâ, quia ante mundi constitutionem tantùm in præscientia Dei erat nostra sanctitas causata ex illa electione, non autem realiter, & physicè erat in nobis ab æterno, sed in præscientia Dei. *Unde quod dictum est* (concludit Augustt.) quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, *non video quomodo sit dictum, nisi præscientia.*

45 Circa intelligentiam tan-

tandem textus, de quo in præsenti, ait, quod dum Apostolus dixit *non ex operibus*, excluſit electionem meritorum, quæ poſt juſtificationem gratiæ proveniunt, & tantùm voluit intelligi LIBERALITATE donorum Dei eſſe dictum, *Major ſerviet minori, non ex operibus*, ne quis de illis extollatur. Ergo ex gratuita tantùm, & liberali Dei electione electus eſt Jacob, & in perſona illius ſimiliter omnes prædeſtinati *Hìc autem quod ait*, Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori; *non electione meritorum* (exponit S. D.) *quæ poſt juſtificationem gratiæ proveniunt, ſed liberalitate donorum Dei voluit intelligi; ne quis de operibus extollatur. Gratia enim Dei ſalvi facti ſumus.* Hæc eſt ultima Auguſt. reſolutio, & poſteà procedit ad aliud dubium.

46 Si ergo *non ex operibus* idem eſt, ac *non electione meritorum juſtificationem* conſequentium (*id* enim *voluit intelligi*) ergo dum ait, electionem Jacob factam non eſſe ex operibus, ait factam non eſſe ex meritis gratiam conſequentibus: aliàs nequit eſſe ex meritis ſine gratia: ergo ex *liberalitate* Dei, & nulla meritorum prævisione facta eſt, id enim voluit intelligi juxta Auguſt. Nunc ſic. Vel in hoc contextu loquitur M. Parens de electione ad gratiam, vel de electione ad gloriam? Si primum auctoritas Auguſt. non eſt ad rem, nec favet adverſariis, quia talis electio eſt merè gratuita, & non ſupponit in hominibus opera bona, ratione quorum illos Deus eligat ad gratiam. Si ſecundum: ergo cùm talis electio non ſit ex operibus, ut ait Apoſt. ſeu non ſit ex *electione meritorum, quæ poſt juſtificationem gratiæ proveniunt, ſed* ex *liberalitate donorum Dei*, ut exponit Auguſt. erit mere gratuita, & quæ merita cauſet, non quæ præſupponat.

47 Ex hoc infertur etiam contra communem ſolutionem Thomiſtarum, teſtimonium objectum ex Auguſt. intelligi non debere de electione executiva, prout ſcil. dicit quidquid requiritur, ut exiſtat terminus intentionis, nam juxta hæc ultima Auguſt. verba illa electio excludit merita, quæ poſt juſtificationem gratiæ proveniunt: ſed illa merita non excludit voluntas executiva dandi gloriam, ſed ſupponit: ergo. Infertur etiam contra Palanco, aliquid Auguſtinum determinaſſe antequam perveniret ad illa verba Apoſt. *Quis enim te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti?* Quæ adducit S. D. paulò inferius: dum enim ait S. D. *Hic autem quod ait non ex operibus, li-*

liberalitate donorum Dei voluit intelligi, utiquè non dubitativè, sed resolutoriè processit.

48 Infertur etiam contra **P.** Vazquez illius sententiam alienam esse à mente M. Parentis, dum testimonium, in quo potissimè nititur, non est ex August. sententia, ut constat ex solutione data. Ne autem aliquis opinetur, nos in illius processu formalem Augustini sensum obtruncasse, & ut conformitas solutionis cum Aug. mente eluceſcat, placet integrum Augustini textum apponere, qui sic se habet.

49 *Occurrit animo* quærere, cur dixerit: *Ut secundum electionem propositum Dei maneret*? Quomodo est enim justa, aut qualiscumque omninò electio, ubi nulla distantia est? Si enim nullo merito electus est Jacob nondum natus, & nihil operatus; nec omninò eligi potuit, nulla existente differentia, qua eligeretur. Item si nullo merito improbatus est Esau, quia & ipse nondum natus, & nihil operatus erat, cum diceretur, *Et major serviet minori*; quomodo ejus improbatio justa dici potest? Qua ergo discretione, quo æquitatis examine, quod sequitur intelligimus, *Jacob dilexi*; *Esau autem odio habui*? Quod quidem scriptum est in Propheta, qui longè posterior prophetavit, quàm illi nati, & mortui sunt: sed tamen illa sententia videtur commemorata qua dictum est, *Et major serviet minori*; antequam nati, & aliquid operati essent. Unde igitur ista electio, vel qualis electio, si nondum natis, nondumque aliquid operatis nulla sunt momenta meritorum?

An fortè sunt aliqua naturarum? Quis hoc intelligat, ex uno patre, & ex una matre, & ex uno concubitu, & ex uno creatore? An, quemadmodum ex eadem terra idem creator produxit diversa animantium, atque gignentium genera: ita ex eodem hominum conjugio, atque complexu produxit in geminis diversam prolem, unam quam diligeret, alteram quam odisset? Nulla ergo electio est, antequam esset, quod eligeretur. Si enim bonus factus est Jacob, ut placeret; unde placuit, antequam fieret, ut bonus fieret? Non itaque electus est, ut fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit.

An ideò *secundum electionem*, quia omnium Deus præscius etiam futuram fidem vidit in Jacob nondum nato, ut, quamvis non ex operibus suis justificari quisque mereatur, quandoquidem benè operari nisi justificatus non potest, tamen quia ex fide justificat gentes Deus, nec credit aliquis ni-

nisi libera voluntate, hanc ipsam fidei voluntatem futuram prævidens Deus, etiam nondum natum præscientia, qua justificaret, elegerit.

Si igitur electio per præscientiam, præscivit autem Deus fidem Jacob; unde probas, quia non etiam ex operibus elegit eum? Si propterea, quia nondum nati erant, & nondum aliquid egerant bonum, seu malum; ità etiam nondum crediderat aliquis eorum. Sed, sicut præscientia vidit crediturum, ità præscientia videre poterat operaturum: ut quomodo dicitur electus propter fidem futuram, quam præsciebat Deus, sic alius possit dicere, propter futura opera potius electum, quæ nihilominus præsciebat Deus. Quapropter unde ostendit Apostolus, *non ex operibus dictum esse*; *Major serviet minori*? Sed si, quoniam nondum nati erant; non solum non ex operibus, sed nec ex fide dictum est, quia utrumque deerat nondum natis? Non igitur ex præscientia voluit intelligi factam electionem minoris, ut major ei serviret. Volens enim ostendere non ex operibus factam, propterea intulit, dicens; *Cum enim nondum nati fuissent*, neque aliquid egissent bonum, seu malum. Alioquin poterat ei dici, sed jam sciebat Deus, quis quid esset acturus.

Quamobrem unde illa electio facta sit quæritur: quia si non ex operibus, quæ non erant in nondum natis, nec ex fide, quia nec ipsa erat, unde igitur? An dicendum est, quod nulla electio fuerit non existente aliqua diversitate in utero matris, vel fidei, vel operum, vel quorumlibet omnino meritorum? Sed dictum est; *Ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Et ideo quærimus, quia dictum est.

Nisi forte sic est distinguenda sententia, non ut intelligamus tamquam ideò *non ex operibus, sed ex vocante dictum sit*; *Major serviet minori*, ut secundùm electionem propositum Dei maneret: sed ita potius, ut hoc de nondum natis, & nondum aliquid operatis exemplum datum accipiatur, ne aliqua electio hìc possit intelligi. Cum enim nondum nati essent; neque aliquid egissent, sive bonum sive malum, ut secundum electionem propositum Dei maneret; id est, neque aliquid egissent bonum, aut malum, ut propter ipsam actionem electio aliqua fieret ejus, qui benè egerat. Cum ergo nulla esset electio benè agentis, secundum quam maneret propositum Dei, *non ex operibus, sed ex vocante*, id est, ex eo qui vocando ad fidem, gratia justificat impium, *dictum est ei, quia major serviet minori.*

Non

Non ergo secundùm electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio; id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius, sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideò invenit opera, quæ jam eligat ad Regnum Cælorum. Nam nisi esset electio, non essent electi; nec rectè diceretur, *Quis accusabit adversus electos Dei?* Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio. Nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo qui rejicitur.

Unde quod dictum est; *Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem*: non video quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hìc autem quod ait: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori*: non electione meritorum, quæ post justificationem gratiæ proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur. *Gratia* enim *Dei salvi facti sumus*: *& hoc non ex nobis, sed Dei donum est*: non ex operibus, ne forte quis *extollatur*.

Hæc Augustinus, in quibus idem edocet, quod in reliquis posterioribus scriptis. At quia materiæ gravitati jungitur exponentis profunditas, & subtilitas, ne putetis semel lectum id vobis innotescere potuisse, ut de suo *De gratia, & arbitrio* opere testatur M. Parens *cap.* 1. *de Correct. & Grat.*

50 Tertio arguit P. Vazquez ex M. Parente *serm.* 7. *de Verbis Dom. cap.* 2. dicente: *Quos voluit Dominus, hos elegit. Elegit autem sicut dicit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum justitiam*: ergo datur una electio merè gratuita, quæ est ad gratiam, & altera secundum justitiam, seu præmisso examine meritorum, quæ est ad gloriam. *Resp.* S. Doctorem loqui de duplici electione ad gloriam, altera intentiva, quæ est merè gratuita, seu secundùm gratiam; altera executiva, quæ est ex prævisis meritis, & secundùm justitiam. Sed non debet intelligi ly *secundùm suam gratiam* de electione ad gratiam: ad modum quo ly *secundùm illorum justitiam* non debet intelligi de electione ad dandam illis virtutem justitiæ, sed ad conferendum illis pręmium secundùm jus meritorum uniuscujusque, quod pertinet ad electionem, & ordinationem executivam, seu completam ad gloriam. Et de eadem electione secundum justitiam, seu ordinatione executiva intelligendum est quod *ibidèm* paulò inferius ait S. D. *Ego illos elegi, quia vidi mentes eorum*

rum de me præsumentes, non de se, nec de Baal.

§. V.

SOLVUNTUR ARGUMENTA à ratione; ubi de decreto intentivo, & executivo.

51 ARg. 1. à ratione contra 1. prob. concluſ. Stat electio efficax mediorum ſine efficaci finis intentione: ergo. Prob. antec. Merita Chriſti ſunt media efficacia ad gloriam prædeſtinatorum: ſed voluntas meritorum Chriſti præceſsit voluntatem glorificandi prædeſtinatos, nam merita illius non ſunt effectus prædeſtinationis noſtræ, ſed potiùs cauſa, juxta illud: *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*: ergo ſtat, &c. *Conf.* Ex intentione manifeſtandi attributa oritur electio ad gloriam hujus præ alio: ſed hæc determinata electio non oritur ex illa intentione: nam illa æquè ſubſiſteret, ſi electi de facto fuiſſent reprobati, vel è contra: ergo ſtat efficax electio mediorum ſine efficaci finis intentione. Prob. conſ. quia ſi ſtat, Petrum non eſſe electum caſualiter, eſto intentio æquè benè conſiſtat cum Paulo; ſtare etiam poterit medium eſſe efficaciter electum, & non caſualiter, quamvis intentio æquè benè ſalvetur cum efficaci electione, quàm cum inefficaci.

52 Reſp. neg. ant. Ad probat. dic, merita Chriſti non fuiſſe electa electione propriè tali, quia non ſunt medium propriè tale reſpectu prædeſtinationis noſtræ, ſed cauſa altioris ordinis etiam ad gloriam: unde ratio diligendi illa non fuit gloria. Ratio noſtra procedit de medio propriè tali; cùm enim ratio amandi medium ſit finis, ut illud efficaciter ametur, debet præcedere amor efficax finis: & merita noſtra ſunt medium propriè tale reſpectu gloriæ, nam juxta Trident. cauſa finalis noſtræ juſtificationis eſt gloria Dei, & vita æterna. *Ad conf.* dic, talem intentionem eſſe radicaliter diſcretivam, & eſſe efficacem; ſemel enim quod Deus velit miſericordiam, & juſtitiam manifeſtare, nec omnes homines debet ad gloriam eligere, nec omnes reprobare, ſed aliquos eligere, & aliquos reprobare. Unde ut eſt manifeſtativa juſtitiæ, eſt radix excluſionis reproborum à gloria; & ut manifeſtativa miſericordiæ, eſt radix electionis prædeſtinatorum ad illam: ſicque, & eſt efficax, & radicaliter, ſeu virtualiter diſcretiva. Intentio verò inefficax gloriæ (de qua in probat. conſ. concluſ. contra adverſ.) nullatenus eſt diſcre-

cretiva, aliàs esset virtualiter efficax efficacia absoluta : nec Deus ex vi illius manet determinatus, ut eligat media efficacia ad illius consecutionem, sed tantùm quoad sufficientiam; & ideò ex illa nequit oriri efficax *electio mediorum*.

53 Arg. 2. Si velle efficaciter media conducentia ad finem absque prævia finis intentione efficaci esset inordinatè velle; nec de potentia absoluta posset Deus velle media efficaciter conducentia ad gloriam, & post illorum prævisionem intendere efficaciter dare gloriam; quia in nulla providentia potest Deus inordinatè velle : consequens rejicitur à Theologis, & à nobis *num.* 2. Ergo electio efficax mediorum ex inefficaci finis, seu gloriæ intentione procedere potest. *Resp.* dist. maj. Posset Deus velle merita, ut efficaciter conducentia ad gloriam, conc. Non ut efficaciter conducentia, nego. In illo autem casu possibili vellet Deus media, quæ in re conducerent ad gloriam, non tamen vellet illa, ut efficaciter conducentia ad illius consecutionem, sed ut conducentia ad intentionem efficacem finis, ex qua fuerunt à Deo electa : de facto autem elegit Deus prædestinatorum merita, ut efficaciter conducentia ad gloriam ex fine gloriæ ipsorum : & sic talis electio de facto ex prævia efficaci gloriæ intentione debet procedere.

54 Arg. 3. Si Deus eligeret homines ad gloriam ante prævisa merita, illam consequerentur independenter à meritis : hoc dici nequit : ergo. Prob. maj. Illa electio esset infallibiliter connexa cum existentia gloriæ independenter à meritis; cùm ex se sit efficax : ergo. *Resp.* neg. maj. quia licèt Deus gratis velit dare gloriam, non tamen vult dare gloriam gratis, & sine meritis, quia ex illa gratuita voluntate oritur collatio meritorum, quibus electi gloriam consequantur in executione, juxta illud Prosperi 2. *de Vocatione gentium* : *Deus his quos elegit sine meritis, dat unde ornentur ex meritis.* Unde si ly *gratis* cadat supra actum electionis, ita ut sensus sit, *Deus gratis vult dare gloriam* sic vera est propositio, quia Deus non movetur ad intentionem dandi gloriam ex prævisis meritis. Si verò ly *gratis* appellet supra collationem, ita ut sensus sit, *Deus vult dare gloriam gratis* falsa est propositio, quia denotat Deum velle dare gloriam in executione sine meritis : unde licèt electio ad gloriam sit gratuita, non sequitur homines gloriam consequi sine meritis. Et sic tenentur adversf. has propositiones distinguere in voluntate antecedenti, ex qua juxta ip-

ipsos movetur ad electionem efficacem meritorum; tunc enim verificatur, *Deus gratis vult dare gloriam*, non tamen *Vult dare gloriam gratis*, sed per merita.

55 Constat etiam exemplis, quod per actum charitatis, & liberalitatis possumus imperare actum justitiæ; sicut confessarius, qui ex justitia non tenetur confessiones audire, potest ex charitate id velle, & in foro sacramentali actum justitiæ exercere. Sic Advocatus, qui nulla obligatione constringitur ex justitia ad hujus causæ defensionem, potest ex charitate causam pauperis suscipere, ut justitiam exerceat: in quibus voluntas imperans procedit ex motivo gratuito & liberali, & est gratiosa & liberalis, licèt ex parte objecti velit aliquid facere, quod non nisi attento debito est faciendum. Subjectivè igitur est gratiosa, & liberalis: objectivè de re debita.

56 Quod autem illa electio sit efficax non probat, homines debere consequi gloriam independenter à meritis, quia modus, quo Deus per talem electionem vult illos consequi gloriam, est dependenter à meritis: unde si illa electio est efficax, homines non consequentur gloriam sine meritis; ad hoc enim est efficax, ut causet merita. *Dices.* Ergo homines non consequuntur gloriam juxta modum, quo Deus eos eligit ad illam, scil. gratuitò, & liberaliter. *Resp.* dist. Juxtà modum se tenentem ex parte electionis, conc. Juxtà modum se tenentem ex parte rei volitæ, nego; quando enim dicitur, Deus gratuitò eligit homines ad gloriam, ly *gratuitò* denotat modum electionis, non modum ex parte rei volitæ se tenentem, quia Deus vult gloriam existere non gratuitò, sed justè collatam: nec requiritur proportio inter intentionem finis, & ejus consecutionem, quæ se teneat ex parte actus volendi, sed ex parte rei volitę; quia cum finis sit prior intentione, & in executione posterior, possunt media aliqualiter movere ad executionem, secus ad intentionem.

57 Arg. 4. Gloria est volita per modum coronę, & non solum per modum hereditatis respectu adultorum, ut constat ex Apost. & Trident. ergo nequit Deus illam efficaciter intendere ante pręvisa merita: corona enim essentialiter dependet à meritis, ut à causa, & est illis posterior juxtà illud Apost. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit. Conf.* Corona ut corona essentialiter dicit ordinem ad merita, & est effectus illorum: ergo implicat intelligi gloriam, ut coronam, aut in-

tendi sine ordine ad merita, & consequenter ante illorum prævisionem. Quia enim pœna ut pœna est effectus demeritorum, implicat efficaciter intendi absque prævisis demeritis ut motivis: ergo à pari.

Resp. conc. ant. neg. conseq. & dist. probat. dependet in ordine executionis à meritis, & in genere causæ efficientis, conc. in ordine intentionis, & in genere causæ finalis, nego. Ut autem gloria, ut corona intendatur pro priori ad merita prævisa, sufficit non dependere ab illis in genere causæ finalis, sed potiùs illa causare, & ita se habet. Ex quo *ad confirm.* dic, coronam ut coronam non intelligi sine ordine ad merita, ut effectus decreti intentivi, seu ut causata in ordine intentionis, & causantia in ordine executionis. Conclusio autem nostra non excludit, merita cognosci ut effectus, dum intenditur gloria; sed tantùm docet, electionem ad gloriam ut coronam esse ante prævisionem meritorum, ut excludat merita à ratione motivi, vel excitativi respectu talis intentionis. Pœna non præcisè quia effectus demeritorum non intenditur absque prævisione illorum, sed quia est bonum occasionatum; quod non competit gloriæ ut coronæ, quæ est per se amabilis, & ideò potest ratione sui intendi absque occasione, & prævisione meritorum.

58 Arg. 5. Ex electione aliquorum ad gloriam ante prævisa merita sequitur, reliquos manere positivè rejectos à gloria ante prævisa demerita; nam electio ut talis dum versatur inter plures, & æquales, si hos ad finem præintentum assumit, reliquos profectò respuit: sed illud non videtur congruere divinæ misericordiæ: ergo. *Resp.* non esse inconveniens, aliquos positivè excludi à gloria tamquàm à beneficio indebito ante absolutam prævisionem demeritorum. Vel si ad prædestinationem supponitur totius generis humani massa corrupta, hos non liberari supponet originalis demeriti prævisionem; & sic evanescit argum. de quo *quæst.* 5. Dici etiam potest, in electione comparativa non opus esse, quod dum unum assumitur, alterum positivè respuatur; sed sat est, alterum relinqui, & negativè non assumi: ut dum ex duobus mediis æquè conducentibus unum tantum assumitur, alterum non positivè rejicitur, sed quia non necessarium relinquitur.

59 Arg. 6. Per nos intentio efficax dandi gloriam ante prævisa merita non est intentio dandi illam sine meritis, sed ex meritis, ut diximus *in 3. argum.* ergo non est intentio gratui-

tuita, sed ex justitia. Prob. conf. Ut affectus divinæ voluntatis sit actus justitiæ non requiritur, ut ab aliquo debito creato moveatur; hoc enim repugnat in nostra Schola: ergo sufficit velle aliquid debitum ex parte objecti. Sed vi illius intentionis vult Deus gloriam, ut ex meritis dandam: ergo.

Resp. neg. conf. primam, & secundam, quia licèt nullus affectus divinus ab aliquo possit creato specificari, non sufficit ad rationem justitiæ, quod ex parte objecti velit aliquid ex meritis dandum, sed quod proprium motivum justitiæ, & illius honestas ipsum affectum afficiat: in intentione autem dandi gloriam ex meritis, seu per merita non involvitur formaliter ratio debiti, quæ est motivum justitiæ; sed ratio communicandi divinam perfectionem propter suam bonitatem, & non propter suam utilitatem, quæ est motivum liberalitatis, ut diximus cum D. Thom. *tract. 6. art. ult. num.* 10. ad intentionem enim dandi gloriam *per merita* non supponitur debitum, à quo, ut in Dei bonitate contentum, moveri possit, sed potiùs ex se illud originat, & causat, & ideò talis actus non est justitiæ, sed liberalitatis, cujus motivum est ipsa Dei essentia in quantùm non attribuit creaturæ perfectionem propter meritа illius, aut propter utilitatem Dei, sed solum propter suam bonitatem: si esset *propter merita*, & secundùm proportionem exigentiæ creaturæ, pertineret ad justitiam; sic autem se habet executio tantùm.

60 Arg. 7. Eo modo decrevit Deus ab æterno dare gloriam adultis, quo in tempore illam confert: sed in tempore illam confert dependenter à meritis: ergo ex illis ut prævisis decreta fuit ab æterno, & non aliter illam conferre decrevit. *Conf.* 1. Exterior gloriæ collatio gaudet honestate justitiæ: ergo etiam intentio eam conferendi; actus enim exterior, & interior sunt formaliter ejusdem honestatis; & per consequens illa intentio non est purè liberalis. 2. Cuilibet decreto Dei debet aliquis effectus ad extra correspondere, ut diximus *tract. 6. quæst. 3.* sed voluntati gratuitæ dandi gloriam nullus effectus ad extra correspondet; ille enim esset gloria gratis, & sine meritis collata, & hic non datur: ergo.

61 Occasione hujus argumenti disident AA. in præsenti, An in Deo sint duo decreta ratione distincta, alterum intentivum ante prævisa merita, & alterum executivum post illa prævisa? Negat Vazquez, Molina, & alij. Ex Thomistis Nazarius, & Alvarez: Dominicus

Perez in M. S. docet, conſequenter ad ea, quæ tradidit contra imperium monaſticum, non dari in Deo decretum executivum adæquatè diſtinctum ab electione mediorum, licèt ſit diſtinctum ab electione ad gloriam. Juxta illos autem ipſa intentio efficax abſque ulla diſtinctione, quatenus in tempore poſt prævisa merita exequitur id quod prius intendebat, vocatur decretum executivum. Cum his etiam ſentit N. Baſilius Legionenſis *quæſt. 6. Scholaſtica Var. Diſp.* §. 9. nullum admittens ordinem intentionis inter actus divinæ voluntatis, ſed ſolum executionis, ſecundùm cauſalitatem, quam inter ſe ſervant objecta in re, ubi tantum executionis eſt ordo. Ita etiam Illuſt. Palanco *diſp. 7. de Prædeſt. quæſt. 3. à num. 21.* ubi ait, ipſummet decretum intentivum, efficax per ſe, & eſſentialiter, eſſe executivum ſui objecti.

62 Oppoſitum docetur communiter à Thomiſtis, Suarez, & aliis, cum quibus N. Bernardinus, Gibbon, & alij, & cum his dicimus dari in Deo voluntatem conferendi gloriam ſuppoſita prævisione meritorum, & dicitur decretum executivum, diſtinguiturque à voluntate dandi gloriam ante prævisionem meritorum. Hoc ſuadent teſtimonia Scripturę ex §. 2. & 3. quæ non melius conciliari poſſunt, quàm per recurſum ad hoc duplex decretum. Et in hac poſitione clariùs, & ſolidiùs oſtenditur, quomodo collatio gloriæ ſit actus juſtitiæ, juxtà illud Apoſt. *Repoſita eſt mihi corona juſtitię, &c.* quod non ita contingit in ſententia oppoſita, quia ſi electio mediorum eſt ipſa executio, & hæc eſt actus juſtitię, talis etiam erit mediorum electio; & per conſequens electio ad gratiam, ſeu volitio dandi merita non erit merè gratuita, & liberalis.

Si autem pro hoc recurras cum SS. Perez ad diſtinguendam in electione mediorum duplicem terminationem; unam ſecundùm quam reſpicit merita, ut actu præbentia jus ad gloriam, & ſic eſt gratuita; alteram ſecundùm quam reſpicit gloriam, ut actu meritis debitam, & ſic eſt actus juſtitiæ; præterquamquod hæc ſecunda terminatio non eſt propria conſideratio electionis, ut electionis, quia gloria ſic non eſt medium; hoc quod dicis duplicem terminationem, majori cum fundamento dicimus nos duplex decretum, quia illæ formalitates, quæ diverſas ſpecificè virtutes conſtituunt, eidem virtualiter actui convenire non poſſunt. Unde ipſe prælaudatus Mag. ægrè fert doctrinam aliquorum diſtinguentium in decreto exe-

cu-

cutivo, & munus exequendi meritа, & munus exequendi gloriam propter ipsa, ut docet *hìc dub. 3. num. 156.*

63 Directè probatur assertio. Actus, qui habent diversa objecta formalia, & motiva, distinguuntur per rationem etiam in divinis: sed ita se habent decretum intentivum gloriæ ante prævisa merita, & voluntas illam in tempore conferendi post prævisionem meritorum: ergo sunt actus distincti per rationem. Prob. min. Voluntas dandi gloriam ante prævisa merita respicit divinam essentiam, ut communicabilem præcisè propter suam bonitatem, non propter utilitatem suam, aut secundùm creaturæ proportionem, & exigentiam: voluntas dandi gloriam in tempore, & post cognitionem meritorum ut absolutè futurorum & existentium, respicit divinam essentiam, ut communicabilem secundum proportionem meritorum creaturæ: sed ista sunt objecta formalia, & motiva distincta: ergo. Prob. min. Illæ formalitates specificant diversas virtutes liberalitatis, & justitiæ: ergo. Antec. docetur à D. Thom. *hìc quæst. 21, art. 3.* dicente: *In quantum perfectiones rebus à Deo dantur secundùm earum proportionem, pertinet ad justitiam. In quantum verò non attribuit rebus perfectiones propter utilitatem suam, sed solùm propter suam bonitatem, pertinet ad liberalitatem.*

Ex quibus apparet, quod licèt divina voluntas non possit specificari ab aliquo creato, sed tantum velit unum esse propter aliud; non ex hoc debet excludi decretum executivum distinctum ab intentivo: sine recursu enim ad hoc, ut Dei voluntas specificetur à meritis, assignamus cum D. Thom. distinctam rationem formalem in decreto executivo, ac in intentivo.

64 Confirm. Externa gloriæ collatio est actus justitiæ; Deus enim gloriam confert in tempore, ut præmium, & corona meritorum, ut docet Apost. sed actus exterior sicut non habet ex se libertatem, sed participativè ab actu interiori; ita nec bonitatem moralem, aut honestatem virtutis: ergo exterior illa collatio debet præsupponere actum interiorem, quo Deus velit dare gloriam ex meritis jam prævisis per modum condignæ remunerationis, seu à quo participet honestatem justitiæ, & hic dicitur decretum executivum. 2. Merita sunt media, quæ efficienter moraliter causant executionem gloriæ, movendo per eorum cognitionem voluntatem Dei præmiantis: sed illa non incipit moveri in tempo-

pore nec à meritis in seipsis existentibus, & propter se immediatè, nec à divina bonitate, ut eminenter continente honestatem cujuslibet virtutis creatæ, sed ab æterno movetur ab illa (ut sic continente merita nostra) ut meritis nostris justum præmium retribuat: ergo præter voluntatem intentivam, quæ præcedit merita, & pro qua nullatenus movent merita creaturæ, etiam ut contenta in bonitate divina; admittenda est in Deo ab æterno alia voluntas, qua velit dare gloriam ex meritis prævisis, quæ est voluntas executiva. Vide *tract. 6. quæst. 1. art. 1. num. 9.*

65 In hac positione clarè constat, quomodo in externa gloriæ collatione resplendent & gratia Dei, & justitia, seu debitum, & indebitum: vitâ enim æterna dicitur *gratia* ab Apost. *num. 6.* laud. quia illius collatio habet honestatem liberalitatis ab imperio mediato intentionis gratuitè, & liberalis, & quia est homini indebita attentis propriis viribus, & *quia bis meritis redditur, quæ gratia contulit homini*, ut ait August. *de Corrept. & grat. cap. 13.* & ideò dicitur, quod quando nobis vita æterna reddatur, *gratiam pro gratia* accipiemus; *id est*, ait August. ibi, *pro bis meritis, quæ contulit gratia.* Resplendet justitia, quia *reddet unicuique Deus secundùm opera ejus*, & quia *ei, qui operatur, merces imputatur secundùm debitum:* quòd autem gloria sit debita meritis; hoc debitum non opponitur liberalitati, quia oritur ex gratia, & liberali dono remuneratoris. Videatur Aug. *in Epist. ad Sixt. ante medium.*

66 Dices. Intentio efficax gloriæ seipsa est sufficiens ad collationem gloriæ, si perseveret; ita enim contingit in nobis; intentio enim dandi eleemosynam, post electionem materiæ dandæ, ipsam eleemosynam exequitur: ergo superflue ponitur in Deo voluntas executiva distincta ab intentione. *Confirm.* Illi efficaci intentioni non deficit vis, ut moveat potentiam executivam: alias efficax non esset; nec in potentia executiva deficere potest subjectio voluntati (ut diximus agentes de imperio monastico) ergo per illam potest immediatè exequi, quod vult.

67 Resp. neg. ant. vel dist. si executio pertineat ad eamdem virtutem, ad quam pertinet intentio, conc. si pertineat ad diversam, nego. Et ita contingit in præsenti, intentio enim dandi gloriam indebitam pertinet ad liberalitatem; executio autem gloriæ ad justitiam: quando autem intentio, & executio pertinent ad distinctas virtutes, intentio non movet immediatè

ad

ad executionem, non quidem ex defectu virtutis, vel ex defectu subjectionis in potentia executiva; sed quia in executione est alia honestas, quæ non reperitur in intentione. Sic qui ex intentione pœnitentiæ, & ut Deo pro peccatis satisfaciat, vult jejunare, hanc operationem immediatè exequitur per temperantiam, & non per pœnitentiam: quod præcipuè tenet, dum actus objectivè volitus habet motivum oppositum motivo actus volentis. Ergo cum motivum justitiæ, & liberalitatis distinguantur, executio, quæ substantialiter habet honestatem justitiæ, fiet per actum distinctum ab intentione, quæ pertinet ad liberalitatem.

Ad efficaciam igitur intentionis solùm pertinet imperare actum justitiæ, & illum inferre, utpote per quem immediatè gloria est conferenda, non autem quod per seipsam immediatè illam conferat; sicut ad efficacem intentionem Deo satisfaciendi medio jejunio non pertinet immediatè elicientia talis actus, sed imperare, & inferre virtutem temperantiæ, per quam immediatè eliciendus est. Et per hoc patet solut. confir. Quæ enim diximus de indistinctione potentiæ executivæ, seu usus activi ab efficaci mediorum electione, tenent dum potentia executiva, & electio pertinent ad eamdem virtutem; tunc enim intentio efficax post electionem perseverans seipsa est sufficiens ad executionem, dum nulla est in ista difficultas; sicut in creatione universi, & cum Deus per virtutem misericordiæ intendit nos justificare; electis enim ad id dispositionibus absque novo actu justificationem exequitur, quia id pertinet ad eamdem virtutem misericordiæ.

68 Hinc ad argum. *ex numer. 60.* cujus occasione hæc diximus, resp. dist. maj. Eo modo decrevit, per decretum executivum, conc. per intentivum, nego; modus enim intendendi non adæquatur modo exequendi, cum id, quod est primum in intentione, sit ultimum in executione. Ad 1. confirm. nego conf. propter immediatè dicta, cum intentio, & executio pertineant ad distinctas virtutes. Actus quidem exterior est ejusdem honestatis cum interiori, qui est decretum executivum, non cum interiori intentivo, à quo non procedit immediatè, sed mediatè. Ad 2. nego min. quia per illam gratuitam voluntatem intentivam vult Deus dare gloriam per bona opera ab ipsa præparanda, non autem sine meritis, juxta dicta in argum. 3. Solum autem careret effectu ad extra illa voluntas, si terminaretur

ad

ad gloriam sine meritis dandam; cum autem illam non ita respiciat, inefficax dici nequit, licèt gloria non gratis & sine meritis conferatur.

69 Arg. 8. Cum gratuita prædestinatione non stat vera, & sincera voluntas de salute etiam reproborum: in illo enim signo, in quo aliquos tantùm prædestinavit; reliquos excluſit à gloria; nam determinatos eligere est claudere cælorum regnum respectu aliorum: frustrà autem clauso ostio homines invitaret ad regnum; sicut sponsus frustrà fatuas virgines invitaret ad ingrediendum postquam clausâ januâ dixit *Nescio vos*. Sed voluntas antecedens est sincerè velle, ut omnes regnum cælorum ingrediantur: ergo.

Resp. apertionem regni cælestis respectu prædestinatorum non esse positivam clausionem respectu reproborum, quia Deus sufficienter eis aperit, dum omnibus confert auxilia sufficientia ad salutem, ratione quorum habent sufficientem potestatem, ut intrent. Ipsi ergo pravè ex propria voluntate operantes sibimet regnum cælorum claudunt, non autem illos Deus ante prævisa demerita excludit. Sic non diceretur foris excludere stantes ab ingressu cubiculi, qui eis suppeditaret clavem ad ingrediendum; & aperiendum sufficientem, sed ratione collationis similis potestatis sincerè diceretur velle, ut omnes ingrederentur, ita ut si id de facto non facerent, ex sola ipsorum culpa proveniret, non ex defectu clavis. Nec esset ludere, aut illudere, illos ad ingrediendum invitare.

70 Et ne aliqua appareat oppositio inter voluntatem efficacem salvandi prædestinatos, & conditionatam de salute omnium nota, juxta aliquos voluntatem antecedentem de salute omnium sub conditione finalis perseverantiæ præcedere absolutam, & conditionata pro illo signo, pro quo concipitur præscindit à purificatione, vel non purificatione conditionis; ideoque benè cohæret cum absoluta postea concipienda. Vel, ne inutilis dicatur voluntas conditionata erga prędestinatos, dic respectu illorum non dari formaliter voluntatem conditionatam, sed virtualiter, quatenus ex absoluta voluntate de salute illorum per finalem perseverantiam infertur apud nos illa conditionalis, *si perseveraverint usque in finem, salvi erunt.* Erga reprobos est formaliter conditionata, sed posterior voluntate absoluta de prædestinatorum salute, & in hoc sensu solutum est argumentum: at voluntas electiva prædestinatorum purè negativè se habet in ordi-

ne

ne ad reprobos: unde restat locus, ut reprobi conditionate possint eligi pro sequenti signo. Vel posito toto ordine naturæ, & gratiæ prædestinationis effectu, dicendum, quod voluntas efficax absoluta ordine intentionis est prior voluntate conditionata, secus ordine executionis: sicut voluntas creandi homines est prior ordine executionis voluntate illos glorificandi, & posterior ordine intentionis. Vel prior in genere causæ materialis, non finalis.

Omittimus argumentum desumptum ab inconvenienti, quod ista electio ante prævisa merita sit causa reporis, vel desperationis, quia de his (quæ objiciebant Massilienses adversus Augustt. doctrinam) egimus *tract. 6.* & *hic quæst. 2. art. 1. num. 3.* Et quod viator non possit excedere determinatum gradum gratiæ, & meritorum, quod est damnatum in Viennensi contra Begardos, & Beguinas; licet enim in sententia nostra prædestinati sint electi non solum ad gloriam in communi, sed in determinato gradu, ut cum D. Thom. à Villanova diximus *num. 13.* ex hoc solum sequitur prædestinatum non excessurum esse gradum illum, seu non posse componere excessum cum electione Dei efficaci ad determinatum gradum; potest tamen illum excedere potentia antecedenti, & in sensu diviso, vel spectata natura gratiæ, & gloriæ, capacitate subjecti, & ordinario rerum cursu, & hoc est, quod Begardi negabant. Unde nec electio efficax destruit libertatem; de hoc enim est judicandum juxta dicta *tract. 6. quæst. 3. art. 4. præcipuè num. 30.*

De Angelorum prædestinatione ante prævisa merita probat etiam ratio facta *n. 14.* sed hæc militat inter Angelos, & homines differentia, quod Angeli sunt prædestinati ante prævisa merita; homines autem etiam post prævisa demerita, id est originale peccatum. Pro quo videatur N. SS. M. Manso *tom. 1. sui Interpres quæst. 6. §. 2.*

QUÆSTIO IV.

DE PRÆDESTINATIONIS effectibus.

ARTICULUS I.

AN OMNIA DONA SUPERnaturalia in electis sint prædestinationis effectus?

§. UNICUS.

RESOLVITUR DUBIUM de Glorificatione, Justificatione, Gratia, & vocationibus.

1 EFfectus prædestinationis est *beneficium à Deo collatum prædestinato ex*

intentione consequendi vitam æternam. Ex quo tres colliguntur conditiones, quæ communiter ad rationem effectus prædestinationis requiruntur. 1. ut sit effectus Dei, & beneficium gratuitum, adeòque gratia ordinis supernaturalis, vel quoad substantiam, vel quoad modum: si enim est effectus immediatus, & elicitus (uti est amor respectu charitatis) debet esse supernaturalis intrinsecè, & quoad substantiam. Si sit effectus mediatus, & imperatus (qui scil. immediatè præparatur per providentiam communem, à prędestinatione autem imperatur, & ordinatur ad consecutionem vitæ æternæ, ad modum quo charitas imperat actum temperantię) potest esse naturalis quoad substantiam, sed ab illo imperio participat aliquem modum supernaturalem. Effectus enim prædestinationis debet cum effectu conducere ad vitam æternam, quæ est *secunda conditio.* Nihil autem omnino naturale, utpote improportionatum, potest esse medium positivè conducens ad beatitudinem supernaturalem: unde debet esse aliquo modo supernaturale; vel conducat remotè, ut prima vocatio, vel proximè, ut justificatio, & perseverantia finalis. Unde ait D. Thom. *hìc art.5. Quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem, comprehenditur totum sub effectu prædestinationis*; prædestinatio enim est Præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, &c.

3. conditio est, ut oriatur ex intentione efficaci dandi gloriam; & licet hanc conditionem non admittant illi, contra quos egimus *art. præc.* putantes sufficere, ut oriatur ex sola voluntate inefficaci, satis tamen constat ex ibi dictis, & ex diffinitione prædestinationis. Defectu hujus conditionis excludun-tur ab effectu prædestinationis Incarnatio, & merita Christi, quia licèt ad beatitudinem conducant, non fuerunt nobis præparata ex intentione dandi gloriam, sed potiùs ista intentio ex Christi meritis fuit præconcepta, quia *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.*

2 Dubium est de gloria, & gratia habituali, vel perseveranti usque in finem, vel interrupta per peccatum, & per pœnitentiam reparata: de gratia actuali, vel efficaci, vel inefficaci, & de omni supernaturali operatione. Quia verò in his non est specialis difficultas, paucis resolventur.

3 Dicimus 1. *Glorificatio, Justificatio non interrupta, & vocationes efficaces sunt effectus prædestinationis.* Pro oppositа sententia citantur communiter Durandus, Okam, & Bonaventu-

tura, sed hæc est communis intra, & extraneos, ter domesticos, probaturque ex Apost. 8. *ad Rom.* dicente : *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Supra quę Aug. 17. *de Prædest. SS. Non ergo*, inquit, *alios, sed quos prædestinavit, ipsos & vocavit : nec alios, sed quos ita vocavit, ipsos & justificavit : nec alios, sed quos prędestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit, illo utique fine qui non habet finem.* Quo ordine apertè indicant, hæc tria esse prædestinationis effectum, quia primum est causa ceterorum, quæ collocantur sub ipso. Et per ultima Augustini verba satis constat contra Durandum, ly *glorificavit* non posse intelligi præcisè de magnificatione per hujus mundi gloriam; *quæ habet finem.*

Et ex D. Thom. à Villanova *Conc. 3. de S. Joann. Bapt.* supra laudata verba Apost. dicente : *Catena hęc indissolubilis est : ex electione vocatio, justificatio, magnificatio, & glorificatio ; & quidquid bonum sive in præsenti, sive in futura vita electis confertur, ex prima illa origine gratuita emanavit.*

4 Ratio. Vel vocatio efficax, justificatio, & glorificatio ordinantur à Deo, vel non? Si secundum, evenient casualiter præter intentionem, & ordinationem Dei. Si primum: ergo sunt effectus prædestinationis ; omne enim passivum ordinatum est effectus ordinationis activę, in qua consistit prædestinatio : sicut omne causatum passivè est effectus causalitatis activæ. 2. prob. de gloria contra Durand. Beatitudo quoad sui executionem causatur à Deo per veram providentiam supernaturalem, & specialem, ut patet : ergo illa est effectus providentiæ prædestinativæ.

5 Dices. Prædestinatio non versatur circa finem, sed circa media, ut patet ex diffinitione Augustini ; & quia providentia cujus pars est prædestinatio non est de fine, sed de mediis: gloria est finis, non medium: ergo. *Resp.* providentiam, & prædestinationem licèt immediatè versentur circa media, ea ordinando ad finem, versari etiam mediatè circa finis consecutionem. August. autem non per præparationem *mediorum*, sed *beneficiorum Dei* (nomine quorum non solum media, sed etiam finis consecutio debet intelligi) prædestinationem diffinivit. Alia argumenta solvuntur distinguendo de effectibus mediatis, vel immediatis.

6 Contra Gabrielem autem

ex adverso docentem prædestinationem esse tantùm de fine, seu gloriam esse primum, & unicum prædestinationis effectum militat gravissimum inconveniens, quod, scilicet, ex parte nostra daretur meritum de condigno primi effectus prædestinationis, cum gloriam sic possimus promereri: ergo illa non est primus, & unicus illius effectus. Similiter si sola gratia justificans, & gloria essent prædestinationis effectus, non autem vocatio efficax, sequeretur dari ex parte nostra causam dispositivam ad primum prædestinationis effectum, cum ad gratiam justificantem similis causa detur. Ergo tria in conclusione assignata sunt prædestinationis effectus.

7 Nec contra hoc valet dicere, justificationem, & vocationem esse electis, & reprobis communes; non enim in illis æqualiter inveniuntur, cum ordinatione scil. efficaci, & perseverantia finali, sic enim tantum in electis reperiuntur.

8 Dicimus 2. *Gratia per peccatum interrupta, & per pœnitentiam recuperata est effectus prædestinationis, non solùm ut recuperata, sed etiam ut primò collata.* Ita communiter contra Vazquez. Et nota eamdem esse difficultatem de gratia recuperata iterum interrumpenda, ac de interrupta: & certum esse gratiam recuperatam, ut connexam cum perseverantia finali esse prædestinationis effectum. Dubium est de illa ut primo collata. Prob. ex Apost. *Rom.* 8. dicente: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Supra quæ August. *de Correpț. & Grat. cap. 9. Usque adeò prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores.* Ex quibus sic. Omnia, quæ Deus prædestinatis largitur, cooperantur in bonum, etiamsi interrumpantur per peccatum; nam ex illa interruptione consurgit major humilitas, &c. sed quod prædestinatis cooperatur in bonum est prædestinationis effectus, ut patet ex conditionibus assignatis *num.* 1. ergo. Quod autem verba Apost. intelligenda sint de prædestinatis, exponit August. ibi in medio: *Sciens*, inquit, *nonnullos diligere Deum, & in eo bono usque in finem non permanere, mox addidit*, Iis qui secundum propositum vocati sunt. *Hi enim in eo quod diligunt Deum, permanent usque in finem; & qui ad tempus inde deviant, revertuntur, ut usque in finem perducant, quod in bono esse cœperunt.*

9 Ratio. Gratia non solùm ut recuperata, sed ut primò col-

collata conducit ad gloriæ consecutionem: ergo. Prob. ant. Gratiæ ut primò collatæ correspondet gradus gloriæ, quia si per pœnitentiam homo resurgat in gratia ut duo, & illamante peccatum majorem habuit, ut meritum ut quatuor eliceret; accipiet gloriam non solùm correspondentem gratiæ ut duo, sed ut quatuor: ergo quia gratia ut primò collata conducit cum effectu in electis ad finem prædestinationis. Verum est, recuperationem requiri, sed hæc tantum per modum conditionis ad illius gloriæ consecutionem desideratur, ad modum quo continuatio gratiæ usque in finem non est formale fundamentum juris ad gloriam, sed conditio ad illam recipiendam: ergo sicut gratia usque in finem duratura etiam ut primò collata est prædestinationis effectus, etiam gratia interrumpenda non solum in sui recuperatione, sed etiam in prima collatione est prædestinationis effectus. Vide alias probationes in concluss. seq.

10 Dices. Gratia primò collata, & per peccatum amissa non facit ad consecutionem gloriæ nisi ut recuperata; si enim prædestinatus post amissam gratiam, & ante illius recuperationem moreretur, non consequeretur gloriam: ergo. *Conf.* Effectus prædestinationis debet conjungi cum finali perseverantia, & cum gloria, aliàs illi deficit secunda conditio: hoc non habet gratia per peccatum interrupta, ut primò collata: ergo. *Resp.* conc. ant. si ly *ut* dicat conditionem, sicut in hac propositione, *Ignis non calefacit nisi ut applicatus*: & negando si dicat rationem formalem. Si prædestinatus ante reparationem gratiæ moreretur, illi ut primò collatæ non corresponderet gloria ex defectu conditionis removentis prohibens; sic tamen de facto non contingit, propter prædestinationis certitudinem. Et si cum gratia ut primò collata moreretur, gloriam consequeretur: unde tam illa sic, quàm reparata est prædestinationis effectus. *Ad conf.* dic, non requiri continuationem physicam in existendo, sed sufficere continuationem moralem secundùm permanentiam illius in divina acceptatione, & sic permanet gratia, cùm peccatum non auferat voluntatem remunerandi merita impedimento ablato.

11 Nec ex hoc sequitur, gratiam primò collatam Adamo esse prædestinationis effectum; licèt enim illi fuerit gloria collata per correspondentiam ad merita, quæ habuit in statu innocentiæ; merita tamen illa, & gratia in statu innocentiæ non fuerunt collata Adamo ex intentione

in

tione efficaci dandi gloriam, cùm non præcesserit prædestinatio Christi, in cujus conformitatem ceteri prædestinantur. Gratia autem aliorum ex illa intentione efficaci confertur. Opus igitur esset ad hoc, ut Adam gloriam consequeretur alio actu voluntatis divinæ, quo efficaciter ordinaretur ad illam, aliter si mortuus fuisset in illa gratia gloriam consequeretur præter intentionem Dei efficacem.

12 Gratia igitur, & merita interrupta non permanent in acceptatione divina ex vi illius voluntatis, qua primò collata fuerunt, *formaliter*, quia illa voluntas ex se est inconnexa cum secunda gratiam reparandi, & ideò hæc secunda est novum beneficium: permanent tamen ex vi prioris voluntatis *virtualiter*, quia voluntas primò collativa, quatenus provenit ex intentione efficaci dandi gloriam, infert voluntatem restituendi gratiam, & merita, si per peccatum mortificentur. Et ex hoc infertur, non solam gratiam ut recuperatam, sed etiam ut terminantem voluntatem primò collativam, esse prædestinationis effectum. Infertur etiam, quod licèt gratia amissa, quia non est eadem numero physicè, & entitativè cum reparata, non possit physicè influere in gloriam, influit tamen moraliter, quia est eadem æquivalenter, ex eo quod eamdem gloriam respicit, habetque idem jus ad illam: unde cùm per secundam gratiam revivisca jus prioris ad gloriam, illa ut sic primò collata erit prædestinationis effectus; constat enim importare effectivam conducentiam ad gloriam.

13 Dices 2. Fieri potest prædestinatum resurgere in gratia minus intensa, & quod in illa moriatur: sed tunc solum accipiet gloriam correspondentem intensioni gratiæ in qua fuit mortuus: ergo primò collata non conducit cum effectu ad gloriam. Min. constat ex D. Thom. 3. *part. quæst.* 89. *art.* 5. *ad* 3. dicente, illum qui sic resurgit in minori charitate consequi præmium essentiale secundùm quantitatem charitatis, in qua est, dum resurgit.

Resp. conc. min. de præmio essentiali, de quo D. Thom. nego autem de accidentali, quod expressè docet ibi S. D. correspondere operibus in prima charitate factis; ait enim: *Habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quàm de operibus, quæ in secunda fecit, quod pertinet ad præmium accidentale.* Ut autem aliquid sit prædestinationis effectus, satis est conducere ad finem, seu præmium accidentale, ut patet in corporis glori-

rificatione, revelationibuſque extra Verbum, quæ ad gloriam accidentalem pertinent, & tamen ſunt prędeſtinationis effectus. Poteſt etiam dici gratiam ut primò collatam eſſe effectum prædeſtinationis (præſcindendo ab eo, quod illi correſpondet, vel non ſpecialis gradus gloriæ) quia conducit ad finem prædeſtinationis, ut ſcil. humilior reſurgat, qui à gratia cecidit per peccatum, & ita ex finis intentione illa conferri poteſt. Ita D. Thom. *ibi art. 2. ad 1.* addu-

cens verba à nobis laudata ex Auguſt. *num. 8.*

14 Dicimus 3. *Vocationes inefficaces in electis eſſe effectus imperatos prædeſtinationis.* Prob. contra Vazquez. Tales vocationes licèt non conducant ad conſecutionem gloriæ immediatè, bene tamen diſpoſitivè, quatenus cor illius, qui vocatur, ita diſponunt, ut Deo vocanti reſpondeat: quod ſibi contigiſſe fatetur Auguſt. 5. *Confeſſ.* 14. ait enim primò ſibi viſum fuiſſe ea, quæ dicebat Ambroſius poſſe defendi, quæ antea abſurda videbantur, nec tamen credidiſſe: deinde ad ulteriores gradus fuiſſe progreſſum: donec paulatim fuit converſus. Secundò poſſunt conducere per modum materiæ, vel objecti ad dolendum, quòd illis antea non reſponderit, & ad alios ſalutares affectus, de quibus Auguſt. *in lib. Confeſſ.* ergo.

15 Secundò prob. Omnia dona ſupernaturalia hominibus conceſſa, vel ordinantur à Deo ad aliquem finem ultimum, vel non? Si primum? ſunt ordinata ad finem prædeſtinationis in electis. Si ſecundum? Deus caſualiter ageret. Explicatur. Quod ordinatur in finem, vel eſt in gloriam ad oſtenſionem miſericordiæ, vel in pœnam ad oſtenſionem juſtitiæ: ſed auxilia inefficacia in electis non ordinantur finaliter in pœnam ad oſtenſionem juſtitiæ, ut patet: ergo ordinantur in gloriam, & ſic ſunt effectus prædeſtinationis, quæ eſt ratio ordinandorum in vitam æternam. Et quamvis prędeſtinati illis donis abutantur, conſequuntur tamen finem à Deo intentum; quia Deus poteſt convertere in bonum illum malum uſum, quatenus ex illo elicit occaſionaliter bonum humilitatis, pœnitentiæ, &c.

16 Objicies Auguſt. dicentem 13. *de Prædeſt. SS. Vocat Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, ſed non ea vocatione, qua vocati ſunt, qui noluerunt venire ad nuptias*: ergo ſola vocatio efficax, ſeu *ſecundùm propoſitum* eſt effectus prædeſtinationis, non autem inefficax, qua vocati ſunt, qui noluerunt venire ad nuptias. *Reſp.* per hoc non excludi electos vocari vocatione inefficaci; tantùm enim pro-

probatur eos non vocari vocatione tantùm inefficaci, sed etiam efficaci. Vocationes autem inefficaces, licèt respectu actuum, quos immediatè respiciunt, quòsque homines non eliciunt, non sint *secundùm propositum*; benè verò respectu actuum gratitudinis, pœnitentiæ, &c. quibus mediantibus conducunt ad vitam æternam ex vi providentiæ prædestinativæ: unde respectu horum actuum sunt efficaces secundùmquid. Illisque prout respiciunt hos actus ad quos indirectè deserviunt, conveniunt illa verba ex definitione prædestinationis, *Quibus certissimè liberantur.* Licèt enim vocationes ineficaces, etiam in memoriam revocatæ, non habeant infallibilem connexionem secundùm se consideratæ cum illis actibus; benè autem prout subsunt auxiliis efficacibus, quæ ad actus eliciendos conferuntur: & hoc sufficit, ut sint prædestinationis effectus; sicut vocatio exterior in electis est effectus prædestinationis, licèt non conducat infallibiliter ad gloriam, nisi ut subordinata vocationi interiori. Ex quibus plures potes dissolvere objectiones.

17 Objic. 2. Peccata ut in memoriam redacta excitare per modum objecti ad actus pœnitentiæ, &c. & tamen non sunt prædestinationis effectus: ergo idem dicendum de auxiliis inefficacibus. Præterquamquod fieri potest, ut non omnia in memoriam revocentur. *Resp.* peccata ex se, vel ut simpliciter rememorata, non esse effectus prædestinationis, quia nequeunt esse effectus divinæ causalitatis, sicut auxilia. Peccata ut detestata possunt dici prædestinationis effectus, quia sic redduplicatur ipsa peccatorum detestatio. Nec admittimus cum aliquibus, qui hoc assertum restringunt ad vocationes, quæ rememoratæ excitant ad aliquem salutarem affectum, dari vocationem in electis, quæ nullatenus conducat ad salutem, quia juxta Apost. *OMNIA illis cooperantur in bonum.* Nec dicendum est (ut affirmat M. Gonet *hic num.* 36) sufficere quod illæ vocationes in patria præcognitæ excitent ad gratiarum actionem; quia verba Apost. intelliguntur ab August. & D. Thom. de cooperatione in hac vita in bonum: sed solum in Patria, non autem in via, excitent ad affectus gratitudinis, & humilitatis, in hac vita non cooperantur in bonum: ergo. Tùm quia alias etiam gratia originalis esset prædestinationis effectus, cùm in Patria sit etiam materia laudis, quod est contra ipsum *num.* 26. Igitur licèt talia auxilia non revocarentur in memoriam conducerent ad præintentum finem,

qua-

quatenus cor emolliunt, ac paulatim disponunt ad efficacem ad bonum conversionem.

18 Objic. 3. Vocationes inefficaces sunt communes reprobis, & electis: ergo non sunt prædestinationis effectus. *Conf.* Illæ vocationes sunt à providentia generali, & voluntate antecedente omnibus communi, cum effectus sit omnibus communis: ergo non sunt effectus providentiæ specialis. *Resp.* ex hoc sequi, solam gloriam, & perseverantiam finalem esse prædestinationis effectus, quod non concedit Vazquez, cùm omnia alia sint utriusque communia. Igitur ultra dicta *num.* 7. resp. vocationes inefficaces non esse effectus elicitos, sed imperatos prædestinationis. Vel dic, illas, ut præscindentes ab efficacia, quam sortiuntur ab auxiliis efficacibus intrinsecis, esse effectus voluntatis antecedentis, & communes prædestinatis, & reprobis: secus ut ordinantur, & connectuntur cum gratia efficaci, & perseverantia finali.

19 Quod attinet ad bonum usum liberi arbitrij, an sit effectus prædestinationis, constat quid dicendum ex *hac quæst. 3. art. 1. num. 23. & 6.* Et ex ratione hìc adducta *num.* 15. probatur, actus supernaturales, ut procedentes à libero arbitrio, esse effectus prædestinationis. Recoli etiam possunt dicta *tract. 4. quæst. 2. art. 4.*

ARTICULUS II.

UTRUM SUBSTANTIA prædestinati, & alia dona naturalia sint prædestinationis effectus?

§. I.

STATUITUR CONCLUSIO affirmativa.

1 NOn est dubium de substantia prædestinati præcisè, ut intra limites naturæ, propter dicta *num. 1. præc.* & ideò nec est effectus elicitus prædestinationis. Sermo est de effectu imperato, non quoad ordinationem supponentem existentiam rei ordinatæ, quia in hoc sensu certum est, substantiam prædestinati esse prædestinationis effectum, ordinatur enim per illam ad finem gloriæ: sed quoad ipsam existentiam, ita ut prima rei productio ex intentione gloriæ imperetur: hoc est, an substantia prædestinati, quæ ex vi providentiæ communis quasi eliciti-vè producitur, non procedat ab illa independenter à prædestinatione, sed ut illi tamquam imperanti subordinata?

2 Prima sententia est negativa. Ita Vazquez, & alij è Societate. Ex Thomistis Albelda, Serra, Arauxo, & alij, cum

quibus N. Bened. à S. Jacobo. Secunda sententia est affirmativa. Ita communiter Thomistæ, Scotistæ, & Nostri Mendoza *quæst.* 1. *quodl.* Alviz *disp.* 4. *de Prędest. sect.* 10. Gavardi, & alij. Tertia sententia adhæret secundæ, loquendo de substantiis, quæ per actionem miraculosam, ex matre sterili, vel precibus Sanctorum, inopinatè nascuntur: primę verò loquendo de aliis substantiis, quę modo connaturali producuntur. Ita Herize, & N. Gibbon, qui addit has substantias esse effectus prædestinationis in executione, secùs in intentione. Aliqui instituunt dubium in ordine ad potentiam absolutam, sed ex resolutione de facto constabit quid dicendum.

3 Dicimus *Substantiam hujus prædestinati esse effectum imperatum prædestinationis in sensu dicto.* Prob. ex Augustin. *Serm.* 11. *de Verbis Apost. cap.* 5. dicente: *Sed dicit aliquis: Per Jesum Christum facti sumus, ut etiam homines essemus. Ita verò per Jesum Christum facti sunt & pagani, sed ut essent homines, per Jesum Christum facti sunt.* Monet autem ibi S. D. etiam ipsam naturam posse dici gratiam, quia gratis concessa est; sed est alia major gratia, illa scil. qua fideles facti sumus, juxta illud Psalm. *Ipse fecit nos, & non ipsi nos, populus ejus, & oves pascuæ ejus.* Ex quibus sic. Id, quod est per Christum in electis, est effectus prædestinationis: sed per Christum habemus, ut simus homines, & ut simus populus ejus: ergo non solum gratia, qua christiani sumus, sed etiam gratia creationis, seu esse naturale prædestinati est effectus prædestinationis; non quidem ut sistit intra ordinem naturæ, sed ut producitur cum subordinatione ad providentiam supernaturalem. Et *cap.* 4. *Eliguntur qui non sunt, nec errat qui eligit, nec vanè eligit. Eligit tamen, & habet electos, quos creaturus est eligendos*, id est, quos creaturus est ex intentione illos glorificandi: ergo creatio substantiæ hujus prædestinati est effectus prædestinationis ipsius.

4 Prob. ex D. Thom. *in* 1. *dist.* 41. *quæst.* 1. *art.* 4. dicente; *Omnis causa, cujus operatione interveniente completur effectus prædestinationis dicitur prędestinationem juvare, vel per modum causę meritoriæ... vel etiam naturali operatione, sicut motus cæli, & omnes causę naturales juvant prędestinationem, in quantum earum officio perficitur generatio, & sustentatio electorum.* Sed interveniente operatione causarum naturalium completur generatio, & esse naturale electorum: ergo esse naturale, seu substantia elec-

electorum est effectus prædestinationis. Et *hìc quæst. 19. art. 5. ad 3.* docet, ex sola divina voluntate dependere, *quod Deus voluit hominem habere manus, ut deservirent intellectui operando diversa opera; & voluit eum habere intellectum, ad hoc quod esset homo; & voluit eum esse hominem, ut frueretur ipso, vel ad complementum universi.* Sed velle esse hominem, est velle ipsius substantiam: ergo si Deus vult esse hominem, ut frueretur ipso, vel ex præintentione beatitudinis; substantia prædestinati fuit producta ex intentione illum glorificandi; & sic est effectus prædestinationis. Idem probari potest ex hac *quæst. 23. art. 8.* ubi docet, esse prædestinationis effectum omne illud sine, quo aliquis salutem non consequitur: talis enim est substantia prædestinati.

5 Ratione prob. In iis, quæ ex libera Dei voluntate pendent, judicium ferre debemus secundùm ea, quæ naturis rerum magis congruunt: sed magis illis congruit, substantiam prædestinati produci à Deo ex efficaci intentione illum glorificandi: ergo. Prob. min. Magis congruit naturis rerum, quod ea, quæ sunt ultima in executione sint prima in intentione: sed substantia prædestinati est prima in executione, & beatitudo ultima: ergo in intentione beatitudo debet esse prima, & substantia prædestinati ultima. *Confirm.* Deo tribuere debemus modum perfectissimum operandi: talis est, quod providentia naturalis operetur ex fine, & imperio supernaturalis providentiæ, & quod ipse finis naturalis fini supernaturali subordinetur, & ex subordinatione ad illum producatur: ergo congruentius est, substantiam prædestinati produci ut subordinatam prædestinationi, & per consequens est effectus illius imperatus.

6 Ad id. Omne inferius ordinatur ad superius tamquam imperfectum ad perfectum: substantia prædestinati est inferior (utpote in ordine naturali) gloriâ: ergo. *Ungetur.* Quidquid facit ad gloriæ consecutionem est illius effectus, & intenditur à Deo ex vi intentionis prædestinativæ: talis est substantia prædestinati, quia producit actiones naturales ministrantes, & supernaturales, quibus gloriam cum effectu consequimur: ergo est effectus illius. Prob. maj. Si omne id, quod facit ad executionem alicujus finis non intenderetur, & ordinaretur ab agente propter talem finem, aliquid in executione finis contingeret præter intentionem agentis, nec ille ex integro intenderet & ordinaret, quæ faciunt ad finis consecutionem:

sed implicat, aliquid Deo contingere in executione prædestinationis casualiter, & præter intentionem finis gloriæ : ergo quidquid facit, &c.

7 Diximus in concluf. *substantiam hujus prædestinati*, quia non loquimur de substantia secundùm se, absolutè, & in communi, sed de illa in particulari. Pro quo nota, quod in primo signo decrevit Deus se ad extra communicare, & homines creare : postea, peccato originali prævifo ut totam naturam inficiente, decrevit hos gratis prædestinare ad gloriam, & ad gratiam ; illos autem justo judicio in massa perditionis relinquere. Plura alia signa in istis involvuntur ; sed ad præsens ista duo sufficiant. Prædestinationem autem hominum factam fuisse post prævisum originale, est genuina mens Augustini, uti fert communior AA. opinio, constatque ex dictis *quæst. præced. art. 2. præcipuè num.* 11. ex quo constat, dona naturalia, quæ in primo signo creationis Deus decrevit hominibus conferre, ipsamque substantiam naturalem pro illo primo signo non fuisse effectus prædestinationis adhuc imperativè, quia in illo signo prædestinatio non erat : sed nec erat substantia hujus prædestinati, quia tunc non considerantur circumstantiæ, & particulares respectus in hoc vel illo homine, sed præcisè homines in quantùm homines, & ut capaces beatitudinis. In signo autem prædestinationis intelligitur hæc substantia, seu esse hujus hominis secundum talem nativitatem, ex talibus parentibus, tali temperamento, & ingenio, aliisque similibus ministerialiter ad effectum prædestinationis deservientibus. In hoc igitur signo imperatur, & ordinatur ipsa prædestinati substantia, quæ secundùm se prævisa erat in priori signo, in finem prædestinationis tamquam deserviens executioni illius, & ad cujus subordinationem producitur.

Sic conciliari possunt oppositæ AA. locutiones ; considerata enim substantia naturali in priori creationis signo, sic nec est effectus elicitus, nec imperatus ; & in hoc sensu intelligitur N. Benedictus à S. Jacobo, qui fundatur in eo, quod prædestinatio hominum non fuit nisi ex prævisione esse naturalis ipsorum. Sic etiam intelligi potest Gibbon, dum negat esse effectum imperatum ordine intentionis : fundatur enim in eo, quod priùs intelligitur in Deo volitio substantiæ hominum, quàm volitio efficax dandi gloriam. Et ratione hujus signi verificari potest, providentiam naturalem antecedere prædestinativam in genere causæ materia-

rialis, ut communiter docent Thomiſtæ. Quia verò ſubſtantia, quæ terminat prius ſignum, ſubordinatur iis, quæ pertinent ad ſecundum, & non niſi cum tali ſubordinatione producenda eſt; ideò dicitur à reliquis effectus imperatus.

8 Huic doctrinę adverſatur Illuſt. Montalvan *in præſenti*, qui primò ponit electionem ad gloriam, ſecundò ex illa productionem univerſi, tertiò elevationem hominum ad ſtatum gratiæ originalis, quartò permiſſionem peccati originalis in omnibus, quintò decretum de juſtificatione illorum, & de vocatione, & juxta hunc ordinem ait, prædeſtinationem *ad gratiam* ſupponere præſcientiam peccati originalis, ſecùs prædeſtinationem *ad gloriam*. Sed in primis hæc diſtinctio, qua potiſsimè utitur P. Vazquez, ut probet electionem ad gloriam non eſſe gratuitam juxta M. Parentem, ſed tantum electionem ad gratiam, ab ipſo admiſſa enervat vim omnium auctoritatum Auguſtini, quibus ipſe utitur ad probandam electionem gratuitam ad gloriam: dicet enim P. Vazquez, illas non debere intelligi de electione ad gloriam, ſed ad gratiam, quod efficaci ratione comprobabit; in illis enim fere omnibus loquitur Auguſt. de iis, qui ab originali damnatione liberantur, & per miſericordiam eliguntur ad regnum: ſed per te prædeſtinatio, quæ ſupponit originalem damnationem, eſt prædeſtinatio ad gratiam: ergo dum defendit Auguſt. prædeſtinationem gratuitam, loquitur de electione ad gratiam, non ad gloriam.

Maj. conſtat ab inductione auctoritatum, quas adducit ex *cap.* 8. *de Dono Perſeverantiæ*, in quo præcipuè loquitur M. Parens de iis, quos liberat miſericors Deus de tam debita perditione, qualis eſt quæ provenit à culpa originali. Et *in cap.* 9. proponit dubium, cur ex duobus piis, uni donetur perſeverantia, non alteri, urgens per hoc quod utrique à Deo creati, utrique ex Adam nati, utrique de terra facti ſunt. Et *in cap.* 7. *de Corrept. & Grat.* expreſsè ait: *Quicumque ab illa originali damnatione iſta divinæ gratię largitate diſcreti ſunt, &c.* In qua præcipuè fidit Ill. Montalv. dum agit de gratuita ad gloriam electione: ſed in his expreſsè fit de electione gratuita ſupponente originale: ergo.

9 Secundò. Hoc ordine decretorum ſtatuto, non eſt cur gratia primò collata Adamo in ſtatu innocentiæ non ſit effectus prędeſtinationis ipſius, præceſſerat enim intentio illum glorificandi. Sequela autem ſatis com-

communiter rejicitur à Thomistis. 3. Illa positio non appareret conformis Augustino, qui ad prædestinationem semper supponit corruptionem naturæ. Audiatur *Serm.* 11. *de Verbis Apost. cap.* 12. *Si qua*, inquit, *in Christo nova creatura lapsa est vetus, facta est nova. Una erat massa perditionis ex Adam, cui non nisi supplicium debebatur: facta sunt vasa inde in honorem ex eadem massa. Qua massa? Certè jam perierat, certè jam illi massæ justa damnatio debebatur. Gratulare quia tu evasisti, mortem quippe debitam evasisti, & vitam non debitam reperisti. Habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam.* Facere autem vas in honorem, & vitam non debitam reperire, de electione ad gloriam intelliguntur, sicut facere vas in contumeliam est reprobare.

Et *in epist.* 105. *ad Sixtum, nunc* 194. *num.* 4. *secundum partitionem, novissimæ editionis*, probat Deum gratis prædestinando acceptorem non esse personarum, quia una eademque est massa damnationis; & liberatum id discere debere de non liberato affirmat, quod etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret: sed si prædestinatio esset ante prævisionem originalis, liberatus, seu gratis ad gloriam electus, non agnosceret, etiam sibi supplicium convenire: ergo. Et ibi *num.* 38. adducens textum Apostol. de dilectione, & electione Jacob, ait: *Intelligat Jacob ex illa massa originalis iniquitatis, ubi fratrem suum, cum quo habuit communem causam, videt per justitiam meruisse damnari, non nisi per gratiam se potuisse discerni.* Sed Apost. in hoc textu non loquitur de sola electione ad gratiam, sed præcipuè de electione ad gloriam, ut fatetur ipse Illust. Montalvan, probans ex illo conclusionem de gratuita electione ad gloriam: ergo. Id ipsum probari posset innumeris S. D. testimoniis, sed ex dictis constare potest ejus mens, & præcipuè videri potest *in lib.* 14. *de Civit. cap.* 26.

10. Suffragatur Ang. Præceptor *hìc quæst.* 23. *art.* 5. *ad* 3. dicens: *Voluit Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem per modum misericordiæ parcendo.* Sed Deus non parcit nisi reis, nec homo est reus ante peccatum: ergo. Et *art.* 1. *ad* 3. ait: quod *prædestinari convenit Angelis, sicut & hominibus, licèt numquam fuerint miseri. Nam motus non accipit speciem à termino à quo* (qui in hominibus est status miseriæ, in Angelis status viæ sine miseria) *sed à termino ad quem*, scil.

ſcil. gloria: ergo prædeſtinatio hominum ſupponit peccatum prævisum.

Sed quidquid ſit de his, præſens aſſertio ſuſtinenda eſt, vel præcedat ſignum creationis ad prædeſtinationem, vel electio ad gloriam ad ſignum productionis rerum naturalium; nam in hoc ſecundo modo clariùs patet qualiter ſubſtantia prædeſtinati ſit effectus prædeſtinationis. Sufficiat utrumque modum indigitaſſe; nam illius reſolutio circa decretorum ordinem ſpectat ad *tertiam partem*.

11 Ult. prob. concluſ. contra 3. ſententiam. Subſtantia prædeſtinati, miraculosè geniti, fuit effectus prędeſtinationis ipſius: ergo etiam omnis prædeſtinatorum ſubſtantia. Pat. conſ. quia omnes electi in eodem ſigno fuerunt prædeſtinati, & eſſe omnium in eodem ſigno fuit determinatum. Si dicas, illas generationes quantum ad miraculoſam circumſtantiam fuiſſe effectus prædeſtinationis, non autem quantum ad ſubſtantiam, quæ pro priori fuit decreta; contra eſt, quia in miraculosè nato ex ſterili vi orationum ſanctorum, etiam ſubſtantia debet dici effectus prædeſtinationis: orationes enim illæ merebantur, quod poſtulabant: non poſtulabant autem generationem tantum quoad miraculoſam circumſtantiam, ſed præcipuè quoad ſubſtantiam: ergo. Sed ex ſolutione ſaltim infertur pro nobis, ſubſtantiam *hujus* eſſe effectum prædeſtinationis, quia illæ determinatæ circumſtantiæ conſtituunt hanc ſubſtantiam.

§. II.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

12 ARg. 1. Apoſt. enumerans prædeſtinationis effectus, non recenſet inter illos ſubſtantiam prædeſtinati; quin potius D. Thom. exponens illa verba *Rom.* 8. *lect.* 6. ait: *Primum in quo incipit prædeſtinatio impleri eſt vocatio*: ergo eſſe naturale non eſt effectus prędeſtinationis; in hoc enim inciperet prædeſtinatio impleri. *Reſp.* in his ſermonem eſſe de effectibus primariis, & principalioribus prædeſtinationis, non autem de occaſionaliter, aut miniſterialiter tantum conducentibus ad gloriam: & talis eſt ſubſtantia prædeſtinati, & aliæ res naturales; ut bonum ingenium, & circumſtantiæ nativitatis, & mortis, quæ ab adverſariis dicuntur prædeſtinationis effectus, & tamen ab Apoſt. inter illos non enumerantur. Vel dic, Apoſtolum ſaltem implicitè enumerare ſubſtantiam, loquitur enim in concre-

creto, *QUOS prædestinavit, HOS & vocavit*; prædestinatio autem, & vocatio in concreto important etiam substantiam prædestinati, quia substantia est quæ prædestinatur, vocatur, &c.

13 Arg.2. Juxta P. August. *Epist. ad Sixtum, num.* 8. *Non istam gratiam commendat Apost. qua creati sumus, ut homines essemus, sed qua justificati, cùm mali homines essemus. Ista est enim gratia per Jesum Christum D. N. Etenim Christus non pro nullis, ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, ut justificarentur.* Ergo creatio substantiæ non fuit ex meritis Christi, & sic nec effectus prædestinationis. *Resp.* conced.conf. de substantia secundùm se, & ut sistente intra ordinem naturæ; neg. autem de illa, ut determinata, & ut in signo prædestinationis, vel ut ordinata ad gratiam, & gloriam. Et notandum, quod etiam dona naturalia non improbanda ratione dicuntur *gratia*, in quantum gratis dantur; & per consequens dici etiam possunt *gratia per Christum*, nam per ipsum omnia, qui est primogenitus omnis creaturæ; & ut ait August. *num.*3. *Pagani ut essent homines per Jesum Christum facti sunt.*

Sed hæc non dicitur absolutè, & propriè gratia Christi: & ideò ait August. *Serm.* 5. *de Verb. Apost. cap.* 11. *Pagani, qui non habent gratiam Dei per Jesum Christum, &c.* Per gratiam enim Christi propriè dictam intelligitur illa, quæ involvit fidem illius, & donum supernaturale, & hæc est gratia, quam commendat Apost. quamque vocat August. majorem gratiam *in Serm.* 11. *de Verbis Apost. cap.* 6. & quam Pelagianos admittere compellebat. Cum enim Pelagius solam gratiam creationis admitteret, & vi hujus dolosè fateretur, non sine gratia Dei se defendere liberum arbitrium; ulteriorem gratiam August. exposcebat, à natura, & lege distinctam. *Hanc ergo gratiam, qua Christiani sumus* (ait S. D. *in laud. Serm. cap.*8.) *ipsam volumus prædicent, ipsam volumus agnoscant, de qua dicit Apost. Non irritam facio gratiam Dei.*

Pro hac mortuus est Christus, ut istam mereretur prædestinandis. Sed licèt Christus non dicatur mortuus pro beneficio naturali, hoc non tollit, illud esse gratiam per Christum. Ratio. Dum Christus dicitur absolutè mortuus propter nos, intelligitur præcipuus finis, qui est nostra justificatio, glorificatio, &c. Sed hoc non tollit, alia pro quibus non dicitur absolutè mortuus, esse gratiam per Christum; nam prematura mors il-

illius, qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, ingreſſus in templum, dum hæc verba Evangelij cantantur, & ſimilia, ſunt gratia per Chriſtum, ut fatentur adverſarij: & tamen non dicitur abſolutè, Chriſtus mortuus propter hæc. Nec dicitur abſolutè mortuus propter ſui corporis gloriam, vel gaudia accidentalia Angelorum, cùm tamen deputentur meritis ejus. Sic licèt per Chriſtum ſit donum creationis, non dixit Auguſt. quod pro illo mortuus eſt, ſed pro impiorum juſtificatione, ut ſignificetur proportionatus, & præcipuus effectus prædeſtinationis, ſeu finis, pro quo ſimpliciter dicitur Chriſtus mortuus.

14 Arg. 3. ex D. Thom. 3. *part. quæſt.* 1. *art.* 3. *ad* 4. dicente: *Prædeſtinatio ſupponit præſcientiam futurorum.* Sed non eorum, quę ſunt talia ex vi prædeſtinationis: ergo ex vi alterius providentiæ ſcil. naturalis. Et *lect.* 3. *ſuper cap.* 1. *ad Rom.* ait: *Naturalia propriè ſub prædeſtinatione non cadunt.* Reſp. ſolutione communi, prædeſtinationem ſupponere præſcientiam aliquorum futurorum in genere cauſæ materialis, prædeſtinationem ſcil. Chriſti, de qua ibi S. D. ſupponere pręviſionem peccati originalis. *Ad* 2. *dic*, naturalia non eſſe id ad quod homo per prædeſtinationem tranſmittitur, ſed talia ſunt ſupernaturalia: ſupra naturam autem creaturæ rationalis ſolus eſt Deus, cui unitur creatura, vel per gratiam gratis datam, vel per gratum facientem, vel per gratiam unionis, vel per gratiam conſummatam: & ideò cùm prædeſtinatio ſit tranſmiſſio creaturæ in aliquid ſupra illius naturam, naturalia propriè ſub prædeſtinatione non cadunt. Et ſimiliter, quia, ut ſiſtunt intra proprium ordinem naturæ, pertinent ad ipſam conſtitutionem rei, non ad uſum, vel gubernationem illius; & ut ait ibi D. Thom. prædiſpoſitio conſtitutionis rei non dicitur propriè prædeſtinatio, ſed tantum prædiſpoſitio quantum ad uſum, vel ordinationem rei; ideò naturalia ſecundùm ſe, vel ut in primo ſigno conſtitutionis eorum ſub prædeſtinatione non cadunt. Sed hoc non tollit, quod ex vi alterius providentiæ ſuperioris productio eorum imperetur, & ordinetur ad finem ſupernaturalem, ac per conſequens, quod ſint effectus imperati prædeſtinationis: ſicut actus ſecundùm ſe naturalis non ordinatur ad finem charitatis per virtutem à qua elicitivè procedit, ſed à charitate imperante, ita ut in prima ſui productione ſit effectus illius imperatus.

15 Arg. 4. Subſtantia præ-

destinati non est effectus elicitus prædestinationis, ut supponimus; aliàs nec imperatus: ergo. Prob. min. Effectus imperatus debet participare aliquam realitatem saltem modalem à causa imperante: sed substantia nullam participat, cùm in prima sui productione sit incapax cujuslibet realitatis intrinsecæ supernaturalis, quam unice posset participare à providentia supernaturali: ergo. *Resp.* negando min. ad cujus probationem dist. maj. Effectus qui est, vel redditur proximus, & proportionatus, conc. Improportionatus, & remotus, nego. Et talis est substantia prædestinati, quia illa etiam ut ordinata extrinsecè ad gloriam, seu ut producta ex vi, & imperio prædestinationis non est medium proportionatum ad gloriam in prima sui productione: posteà verò intrinsecè recipit gratiam, & alia dona, quæ ad finem prædestinationis requiruntur, quæque sunt media intrinsecè proportionata ad illum, & substantia cum illis connexa ex ordinatione divina est etiam medium conducens ad gloriam, & effectus prædestinationis, in quantum producitur ex illius imperio. Et instò argum. in substantia miraculosè producta, quæ in prima sui productione est effectus prædestinationis: & quidquid dixerint adversarij de ordinatione illius ad finem prædestinationis, vel de receptione intrinsecę realitatis in prima sui productione, dicemus & nos de reliquis substantiis. Et similiter urgeri possunt adversarij propugnantes, permissionem peccati secundùm primum sui esse, esse effectum prædestinationis.

16 Arg.5. cum Gibbon. In Deo priùs est voluntas antecedens; quàm consequens; illa enim est generalis, ista specialis: sed voluntas antecedens salvandi omnes homines supponit eorum substantiam, cùm versetur circa illos ut futuros, non ut possibiles: ergo à fortiori illam supponit prædestinatio. *Conf.* Voluntas efficax dandi gloriam ordine intentionis præsupponit peccatum originale: sed hoc nequit prævideri non prævisa, & suppositа omnium hominum substantia: ergo præsupponitur efficaciter volita ante intentionem efficacem dandi gloriam.

17 Respondent aliqui, decretum prædestinationis esse prius ordine intentivo, quàm voluntas salvandi omnes, quæ est prior ordine executivo. Vel ut alij dicunt, voluntas antecedens est prior aliâ in genere causæ materialis, posterior verò in genere causæ finalis. Vel dic, voluntatem antecedentem tantum respicere homines in quan-

quantum homines, & ſic omnes ad beatitudinem ordinari, & in quantum omnes ad illam ordinantur, vult Deus omnes ſalvos fieri. Ceterùm in illo primo ſigno, in quo conſideratur voluntas creandi homines, non intelligitur ſubſtantia *hujus* ſecundùm circumſtantias, & particulares reſpectus; quia ad voluntatem antecedentem non pertinet rem velle conſideratis omnibus circumſtantiis particularibus, ut docet D. Thom. *hìc quæſt. 19. art. 6. ad* 1. Manet ergo locus, ut ille qui in quantum homo reſpicitur per providentiam generalem, conſideratis omnibus circumſtantiis eligatur per voluntatem conſequentem, & ſubordinetur ſpeciali fini prædeſtinationis, ex cujús imperio fiat. Unde in ſigno prædeſtinationis, vel ut ſubordinata gratiæ, illa ſubſtantia determinata erit effectus prædeſtinationis imperatus, non ratione ſui, vel quia ſola forma, & perfectio ſupernaturalis ſit effectus prædeſtinationis, ſed tota illa ſubſtantia ut ſubjecta illi fini erit effectus ejus, licet prout præcisè in primo ſigno, vel ut ſiſtit intra ordinem naturę non ſit effectus illius.

18 Ad confirm. reſp. peccatum originale potuiſſe prævideri, hoc ipſo quod prævideretur ſubſtantia primorum parentum, & reliqua ex parte ipſorum neceſſaria, & ſubſtantiæ aliorum hominum tamquam in capite, ſeu quantum ex parte Adami, quin opus fuerit, ut omnes homines determinatè in ſingulari, & ſecundùm omnes circumſtantias prævideréntur: unde manet locus, ut ex prædeſtinatione, & beneficio Chriſti imperaretur generatio, & productio ſubſtantiæ horum in particulari, quos Deus ex Chriſti meritis voluit miſericorditer ad gloriam eligere. Et nota, ſubſtantiam Adæ prout conſideratur præcisè ordinata ad juſtitiam originalem non eſſe effectum prædeſtinationis, ſed ut producta in ordine ad gratiam ſanativam & gloriam fuit effectus prædeſtinationis illius, & ex meritis Chriſti, ſicut & ipſa gratia ſanativa.

19 Arg. 6. Subſtantia prædeſtinati non eſt medium ad gloriam, ſed ſubjectum, & finis *cui* gloria amatur: ergo prę ſupponitur ad intentionem gloriæ; & ſi non eſt medium, non eſt effectus prædeſtinationis, cùm hæc ſit præparatio mediorum. *Rurſus*. Gloriā eſt accidens: ſed ſubſtantia non ſubordinatur accidenti: ergo ſubſtantia prędeſtinati non producitur, ut ſubordinata intentioni glorię. *Reſp*. Ad effectum prædeſtinationis non requiri, ut ſit rigoroſè medium, ſed ſufficit, ut præparetur providentiâ ſpeciali, vel tam-

tamquam medium, vel tamquam subjectum, tunc enim fiet propter finem, & sic saltim latè erit medium. Hoc patet in gloria, quæ est effectus prædestinationis, & non tamquam medium, sed ut finis intentus. Quod substantia prædestinati sit subjectum gloriæ, non obstat quominus producatur ex vi intentionis glorię; sicut potentia vitalis, licèt sit principium, & subjectum operationis, potest fieri ex intentione illius. Et substantia genita, quamvis sit generationis subjectum, à generatione causatur efficienter. Cujusvisque hominis substantia potest fieri juxta adversarios propter beatitudinem naturalem, cùm tamen sit illius subjectum, & etiam finis *cui*: ergo licèt sit subjectum, & finis *cui* gloriæ, erit prædestinationis effectus.

Similiter beatitudo naturalis est etiam accidens: & de facto substantia hominis producta beatitudini supernaturali ut fini ultimo subordinatur: ergo licèt gloria sit accidens, non tollit, quod substantia prædestinati producatur ut illi subordinata. Ratio, quia nec ab intrinseco illi subordinatur, nec illam respicit ut finem *qui* & objectivum, sed *quo* & formalem. Priorum ratio est, quia non repugnat mutua inter duo causalitas in diverso genere causæ, & sic substantia prædestinati potest esse prior in genere causæ materialis, & subjectum gloriæ; causari autem à gloria in genere causę finalis, & ex intentione ad gloriam imperari.

20 Arg.ult. Substantia prædestinati nequit esse primus prædestinationis effectus, quia qui assereret, dari ex parte nostra rationem ad primam vocationem ad fidem, non assignaret motivum ex parte nostra ad primum prædestinationis effectum; cùm non posset assignare rationem ex parte sui ad productionem suæ substantiæ: sed si est effectus debet esse omnium primus, ut patet: ergo. *Resp.* illam esse primum effectum imperatum, & improportionatum, non autem elicitum, & proportionatum: & qui assereret, dari ex parte nostra motivum ad primam vocationem, assignaret causam primi effectus eliciti, & per consequens teneretur dicere, dari ex parte nostra causam nostræ prædestinationis.

Inferes circumstantias nativitatis, & mortis, bonam indolem, bonum ingenium, & omnia bona naturalia esse in electis prædestinationis effectum, quia *omnia* illis *cooperantur in bonum*, & per prædestinationem ordinantur à Deo in salutem eorum.

AR-

ARTICULUS III.

UTRUM PERMISSIO peccati ex præintenta pœnitentia sit effectus prædestinationis?

§. I.

PROBATUR CONCLUSIO affirmativa.

1 NOn loquimur de permissione peccati activè sumpta, in quo sensu est actus, per quem Deus vult non dare gratiam; sic enim repugnat illi ratio effectus. Loquimur de permissione passivè sumpta, in quo sensu est ipsa carentia gratiæ efficacis à Deo denegatæ. Hanc autem permissionem sic acceptam esse aliquomodo effectum divinę voluntatis, constat ex P. Aug. *in Enchir. cap.* 1. dicente: *Non fit præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem; quia non fieret, si non sineret; nec utique nolens sinit, sed volens.* Et ideò dicitur, quod Deus non vult mala fieri, sed vult permittere malum. Cùm autem permissio passiva sit carentia, non potest dici effectus per positivum influxum, sed per negativum; ad modum quo carentia entis dicitur esse à Deo volente, quod non existat entitas, seu nolente illius existentiam. Quærimus, an talis carentia sit à Deo volita propter gloriam electorum?

2 Prima sententia docet, Deum non posse permittere peccatum propter gloriam electorum. Ita Vazquez, Arrubal, & alij. Secunda sententia tenet, esse effectum prædestinationis. Ita communiter Theologi. Sed dividuntur distinguentes permissionem peccati ex intentione virtutis non connexæ cum peccato v. gr. humilitatis, vel virtutis supponentis peccatum v. gr. pœnitentiæ. Suarez, & alij RR. docent, permissionem peccati ex præintenta humilitate esse effectum prædestinationis, secus ex præintenta pœnitentia. Thomistę verò affirmant utrumque. Ita etiam Augustiniani Alviz *disp.* 4. *de Prædest. sect.* 13. ubi fatetur se olim contrarium sensisse, re tamen meliùs perpensa, longe probabiliorem existimat hanc sententiam. Gibbon, Benedictus à S. Jacobo, Sychrovvsky cum Gavardi, & Fundamentali Doct. & Montalvo. Salm. in M.S. Ex Jesuitis Ripalda, Herrera, & alij.

3 Dicimus. *Permissio peccati in electis nedum ex motivo humilitatis, sed etiam ex motivo pœnitentiæ est effectus prædestinationis.* Prob. à P. August. ex illo Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bo-*

bonum. Supra quæ ait *de Grat. & Lib. Arb. cap.* 17. post initium: *Quid est* omnia, *nisi & ipsas terribiles sævasque passiones.* Et *de Corrept. & Grat. cap.* 9. post medium: *Diligentibus eum omnia cooperantur in bonum; usque adeò prorsus omnia, ut etiam si qui eorum debiant, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.* Ergo permissio peccati ex motivo humilitatis est in electis effectus prædestinationis.

4 Quod autem sit etiam ex motivo pœnitentiæ probat S.D. ex illo Psalm. 82. *Imple facies eorum ignominia* dicens *lib.* 14. *de Civit. Dei, cap.* 13. *in fine*: *Audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod appertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubriùs enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit, hoc dicit & sacer Psalmus*: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine: *id est, ut tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerant quærendo suum.* Ex quibus sic. Quod utile est prædestinatis ad finem prædestinationis, est medium seu effectus illius: sed permissio peccati ex fine displicentiæ sic se habet juxta Augustinum, & idem est ex motivo displicentiæ, ac ex motivo pœnitentiæ, ut est destructivæ peccati; displicentia enim peccatum destruit: ergo permissio peccati ex motivo pœnitentiæ conducit in electis ad finem prędestinationis, & sic potest esse à Deo volita propter ipsorum gloriam. Quod autem in his non loquatur S. D. de solo bono eventu, quem Deus elicit occasione peccati, sed etiam de causa finali, seu motivo permissionis, constat ex illa expositione particulæ *et* ex verbis Psal, quam vertit August. per *ut*, quæ denotat motivum permissionis peccati; & per consequens ly *unde sibi displiceant* idem erit, ac *ut ex illo peccato sibi displiceant.*

5 Et exponens verba Psal. 29. *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*, ait *cap.* 9. *de Corrept. Factus est conturbatus, ut se inveniret, & humiliter sapiens... addisceret.* Ergo illa conturbatio facta est ex motivo humilitatis; unde ait *lib. de Nat. & Grat. cap.* 24. *Hęc ei conturbatio contra superbiam fuit medicinalis quodam modo.* Et ibi *cap.* 27. ly *&* exponit per *at*, dicens, *Qui in voluntate sua præstiterat decori ejus virtutem, avertit paululùm faciem suam, Ut qui hoc dixerat, fieret conturbatus.* Per quod, & alias similes locutiones, qui-

quibus frequenter utitur M. Parens, apparet, cum Pelagianis non fuisse disceptationem, quod homo occasione peccati multoties humilietur, seu de effectu consecuto ad peccatum; sed quod homo in suis peccatis humanam non debeat accusare naturam, sed voluntatem, & de fine propter quem Deus permittit peccatum.

6 Eodem modo loquitur M. Parens agens de motivo pœnitentiæ; in *lib. enim* 21. *de Civit. Dei, cap.* 24. *in fine*, super illud Apost. Rom. 11. *Conclusit Deus omnes in infidelitate, ut omnium misereatur*, inquit, *Quos omnes, nisi de quibus loquebatur tamquam dicens, & vos, & illos? Deus ergo & Gentiles & Judæos, quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, omnes in infidelitate concluſsit* N. B. *ut de amaritudine infidelitatis suæ pœnitendo confusi, & ad dulcedinem misericordiæ Dei credendo conversi, clamarent illud in Psal. Quam multa multitudo dulcedinis tuæ Domine.* Quod satis clarum apparet pro nostra sententia.

7 Prob. à D. Thom. ex eisdem Augustini testimoniis, ait enim *in* 1. 2. *quæst.* 79. *art.* 4. *Excæcatio est quoddam præambulum ad peccatum. Peccatum autem ad duo ordinatur, ad unum quidem per se, scil. ad damnationem: ad aliud autem ex divina misericordia, scil. ad sanationem, in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum suum agnoscentes humilientur, & convertantur, sicut Aug. dicit in lib. de Nat. & Grat.* Et 3. *part. quæst.* 89. *art.* 2. *ad* 1. adducit verba Augustini à nobis laudata *num.* 3. Et super illud Rom. 8. *Diligentibus Deum, &c. lect.* 4.

8 Quod autem etiam ex motivo pœnitentiæ sit effectus prædestinationis, prob. ex D. Th. *quæst.* 5. *de Verit. art.* 4. *ad* 5. dicente: *Aliquod bonum est, quod non posset elici nisi ex aliquo malo, sicut bonum patientiæ non nisi ex malo persecutionis elicitur: & bonum pœnitentiæ ex malo culpæ.* Et ideò infert congruere, ut mala etiam culpæ divina providentia permittat ex intentione pœnitentiæ, quæ non nisi ex tali malo elici potest. Idem docet *hìc quæst.* 22. *art.* 2. *ad* 2.

9 A ratione prob. concluſ. ratione facta hìc *art.* 1. *num.* 15. & sic. Quod conducit ad finem aliquem, potest ex ejus intentione præparari: sic se habet permissio peccati ad finem prædestinationis: ergo. Prob. min. Illa conducit ad humilitatem, ut homo suam fragilitatem recognoscat, & indigentiam gratiæ: unde Propheta dixit, *priusquam*

quam humiliarer ego deliqui, &, *bonum mihi, quia humiliasti me*: sed humilitas est bonum spirituale prædestinati, conducens in vitam æternam: ergo permissio peccati potest ex intentione talis finis à Deo præparari, & per consequens erit effectus remotus, & imperatus prædestinationis. *Conf.* Permissio peccati debet à Deo præparari ex aliquo bono fine, aliàs casualiter permittet peccatum: sed non apparet finis congruentior, quàm salus, & profectus spiritualis electorum mediâ humilitate, pœnitentia, spe in solo Deo, timore, aliisque virtutibus, quibus salutem æternam consequantur: ergo ex simili intentione debet dici à Deo volita.

10 2. Prudenter provisor permittit minus malum, dum conducit ad consecutionem majoris boni: sed permissio peccati conducit ad vitandum majus malum, & ut electus consequatur majus bonum: ergo prudenter permittit Deus peccatum electorum ex fine prædestinationis. Maj. constat exemplo Medici permittentis minus malum, ut vitet aliud majus, & similiter apparet in Legislatore. Min. prob. Permissio peccati sensualitatis, vel furti conducit in electo, ad superbiam inclinato, ad vitationem superbiæ, quæ est majus peccatum; ex vitio enim sensualitatis potest amplius humiliari, & cautior evadere: ergo. Hoc bonum occasionatum esse majus, quàm illud quod electus amisit per peccatum, docetur à D. Thom. 3. *part. quæst.* 89. *art.* 2. *ad* 1. dicente: *Cedit ergo eis in bonum hoc quod cadunt, non quia semper in majori gratia resurgant, sed quia resurgunt in permanentiori gratia... ex parte hominis, qui tanto stabiliùs in gratia permanet, quanto est cautior, & humilior.*

11 3. Ideo permissio peccati non posset esse volita ex intentione finis prædestinationis, vel pœnitentiæ, quia ex eo sequeretur volitum esse peccatum, ut arguit Vazquez: sed potest esse volita talis permissio, quin sit volitum peccatum: ergo. Prob. min. 1. in humanis, princeps enim potest licitè permittere aliqua peccata ob honestum finem, v. gr. lupanaria: ad vitanda majora peccata adulterij, incestus, &c. sed non ex hoc ipso vult princeps peccata: ergo multo minus Deus. 2. Plura Deus permittit peccata propter aliquos fines, qui sine peccato consequi non possunt, v. gr. tyrannorum sævitiam propter patientiam Martyrum; peccatum crucifigentium Christum propter passionem & mortem ejus, generis humani reparativam: sed non propterea vult ipsum pec-

ca-

catum : ergo. Explicatur maj. Dum Deus permittit peccata, vel permittit ex fine ostendendi potentiam & sapientiam suam illud sanando, vel misericordiam condonando, vel justitiam puniendo : sed hæc omnia supponunt peccatum : ergo.

12 4. Deus permittit peccata reproborum ex intentione salutis electorum, & pro utilitatibus Sanctorum ; & tamen licèt permissio peccati reproborum sit volita propter utilitates electorum, & ostensionem divinæ bonitatis in Sanctos, non est volitum peccatum reproborum: ergo etiam in electis permissio peccati ipsorum erit effectus prædestinationis eorumdem, & volita absque eo quod sit volitum peccatum. Maj. docetur ab Apostolo Rom. 9. & 11. & ab August. 11. *de Genes. ad litt. cap.* 6. ubi ait : *Frustrà dicitur non debuisse creare Deus, quos sciebat malos futuros ; cur enim non crearet, quos sciebat bonis profuturos ?* &c. Et *cap.* 7. *Num quia præsciti sunt, ideò creari minimè debuerunt ? Habent, & ipsi locum suum, quem impleant pro utilitate Sanctorum.* Sunt enim utiles 1. ut opera bona electorum clarius eluceścant comparatione malorum reproborum. 2. ut electi agnoscant se ex propriis viribus nihil habere ; ut enim ait Aug. *Nullum est peccatum, quod faciat unus homo, quod non possit facere alter homo.* 3. ut gratias agant divinam misericordiam agnoscentes : & ideò ait Aug. *in Psal.* 58. ad illud, *Deus ostendet mihi super inimicos meos, Quantam erga me habuit misericordiam in illis mihi demonstravit : nisi enim debitor suspendatur, minus gratias agit cui debitum relaxatur.* Et ex his verbis apparet non solum in Patria cognoscere electos permissionem peccati reproborum, ut existimat Vazquez, sed etiam in via.

13 5. Intendens efficaciter finem solùm tenetur amare prærequisita ad illius consecutionem, quando sunt prærequisita ut amata, secus si solum prærequirantur ut permissa : sed ita evenit in præsenti : ergo ex eo quod peccatum permittatur ex intentione humilitatis, & salutis electorum, peccatum non debet esse volitum. Prob. min. Tunc media prærequiruntur ut amata, quando ponenda sunt ab intendente, secus si illorum positio ad alterius voluntatem spectet superiore tantùm permittente : sed peccatum est prærequisitum, cujus positio unicè ad voluntatem creaturæ spectat, Deo illud permittente: ergo ut Deus intendat humilitatem, vel pœnitentiam, ad quas essentialiter prerequiritur peccatum, non est necesse, quod

peccatum velit, sed quod non velit illud impedire.

14 Et nota, quod pœnitentia, ex cujus præintentione dicimus, Deum permittere peccatum, non sumitur præcisè ea ratione, qua est remissiva hujus peccati, sic enim non est sufficiens finis, ex cujus intentione permittatur peccatum: ad modum quo Medicus non debet permittere ægritudinem eo tantùm fine, ut illam curet. Sumitur ergo sùb ratione, quam secum affert consequendi majus bonum, scil. gratiæ permanentioris, majorisque cautelæ erga vitationem peccatorum in posterùm, quam secum affert pœnitentia ex proposito, quod includit de cetero non peccandi. Et in hoc sensu dixit August. 26. *de Nat. & Grat. Sicut vulnere, verbi gratia, claudicans, ideò curatur, ut sanato malo præterito futurus dirigatur incessus: sic mala nostra non ad hoc solum supernus medicus sanat, ut illa jam non sint, sed ut de cetero rectè ambulare possimus.* Et in fine, *Sanat*, inquit, *Deus non solum, ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus.* Unde dum ait sup. Psalm. 125. circa fin. *Melius est, ut nullus sit miser, quàm ut facias misericordiam: qui enim ut faciat misericordiam, optat esse miseros, crudelem habet misericordiam: quomodo si Medicus, ut exerceret artem suam, optaret esse multos ægrotos crudelis medicina esset*, hoc intelligitur in primo sensu.

§. II.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

15 ARg.1. Effectus prædestinationis est beneficium Dei juxta illud August. *Prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei*: sed permissio peccati non est beneficium Dei: 1. quia consistit in negatione gratiæ. 2. quia posset illam desiderare & petere, hoc enim competit beneficio conducenti ad beatitudinem: illam autem nequit desiderare, cum non possit stare sine peccato proprio; & ideò dicimus, *Ne nos inducas in tentationem*, quod potiùs est petere, ne permittat nobis peccatum: ergo. 3. quia pro beneficio tenemur gratias agere; non sic pro permissione peccati, sed potiùs quia non permisit nobis peccatum: ergo. 4. Omne beneficium descendit ex meritis Christi: sed ille non promeruit, aut postulavit pro electis permissionem peccati, sed potiùs oravit, *Ut serves eos à malo. Joan.* 17. ergo.

16 Resp. ad 1. instando in sententia P. Vazquez docentis per-

permissionem peccati reproborum esse effectum prædestinationis electorum; illa enim æque consistit in negatione gratiæ. Disting. ergo maj. Beneficium Dei, vel gratia extrinsecè, & ex fine ad quem misericorditer ordinatur, conc. Intrinsecè, & ex se, nego loquendo de effectu remoto, & improportionato. Carentia illa gratiæ, quæ intrinsecè nihil est, potest ordinari à Deo in finem nobis indebitum, ut scil. subjectum, in quo datur, resurgat in gratia stabiliori, qua perveniat in gloriam, & ex hac divina ordinatione dicitur beneficium. Sicut cui Deus permittit cæcitatem, ut vitet peccata, quæ ex concupiscentia oculorum proveniunt, & hinc eum salvet, ingens extrinsecè beneficium confert, licèt cæcitas illa intrinsecè non sit beneficium, sed privatio.

17 Ad 2. dic, nos posse desiderare & petere absolutè effectus, qui ex natura sua ad finem prædestinationis conducunt, illos verò qui ex sola Dei misericordia, ut tali, ad illum finem ordinantur, non possumus absolutè petere, sed sub conditione tantum: non quæ consequatur ad peccati permissionem v. gr. postulare permissionem peccati, *si ad majorem humilitatem à Deo judicetur idonea*; in hoc enim sensu non appareat licita talis petitio, loquendo de proprij peccati permissione, quia cùm conditionalis non cadat supra permissionem, sed supra conducentiam, ipsa permissio erit absolutè volita; cùmque permissio peccati proprij non aliter salvetur nisi medio peccato per propriam voluntatem committendo, qui illam sic peteret, virtualiter saltim desideraret peccatum illud committere. An autem sub simili conditione permissionem peccati alieni posset aliquis postulare, affirmant aliqui de quibus *quæst.* 1. *art.* 4. *num.* 68.

18 Sensus ergo conditionatæ petitionis ita se habet, ut conditio cadat supra permissionem, *si peccata permittantur, ad prædestinatorum profectum talis permissio ordinetur.* Sic enim non tam petitur peccati permissio, quàm ex illa proventus, vel ordinatio ipsa divinæ misericordiæ in bonum finem. Sic qui appetunt martyrium, tyrannorum peccatum non desiderant; libentiùs enim haberent, quod illi Christi fidem amplecterentur: appetunt tamen sanguinem pro Christo profundere suppositа illorum pertinacia: unde ait D. Thom. 3. *part. quæst.* 47. *art.* 6. *ad* 3. *Christus voluit suam passionem, iniquam tamen actionem Judæorum non voluit.* Quod autem sic possit à nobis conditionatè peti, sufficit ut sit effectus prædes-

destinationis, nam à Deo potest eligi absolutè, ut conducens ad gloriam, & perseverantiam, cùm peccati positio non spectet ad illius voluntatem, ut diximus *num.*13. Ex oratione autem dominica infertur, nos non debere orare absolutè pro permissione peccati; si enim illud absolutè peteremus, peteremus etiam peccatum: petentes autem permissionem peccati conditionatè sub secundo modo explicato nullomodo oramus aliquid contra prescriptum orationis dominicæ.

19 Ad 3. dic, qui noscceret permissum sibi fuisse peccatum propter finem prædestinationis, teneri pro tali permissione sic extrinsecè ordinata Deo gratias referre; posset enim dicere, *Bonum mihi quia humiliasti me.* Cum autem ignoremus, an simus ex illorum numero, quibus omnia cooperantur in bonum, non tenemur gratias agere pro permissione, sed potiùs magno cum timore, & tremore erga illam nos habere debemus, fugientes omnes peccatorum occasiones.

20 Et nota, quod peccatum pro formali malitiæ nullo modo potest cadere sub petitione, vel dici effectus prædestinationis, quia ad id non sufficit, ut occasionaliter conferat ad augmentum gratiæ, sed requiritur, ut sit effectus à Deo causatus, & volitus, cùm prædestinatio etiam includat voluntatem: Deus autem nullo modo potest velle malitiam. De peccato autem pro materiali æquè potest resolvi, ac de illius permissione, cum illud sit effectus omnipotentiæ, & ordinari possit à Deo in bonum electorum: & circa petitionem illius nos gerere debemus sicut erga permissionem; illud enim absolutè petere non possumus propter dicta *quæst.*1. *art.*4. *num.*67. sed ad summum conditionatè, ut diximus *num.*18.

21 Ad aliud de Christo resp. Christum non meruisse, aut mortuum fuisse, ut nobis peccata permittantur, sed ut permissiones peccatorum nostrorum in majorem profectum spiritualem, & in finem beatitudinis ordinentur, seu ut non aliter nobis gratia efficax subtrahatur, nisi ut talis subtractio sit occasio majoris boni, & permanentioris gratiæ, quod cohæret cum illa oratione, *Ut serves eos à malo*; promerens enim peccati permissionem relativè sumptam, seu ut in majus bonum ordinatam, & hoc postulans à Patre, promeruit, & oravit, ut electos servaret à malo finali; ipsa enim permissio relativè sumpta ad hoc in electis ordinatur; cùm descendat ex intentione salutis mediâ perseverantiâ finali. Et illam potuit pe-

petere, vel conditionatè sicut nos, vel aliter scil. absolutè, ut plures docent; quia peccati positio ad Christi voluntatem non spectat. Sed congruentiùs videtur primus modus, aliàs possemus absolutè petere permissionem peccati alieni, cùm illius positio ad nostram voluntatem non spectet.

22 Arg. 2. Non est prudentis provisoris permittere majus malum ex intentione minoris boni: sed peccatum est majus malum, quàm humilitas bonum, cùm illud sit infinitum in ratione offensæ, istud verò finitum: ergo nequit Deus permittere peccatum ex intentione profectus spiritualis electorum. *Confirm.* Permittere peccatum ex intentione humilitatis est permittere peccatum, ne sit peccatum: sed stultum est, peccatum esse, ne peccatum sit: ergo. Maj. pat. quia illud peccatum permittitur, ne sit peccatum superbiæ. Min. probatur, quia Deus ipsum superbiæ peccatum sanare potest sine permissione alterius peccati: ergo insipienter illud permittitur, ut aliud sanetur; sicut si medicus ad tumoris malum, quod sine sectione sanare potest, sectionem adhiberet, imprudenter se gereret.

23 Resp. ad 1. ex illo sequi, non posse Deum permittere peccatum propter ullum finem creatum, nec propter ostensionem suorum attributorum; nam cum hæc sint bona extrinseca Dei, sunt simpliciter finita: unde sequitur contra Vazquez, Deum non posse permittere peccatum reproborum propter bonum electorum. Dicimus ergo, non esse prudentis provisoris permittere malum præcisè ut illud sanet, benè verò ut ægrotus in firmiori resurgat sanitate: & ita contingit in præsenti; dum enim Deus permittit peccatum luxuriæ v. gr. non præcisè intendit bonum humilitatis, hoc enim minus est in esse boni, quàm peccatum permissum in esse mali, sed per illud bonum humilitatis intendit vitare, & peccatum superbiæ, & alia, in quę subjectum incideret attentâ dispositione, in qua erat: peccatum autem superbiæ majus est, quàm malum permissum: majus ergo est malum, quod vitat, quàm illud, quod permittit. Potest igitur Deus ex intentione majoris profectus spiritualis electis permittere peccatum.

24 Hoc fundatur in doctrina tradita ex Aug. *num.* 14. & ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 162. *art.* 6. *ad* 3. *Dicendum, quod sicut in syllogismis ducentibus ad impossibile quandoque aliquis convincitur per hoc, quod ducitur ad inconveniens magis manifestum: ita etiam ad convincendum*

dum superbiam hominum Deus aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia, quę etsi sint minora, tamen manifestiorem turpitudinem continent. Unde Isidorus dicit in lib. 2. de Summo Bono, cap. 38. Omni vitio deteriorem esse superbiam, seu propter hoc, quod à summis personis & primis assumitur; seu quod de opere justitiæ, & virtutis exoritur, minusque culpa ejus sentitur. Luxuria verò carnis ideò notabilis omnibus est, quoniam statim per se turpis est: & tamen, dispensante Deo, superbia minor est, *(id est occultior)* sed qui detinetur superbia, & non sentit, labitur in carnis luxuriam, ut per hanc humiliatus à confusione exurgat. *Ex quo etiam patet gravitas ipsius superbiæ. Sicut enim medicus sapiens in remedium majoris morbi patitur, infirmum in leviorem morbum incidere: ita etiam peccatum superbiæ gravius esse ostenditur ex hoc ipso quod pro ejus remedio Deus permittit ruere homines in alia peccata.*

25 Ad confirm. dicimus id objeciisse Pelagium contra M. P. Augustinum. Cum enim Catholici DD. affererent, necessarium fuisse homini, ut absque peccato esse non posset ad auferendam superbiæ, vel glorię occasionem, hoc acutè versans Pelagius, & quantum sibi videbatur redarguens, atque convincens, objiciebat, *Absurdissimum, & stultissimum* esse, *peccatum fuisse, ne peccatum esset, quoniam & ipsa superbia utique peccatum est.* Hoc autem non ita stultum reputat August. imò ab experientia rejicit dicens *cap. 27. de Nat. & Grat. Quasi non & ulcus in dolore est, & sectio dolorem operatur, ut dolor dolore tollatur.* Urgentibus autem Pelagianis, sicut in argumento, quod *Deus potest omnia sanare* respondet August. *Hoc utique agit, ut sanet omnia: sed agit judicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto.* Quod est dictu: potest Deus sanare superbiam, vel sine permissione alterius peccati immediatè infundendo humilitatem, vel illud permittendo, & ex hoc subjectum humiliando; potest utroque modo: sed unum determinare non ad ægrotum, sed ad divinum judicium spectat, ut illum sanet ordine à divina justitia exacto, & conformiori naturæ defectibili: huic autem conformior apparet modus sanandi per humilitatem, quæ ex actionis turpitudine oritur, cum frequenter superbia ex excellentia alicujus honesti operis originetur. Congruit etiam divinæ justitiæ, quæ quandoquè unum peccatum punit per aliud peccatum. Et prudentissimè se gerit in istius permissio-

sione, quia hoc facit ex intentione majoris boni spiritualis. Sicut etiam medicus corporalis, qui sectionem non adhibendo posset simpliciter malum curare, non imprudenter sectionem adhiberet, si id judicaret expedire ad firmiorem valetudinem, utque infirmus cautior rederetur; & in posterum occasiones ægrotandi vitaret.

26 Ex dictis *num.* 24. constat qualiter ipsa privatio gratiæ, quæ per se, & ex natura sua non conducit ad humilitatem, & finem prædestinationis, ex misericordia tamen Dei, & ex ordinatione ad vitandum illud majus malum, conferat ad talem finem: ut scil. qui in peccatum luxuriæ labitur, per gratiam illuminatus turpitudinem illius perpendens humilietur; & vitet superbiæ malum, quod licèt majus sit, est tamen magis latens. Per hoc autem non volumus dicere, quod peccatum ex se provocet ad misericordiam; sed quod licèt quantum est in se non ad misericordiam, sed ad iram moveat; Deus tamen sua motus bonitate volens hominem superbum curare; permittit ei peccatum magis notum, ut per illud quasi ad impossibile, & inconveniens magis manifestum ductus, evadat in posterùm humilior, & cautior.

27 Sed dices. Juxta D. Thom. 1. *part. quæst.* 104. *art.* 4. *in corp. Redigere aliquid in nihilum non pertinet ad gratiæ manifestationem, cum magis per hoc divina potentia, & bonitas ostendatur, quòd res in esse conservat. Unde simpliciter dicendum est, quod nihil omnino in nihilum redigetur.* En quia anihilatio est carentia actionis conservativæ, per quam bonitas Dei manifestatur, non potest esse ostensiva divinæ bonitatis: ergo similiter negatio gratiæ efficacis. *Resp.* Deum posse anihilationem ordinare ad multos fines hominibus proficuos; ut scil. à malo ex terrore anihilationis coerceantur. Congruè tamen infert D. Thom. de facto non ita ordinari, quia ut ait in corp. art. aliquæ res semel productæ connaturaliter exigunt suam conservationem, ut res immateriales: aliæ, quæ materiales sunt, gaudent materia incorruptibili, quæ ex natura sua exigit rerum generationi successivè subesse. Unde anihilatio esset supra ordinem à rebus exactum; cumque haberet pro termino purum nihil non relinqueret aliquid ubi gratia, & Dei bonitas eluceseeret. Non sic permissio, quæ nec est contra naturam ejus, cui peccatum permittitur, sed conformis ad illius defectibilitatem: nec subjectum destruit, in quo divina bonitas potest manifestari. Et si ob-

objectio tenet, permissio peccati nec poterit esse effectus providentiæ generalis, quia omnis effectus illius debet esse manifestativus divinæ bonitatis, potentię, &c.

28 Instabis. Juxta D. Th. 3. *part. quæst.* 88. *art.* 2. *ad* 2. *Innocentia est majus Dei beneficium, quàm pœnitentia.* Ergo nequit Deus permittere peccatum ob pœnitentiam, cum ob illam permissionem, majus bonum deperdatur. *Resp.* cum ipso S. D. *hìc quæst.* 20. *art.* 4. *ad* 4. quod *ceteris paribus innocentia dignior est, & magis dilecta. Dicitur tamen Deus plus gaudere de pœnitente, quàm de innocente: quia plerumque pœnitentes cautiores, humiliores, & ferventiores resurgunt.* Tunc ergo, & in casu præsenti cetera non sunt paria, quia pœnitentes magis habebunt de gratia, & per consequens melior erit pœnitentia illa, quàm innocentia. Unde Gregor. *Homil.* 34. *in Evang.* dicit, quod *dux in prælio eum militem plus diligit, qui post fugam conversus fortiter hostem premit, quam qui numquam fugit, nec umquam fortiter fecit.*

29 Arg. 3. Intentio pœnitentiæ supponit peccati prævisionem, & per consequens illius permissionem: ergo permissio nequit esse volita ex intentione pœnitentiæ, sed è contra, intentio hujus ex prævisione illius. Prob. antec. Pœnitentia juxta Damasc. & alios PP. est bonum occasionatum, sicut & punitio, quod scil. amatur ex occasione mali, & non aliter: ergo non est de primaria intentione Dei, sed illius intentio peccati prævisionem supponit.

30 Respondent aliqui, distinguendo in pœnitentia & bonum destructionis peccati, seu formalitatem remedij; & bonum manifestationis excellentiæ hujus virtutis destructivæ malorum. Ita Joan. à S. Thoma, qui asserit pœnitentiam sub prima formalitate esse bonum occasionatum, & intendi non posse sine prævisione peccati: secus sub secunda; Deus enim potest primariò intendere manifestare excellentiam hujus virtutis destructivæ malorum, & ex hac intentione peccata permittere. Sed contra hos obstat, quod excellentia pœnitentiæ competit ipsi secundùm suam essentiam: essentia autem pœnitentiæ consistit in esse destructivam malorum: ergo si prout est destructiva peccati non est de primaria intentione Dei, nec erit sub ratione manifestandi illius excellentiam. *Rursus*, ut rationes probativæ concluf. teneant, non potest excludi à pœnitentia formalitas destructivæ malorum; sic enim conducit ad finem prædestinationis; & si hæc tollatur,

tol-

tollitur ratio formalis pœnitentiæ.

31 Respondent alij, pœnitentiam, ut præcisè dicit esse remedium peccati, esse bonum occasionatum, secùs verò si consideretur, ut utilis ad uberiorem gratiam. Sed nec ista apparet sufficiens solutio: nam in tantùm pœnitentia est utilis, & conducit ad uberiorem gratiam, in quantùm est destructiva peccati: nequit ergo à Deo amari, ut utilis ad talem finem, nisi ametur, ut destructiva peccati, & per consequens nisi aliquomodo præscientiam, & permissionem illius præsupponat. Si autem à secunda formalitate pœnitentiæ non excludatur ratio detestationis peccati, sed adhibeatur hæc explicatio, ut appareat, quod licèt ratio utilitatis ad uberiorem gratiam fundetur in ratione detestandi peccatum, non tamen est volita permissio peccati præcisè ex fine destruendi peccatum, sed ex fine resurgendi in stabiliori gratia: hoc verum est; sed per illud non explicatur qua ratione peccatum prævisum & permissum non supponatur ad intentionem pœnitentiæ: pœnitentia enim etiam sub secunda formalitate utilis ad majorem gratiam supponit peccatum; cùm non aliter possit pœnitens consequi majorem gratiam per pœnitentiam, quàm detestando peccatum.

32 Hoc explicari potest per aliorum solutiones, vel dicendo cum Paulo à Concept. pœnitentiam esse bonum occasionatum, occasione desumpta ex fragilitate naturæ, non autem ex determinatis peccatis: & in hoc sensu ante omne decretum permittendi peccatum potuit Deus velle pœnitentiam per hoc solum, quod per scientiam necessariam vidit voluntatem, ad bonum, & ad malum liberam, peccaturam, nisi ipse auxilio suo impediat peccatum. Unde occasio nec præsupponitur existens, nec absolutè futura, sed possibilis, & ad summum futura certitudine morali. Deus enim relinquens naturam humanam in statu naturæ lapsæ fragilem, & ad peccatum inclinatam, sine gratia efficaci, utpotè indebita, vidit per scientiam necessariam lapsuram in aliqua peccata certitudine morali: debuit igitur ante prævisa illa peccata absolutè futura efficaciter velle medicinam, non solum qua repararentur damna inferenda per peccatum, sed etiam qua alia plura emolumenta sequerentur. Ad punitionem autem, & voluntatem illius absolutam non sufficit sola possibilitas, aut certitudo moralis culpæ, sed requiritur prævisio ipsius, ut absolutè futuræ, vel existentis, ut dicemus *quæst. seq.*

Vel cum Gonet, intentio-

nem pœnitentiæ supponere prævisionem peccati, & ejus permissionem in genere causæ materialis, vel occasionalis, non autem in genere causæ finalis, juxta dicta *art. præc. à num. 7.* Per hæc satis solvitur argum. eligat unusquisque quod volet.

33 Arg. 4. Amans efficaciter finem tenetur amare omnia sine quibus finis esse non potest; sicut qui vult vitam, tenetur amare cibum, sine quo vita esse non potest: sed pœnitentia sine peccato esse non potest: ergo si Deus efficaciter intenderet pœnitentiam, amaret ipsum peccatum. *Conf.* Deus amans efficaciter pœnitentiam, tenetur amare permissionem peccati; ergo & peccatum; sicut enim pœnitentia sine permissione peccati esse non potest, sic nec sine peccato. Et nec permissio peccati est utilis, aut conducens ad finem pœnitentiæ nisi ratione peccati, cum pœnitens doleat de peccato permisso, non de permissione: ergo si permissio amatur in quantùm utilis ad pœnitentiam, amatur etiam peccatum. 2. Amans efficaciter pœnitentiam, vult efficaciter exercitè voluntatem ejus non frustrari: frustraretur per defectum peccati: ergo vult efficaciter non deficere peccatum. Velle peccatum non deficere, est velle illud existere: ergo.

34 Resp. instando in sententia plurium adversariorum, juxta quos inefficaciter saltim potest Deus amare pœnitentiam ante absolutam prævisionem peccati, & efficaciter post absolutam prævisionem peccati; & tamen nec inefficaciter amare potest peccatum, licet pœnitentia amata connectatur, vel cum peccato præterito, vel cum conditionatè futuro: ergo. *Resp.* disting. maj. Si illa sint amabilia ab intendente finem, vel si ipsorum amor necessariò prærequiratur ad illorum positionem, conc. secus, nego. Et ita contingit in præsenti; licèt enim pœnitentia sine peccato esse non possit, illud tamen non est à Deo amabile, nec ut sit, requiritur amor Dei, sed sufficit ejus permissio. Sic si Deus vellet efficaciter iteratò Angelum producere, estò ad id prærequireretur illum redigere in nihilum; non propterea vellet producere nihilum; quia nihil producibile non est. Quod ulterius patet exemplis allatis *num.* 11. & 12. & 13. Qui amat vitam tenetur amare cibum, quia ille amabilis est, & sine illius voluntate non potest illum assumere.

35 Ad confirm. nego conf. permissio enim nequit aliter esse nisi ex amore Dei, & illa in se amabilis est: non sic peccatum, & per hoc patet disparitas ad primam probat. *Ad*

aliud

aliud de utilitate, & conducentia permissionis dic, illam non esse *propriè & strictè* utilem: utilitas enim strictè sumpta significat aliquid positive influens, & adjuvans ad finis consecutionem, quod carentiæ gratiæ competere non potest. Potest tamen dici utilis latè, & impropriè, qua ratione significat prærequisitum aliquod indispensabile, licèt non adjuvans ad finis consecutionem: in quo sensu etiam peccatum potest dici utile ad pœnitentiam: sed ratione talis utilitatis nequit amari, quia in se dicit aliquid divino amori repugnans, quod non dicit permissio; imò aliter esse non potest, nisi aliquomodo sit effectus divinæ voluntatis, ut diximus *num.* 1.

36 Ad ult. dic, ab omnibus debere solvi, vel in voluntate efficaci pœnitentiæ post absolutam prævisionem peccati, vel in ipso efficaci decreto permittendi peccatum ex quocumque fine illud permittat: nam Deus sic decernens vult exercitè, hoc decretum nec formaliter nec illativè frustrari: frustraretur autem saltem illativè per defectum peccati: ergo. Dicimus, non opus esse, Deum velle ipsum peccatum, licèt velit non frustrari voluntatem de pœnitentia: hoc enim ipso quod velit permittere peccatum, certò scit, peccatum non defuturum, sed infallibiliter ponendum per defectibilitatem creaturæ; & per consequens optimè novit, voluntatem intentivam pœnitentiæ non esse frustrandam, nec formaliter, nec illativè. Ad efficaciam ergo intentionis pœnitentię sufficit peccati permissionem decernere, per hoc enim impeditur frustratio illius tam formalis, quam illativa, & absque ullo peccati amore.

37 Dices. Qui vult unum extremum, ut cum alio connexum, amat terminum connexionis: sed ex efficaci pœnitentiæ intentione ante absolutam permissionem peccati infertur Deum amare unum extremum, scil. pœnitentiam, ut connexum cum malitia peccati: ergo. Maj. pat. quia ideò negant Thomistæ Deum prædeterminare, seu velle materiale peccati, ut connexum cum malitia. Min. prob. Per efficacem intentionem respicitur finis cum omnibus circumstantiis, ad differentiam simplicis complacentiæ, quæ respicit finem secundùm se, seu independenter à prærequisitis: sed unum ex illis respectu finis pœnitentiæ est peccatum: ergo.

38 Resp. per hoc probari, Deum ex nullo fine posse eligere permissionem peccati, quia eam deberet amare secundùm prædicata sibi intrinseca, quorum unum est, quod sit illativa ma-

malitiæ, & cum ea connectatur. Directè *resp.* Deum amare pœnitentiam ut *logicè* connexam cum peccato; & permissionem ut illativam logicè peccati secundum id quod dicit permissio & pœnitentia *in recto*, si ly *ut* dicat *rem à Deo amatam*: per hoc enim nihil aliud intelligi volumus, quàm quod amet prædicata intrinseca pœnitentiæ, & permissionis, per quæ logicè connectuntur cum peccato, quin connexio ista influxum aliquem importet in peccatum, sed in privationem gratiæ. Sed non amat pœnitentiam ut connexam cum peccato, ly *ut* dicente *motivum amandi*, nam ratio diligendi pœnitentiam non est connexio illius cum peccato, sed potiùs ratio amandi pœnitentiam est peccatorum vitatio, scil. vitatio majoris mali, & uberioris boni consecutio. Si in hoc sensu amaret Deus pœnitentiam, & permissionem, amaret utrumque extremum connexionis, sicut qui ex amore conservationis vitæ vult prærequisitum ad illam, ideò utrumque extremum amat, quia vult unum ut connexum cum alio, ita ut ratio amandi cibum v. gr. vel potum amarum, fit quia connectitur cum vita. Ita Illustr. Montalvan, qui idem affirmat de materiale peccati, ut connexo cum formali, si ly *ut* non dicat motivum amandi, sed rem amatam.

Sed aliter resp. negando min. & ad ejus probat. dic, voluntatem absolutam respicere finem ut connexum cum omnibus prærequisitis, quæ per se sunt amabilia ab intendente finem, & quorum amor prærequiritur ad illorum positionem: unde amat talia extrema connexionis: sed non respicit pœnitentiam, vel permissionem ut connexam cum prærequisito, ad cujus existentiam non prærequiritur, ut ametur ab intendente finem. Et sic nec vult Deus materiale peccati ut connexum, vel ut connotat deformitatem, quia illud sic dicit ipsam malitiam quasi formam, quæ nullatenus est à Deo amabilis: nec pœnitentiam ut connexam, vel illativam peccati. Vel dic, quod per actum quo attingitur pœnitentia, attingitur peccatum eo modo quo est à Deo attingibile: scil. ut permissibile; volitio enim efficax pœnitentiæ ante absolutè prævisum peccatum est implicitè, & virtualiter voluntas permittendi peccatum. 2. attingitur peccatum in obliquo, ut detestandum; Deus enim illo actu vult, ut homo detestetur peccatum à se committendum, vult enim detestationem peccati, quæ est ipsa pœnitentia. Ex quo non sequitur attingi, ut objectum amabile.

39 Arg. 5. Si Deus posset efficaciter prædefinire pœnitentiam

tiam ante absolutam prævisionem peccati, posset ex intentione pœnitentiæ moveri ad exequendum auxilium sufficiens inefficax; qui enim intendit finem, potest ex illo moveri ad exequendum medium ad illum prærequisitum; & sic se habet auxilium sufficiens, & inefficax respectu pœnitentiæ; nam quia sufficiens, constituit potestatem peccandi, quia inefficax, conjungitur cum peccato, & utrumque requiritur ad pœnitentiam. Nunc sic. Sed nequit Deus ex intentione pœnitentię moveri ad exequendum auxilium sufficiens inefficax : ergo. Prob. min. Intentio efficax pœnitentiæ connectitur cum peccato, & per consequens etiam voluntas executiva talis auxilij, si ex illa intentione descenderet : sed voluntas executiva auxilij sufficientis nequit esse connexa cum peccato, cum quantum est ex se intendat vitationem peccati: ergo quia ex intentione connexa cum peccato descendere non potest.

40 Respondet Illust. Montalvan negando maj. & ad illius probationem distinguit maj. Si illud medium non supponatur electum ante illam intentionem, concedit : si supponatur, negat: voluntas autem collativa auxilij sufficientis supponitur ante intentionem efficacem pœnitentiæ, ac proinde non debet esse connexa cum peccato, nec ex illo fine descendere. Aliter dist. probationem majoris implicitam. Qui intendit finem, potest ex illo moveri ad exequendum medium ad illum prærequisitum, si medium ex se, vel ex intentione eligentis conducat ad finem, conc. aliter nego. Collatio autem auxilij sufficientis nec quantum est ex se, nec ex intentione Dei connectitur cum peccato, nec ad illud ordinatur; sed potius voluntas collativa illius tendit in vitationem peccati, ut fatetur arguens. Sic etiam licèt peccatum requiratur ad pœnitentiam, nequit Deus velle illud, nec ad id moveri, ex eo quod velit pœnitentiam. Sic etiam licèt liberum arbitrium prærequiratur ut creatura peccet, non ideò opus est ut ex intentione finis presupponentis peccatum, moveatur Deus ad conferendam, vel exequendam potestatem naturalem; quia hæc supponitur collata, vel electa per aliam voluntatem antecedentem, & ex alio fine, scil. constituendi creaturam liberam, & potentem à malo declinare; nec ex se est medium adjuvans, vel connexum cum peccato. Si executio auxilij sufficientis conduceret quantum est ex se, & ordinaretur, vel connecteretur cum peccato, posset Deus ad illam moveri ex fine pœnitentiæ : & si non

non supponeretur electa ante talis finis intentionem.

41 Arg. ult. Ex nostra sent. sequitur non posse Deum sibi displicere in malitia peccati, dum existeret, nec posse illam seriò prohibere ne existat: quia nullus sibi displicet, nec seriò potest prohibere existentiam illius, sine quo consequi non potest quod efficaciter intendit, & sine peccato non potest dari pœnitentia: ergo cum sequela non sit admittenda, rejicienda est nostra sententia. Sequitur 2. Deum reddere peccatum futurum per illam intentionem pœnitentiæ, & sic determinabit ut peccatum existat, cùm ab eo, à quo res habet futuritionem, suo tempore habeat existentiam, & pœnitentia sine peccato futura esse non potest. 3. sequeretur Deum ponere creaturam in statu cum quo non posset conjungere carentiam peccati.

Resp. posse aliquem displicere in eo sine quo ut permisso tantùm, consequi non potest quod intendit, licèt non possit in eo displicere, si ut sit debet esse volitum. Sic Christus D. efficaciter intendens omnium generis humani redemptionem, licèt sciret, id consequi non posse sine interventu proditionis Judæ, & aliorum peccatorum, admodùm sibi displicuit in illis, quia tantum erant prærequisita ut permittenda, non ut volenda. Ad 2. dic, intentionem efficacem pœnitentiæ esse futuritionem radicalem *logicam* peccati, & permissionem esse proximam futuritionem logicam, non autem physicam. Vide *tract.5. quæst.3. art.2. à numer.* 38. Ad ult. resp. sicut in hac *quæst.1. art.4. num.62.*

ARTICULUS IV.

DE DIVERSIS AD PRÆdestinationem spectantibus.

§. I.

DE INFALLIBILITATE, & certitudine prædestinationis.

1 Dicimus 1. prædestinationem esse infallibilem respectu consecutionis finis, quia ut dicitur Joan. 10. *Nemo rapit oves meas de manu mea*: Et August. 7. *de Corrept. & Grat.* de prædestinatis loquens, ait: *Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus.* Ut autem ostendat prædestinationem non solum gaudere certitudine cognitionis, & præscientiæ, sed etiam causalitatis, quæ datur dum causa infallibiliter producit effectum, & cum eo habet nexum indissolubilem, subdit: *Horum si quisquam*

quam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum pecitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Ut enim ait *cap.* 14. *Volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle, seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Unde prædestinationem diffinivit: *Præparatio beneficiorum, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.*

2 Ex D. Thom. prob. idem contra Molinam, qui non aliam certitudinem prædestinationi concedit nisi præscientiæ: ait enim *quæst. 6. de Verit. art. 3. Non potest dici, quod prædestinatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addit nisi certitudinem præscientiæ, ut si dicatur, quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut & quemlibet alium, sed cum hoc de prædestinato scit quod non deficiet à salute: sic enim dicendo, non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantum ex parte præscientiæ eventus, & sic præscientia esset causa prædestinationis. Nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis, quod est contra auctoritatem Scripturæ, & dicta SS.*

3 Ex certitudine prædestinationis infertur, certum esse numerum electorum, ita ut nec augeri possit, nec minui, dicit enim Scriptura *Ego scio quos elegerim.* Et August. 13. *de Corrept. & Grat. Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.* Soli autem Deo cognitus est numerus electorum, & ideò nullus de se ipso potest habere certitudinem sine speciali revelatione, & privilegio de sua prædestinatione, ut diffinitum est in Trident. & August. 13. *de Corrept.* dicens: *Quis ex multitudine fidelium, quamdiù in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? Quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per Sathanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus.*

4 Dices, *Psal.* 68. dicitur *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.* Et Exodi 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Sed *liber vitæ est præscientia Dei, quæ non potest falli*, ut dicit August. 20. *de Civit. cap.* 15. vel ut exponit D. Thom. *hic quæst. 24. art. 1. Ipsa Dei notitia, qua firmiter retinet, se aliquos prædestinasse ad vitam æternam.* Ergo non est certa & infallibi-

lis

lis prædestinatio, nec prædestinatorum numerus. *Resp.* in his textibus esse sermonem non de prædestinatione ad gloriam ex prædestinatione divina, quia qui sunt ordinati ad vitam æternam ex prædestinatione divina, sunt simpliciter scripti in libro vitæ: quia sunt ibi scripti ut habituri vitam æternam in seipsa, & isti numquam delentur de libro vitæ. Sed est sermo de ordinatis in vitam æternam ex gratia, & non ex prædestinatione divina: quicumque enim habet gratiam, est dignus vita æterna, & illam habet in causa, sed non est ordinatus ad illam habendam in seipsa: & ideò non dicuntur simpliciter scripti in libro vitæ, sed secundùm quid, possuntque deleri de illo. Ita D. Thom. *ibi art.* 3.

Aliter resp. ex D. Thom. à Villanova *conc.* 1. *de Nativ. Virg.* dicente: *Qui ab æterno scriptus est in libro vitæ, proculdubio non delebitur in æternum. Et quamvis Psalmista dicat*, Deleantur de libro viventium: *deletio ista intelligenda est secundùm præsentem Dei justitiam, aut privativè: sicut Deus dicitur odisse quos non amat, excæcare quos non illuminat, indurare quos non emollit, sic quoque dicitur radere quos non scripsit; unde quod sequitur expositio est, scil.* Et cum justis non scribantur, *id est, deleantur privativè, non positivè, id est, non scribantur.*

§. II.

DE NUMERO ELECTORUM in comparatione reproborum.

5 QUotus autem sit numerus electorum nullus potest exponere, ut diximus; sed in comparatione reproborum quantum ex Sacris Litteris, & Sanctis PP. licet colligere, longe major est hominum reproborum multitudo, quam electorum. Prob. ex illo Esdræ 4. 28. *Hoc sæculum fecit Altissimus propter multos, futurum autem propter paucos. Et... multi quidem creati sunt, pauci autem salvabuntur.* Et Matth. 7. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam: lata quæ ad perditionem.* Et Lucæ 12. dicitur: *Nolite timere pusillus grex.* Et Matth. 22. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Et Lucæ 8. dicitur de semine, quod aliud cecidit supra petram, aliud supra spinas, tertia verò pars supra terram bonam: per hanc autem tertiam partem intelliguntur prædestinati, reprobi per alias. Et *cap.* 17. & 24. *Isai.* numerus electorum com-

pa-

paratur pauciſsimis ſpicis, quæ à meſſoribus relinquuntur in agro. Et Micheæ 7. bonorum paucitas cum paucis racemis, cumque olivis, quæ poſt plenam integramque vindemiam uſui pauperum relincuntur, comparatur. *Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non eſt botrus ad comedendum.... periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt: omnes in ſanguine inſidiantur, vir fratrem ſuum ad mortem venatur.* Accedunt etiam variæ figuræ: nam aquis diluvij *Pauci, id eſt octo animæ ſalvę factæ ſunt per aquam*, ut dicitur 1. Petri *cap.* 3. Ex habitantibus Sodomam, & finitimas civitates ſolus Loth, & filiæ ejus ultricium flammarum vim evaſerunt. In devaſtatione Jerico ſola Raab cum ſuis ſervata eſt.

6 Ex SS. PP. M. Parens Aug. *in epiſt. ad Optatum apud Bedam ſuper cap. 9. ad Rom.* in expoſitionibus, quę ex Auguſt. ad verbum collectæ ſunt, inquit: *Tam multos creando naſci voluit, quos ad ſuam gratiam non pertinere præſcivit, ut multitudine incomparabili plures ſint, quàm quos in ſui regni gloriam filios promiſſionis prædeſtinare dignatus eſt: ut etiam ipſa rejectorum multitudine oſtenderetur, quàm nullius momenti ſit apud Deum juſtum quantalibet numeroſitas juſtiſsimè damnatorum.* Et 9. *de Corrept.* ait: *Fuerunt iſti ex multitudine vocatorum: ex electorum autem paucitate non fuerunt.* Rationem deduco ex D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 71. *art.* 2. *ad* 3. dicente: *Per operationem ſenſus homo pervenit ad actus rationis, ideò plures ſecuntur inclinationes naturę ſenſitivę, quàm ordinem rationis. Plures enim ſunt, qui aſſecuntur principium rei, quàm qui ad conſummationem perveniunt.* Per quæ exponit illud Matth. 7. *Lata eſt via, quę ducit ad perditionem, & multi vadunt per eam.* Quot enim in vaſtiſsimis Indiarum regionibus miſerorum hominum millia pereunt? Quoti in Perſia, Africa, & Aſia? Mittimus innumera alia teſtimonia, quia ut ait N. Comitibus hęc aſſertio eſt omnium ferè Theologorum. Gonet aſſerit id eſſe exploratum apud omnes.

7 Dicimus 2. ſalvo ſemper Eccleſiæ ac DD. judicio, hominum etiam chriſtianorum, & verè fidelium major pars damnatur, quàm ſalvatur. Prob. nam ex ſexcentis hominum millibus Iſraelitarum in terram promiſſam contendentibus, duo tantùm, Joſue ſcil. & Caleb, terram illam, regni cæleſtis typum, aſſecuti ſunt, de quo agit Aug. *Serm.* 102. *de Temp.* Et hùc ſpectat illud Pauli 1. *ad Cor.*

cap.6. Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. En ex currentibus per veram fidem *per fidem enim ambulamus* (qui enim illam non habent, non currentes, sed stantes dici debent) unus accipit bravium. Et Aug. *tom. 7. lib. 3. contra Cresconium, cap. 66.* exponens quomodo illa verba Domini, *Arcta & angusta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam* cohæreant cum aliis ejusdem, dicentis, *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cælorum*; id conciliat, *Quia*, inquit, *iidem ipsi boni, verique christiani, qui per se ipsos multi sunt, in comparatione malorum, falsorumque itidem pauci sunt. Sic multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum. Sic etiam ut de ipso Dei testamento dicam, quod factum est ad Abraham de semine ejus, quod est Christus, multæ sunt stellæ, quas numerare non possumus, quibus tam grande cælum undique circumfulget, & paucas dicimus in comparatione arenæ maris. Forte stellæ signaverunt spirituales christianos, maris autem arena carnales.* Sicut ergo arenæ maris non parum excedunt numerum stellarum, ita major est numerus reproborum, quàm christianorum, qui salvantur.

8 D. Gregorius *Homil. 19. in Evang.* considerans illud Matth. 22. ubi describitur, ex vocatis ad nuptias non solum damnari nolentes venire, sed illum qui intravit non habens vestem nuptialem, ait: *Terribile est valdè, quia & ad fidem plures veniunt* (en loquitur de fidelibus) *& ad cæleste regnum pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam festivitatem quàm multi convenimus, sed tamen quis sciat, quàm pauci sunt, qui in illo electorum Dei grege numerantur?* Et rationem affert, *Ecce enim vox omnium Christus clamat, sed vita omnium non clamat. Plerique Deum vocibus sequuntur; moribus fugiunt.* Nec obstat quod ex multis intrantibus unus tantùm sit repertus sine veste nuptiali, quia ut docet Hieronym. ille unus totam hominum reproborum multitudinem significat: illi enim *sicut spinæ se invicem complectuntur*, ut ait Nahum Proph. *cap. 1.* Et patet, quia ut ibi docet Matth. *Congregaverunt omnes, quos invenerunt, MALOS & bonos.* En habet in plurali *malos*; non ergo fuit unus tantùm. Nec id congruit parabolæ contextui: si enim ex vocatis unus tantum fuit reprobatus, ceteri electi, ex quo antecedenti inferret Christus D. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi?* Ex illa enim intelligen-

tia parabolæ potiùs debet inferri, *Ex multis vocatis multi electi, pauci, hoc est unus reprobatus.*

9 Consonant isti PP. Chrisostomo *Homil.* 40. *ad Populum Antioch.* dicenti: *Quot putatis esse in hac civitate nostra, qui salvi fiant? Infestum est quod dicturus sum, dicam tamen. Non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur: quin & de his dubito. Quanta enim in juvenibus malitia? Quantus in senibus torpor? &c.* Rationem assignat D. Thom. *hic art. 7. ad 3. Dicendum, quod bonum proportionatum communi statui naturę accidit ut in pluribus, & deficit ab hoc bono ut in paucioribus. Sed bonum quod excedit communem statum naturæ, invenitur ut in paucioribus, & deficit ab hoc bono ut in pluribus: cum igitur beatitudo æterna in visione Dei consistens excedat communem statum naturæ, & præcipuè: secundum quod est gratia destituta per corruptionem originalis peccati, pauciores sunt, qui salvantur. Et in hoc etiam maximè misericordia Dei apparet, quod aliquos in illum salutem erigit, à qua pluriml deficiunt secundùm communem cursum, & inclinationem naturæ.*

10 Adest etiam non levis conjectura ex signis prædest. quæ sunt vera cordis humilitas, vera in adversitatibus patientia, charitas erga egenos, pietas in res divinas, mundities animi, verbi Dei libens auditio, & observatio, &c. quæ omnia si rectè perpendantur, in paucissimis invenientur. E contra verò si ad mores hominum etiam fidelium attendas, majorem eorum partem citra timorem & scrupulum multis sese sceleribus tradere cernes. Adi nundinas, militiam, fora judicum, nautarum, & similium comercia, & ibi puerorum, adolescentium, virorum, senumque corruptissimos mores intuere, perjuria, invidias, fraudes, rixas, obscœnitates, superbiam, avaritiam, violentiam, &c. Quid in viatorum diversoriis? In leonum, & meretricum latibulis? Ubi omnes undique velut signo dato ad fas nefasque miscendum cohorti sunt. An non cum Davide possumus exclamare, *Quis dabit mihi pennas sicut columbę? Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate. Die, ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, & injustitia; & non defecit de plateis ejus usura, & dolus.* Psalm. 54.

Hanc peccantium effrænatam licentiam descripsit Ovid. 1. *Metham. post initium:*

Protinus irrupit venæ pejoris in ævum

Omne nefas. Fugere pudor,
verumque, fidesque:
In quorum subiere locum
fraudesque, dolique
Insidiæque, & vis, & amor
sceleratus habendi.

Cujus ratio est quam Hesiodus attulit, relatus à Tullio 4. *Fa-mil. Epist.* 18.

Virtutem posuere Dij sudore
parandam,
Arduus est ad eam, longusque
perarduа callis.

11 Nec adest convincens ratio, quod omnium sceleratorum Deus in mortis articulo misereatur, & efficacissima eis auxilia conferat, ut salventur, si ipsi quandiu vixerunt Dei immemores, & ad omne malum proclives fuerunt. Hujus enim tam magnæ, & excellentissimæ misericordiæ pauca nobis exempla proponuntur: unius scil. Latronis, Magdalenę, Matthæi, Sauli, & Augustini, idque ut nullus desperet, utque Spiritus Sanctus nos edoceat, omnibus quantumvis peccatoribus Deum auxilia ad salutem non denegare, paucos tamen, qui vitam perditè transegerunt, in hora mortis divinam misericordiam adipisci. De quo latè August. *in lib. de Vera Pœnit.*

12 Dices. In Scriptura exprimitur copiosissimus numerus electorum: Matth. 8. *Multi ab Oriente, & Occidente venient.* Apocal. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, &c.* Et: *Redemisti nos Deus ex omni lingua, & Tribu, & populo, & natione.*

Resp. quod licèt electi ferè innumerabiles sint, tamen si cum damnatis conferantur, pauci sunt. Quę ex Apocal. adducuntur, explicantur à D. Thoma ibi, per hoc quod præpositio *ex* delectum quemdam, & seggregationem paucorum ex multis, denotat. Non enim dicit redemisse omnem tribum, populum, &c. sed ex omni tribu, &c. id est, quosdam ex Judæis, quosdam ex Gentilibus, Latinis, & Græcis; quosdam ex masculis, quosdam ex Asia, quosdam ex Europa, &c. quod quidem multitudinem reproborum, prę selectis, superiorem esse demonstrat.

13 Dices 2. ex Damasceno, qui *lib. 3. Fid. Orthod.* virtutes esse nobis naturales affirmat; unde D. Thom. 1. 2. *quæst.* 71. *art.* 2. vitia esse contra hominis naturam defendit: sed quæ secundùm naturam sunt, in pluribus reperiuntur; quæ verò contra naturam in paucioribus: ergo.

Resp. 1. ex D. Thom. *num.* 6. laud. 2. quia bona sensibilia sunt nobis magis nota, & ideò fortiùs movent, & retardant: afferunt enim secum voluptatem, & delitias, bona verò honesta in longa futura sæcula mer-

mercedem pollicentur. 3. quia virtutibus amaritudo est permixta, vitia verò sunt voluptate condita, & illa offensi, hac verò illecti, & deliniti, ferunetur in præceps, ac bonorum specie falsi, mala pro bonis amplectuntur. Propterea tam multi sunt, qui à sensibilibus rapiantur; pauci verò qui ad virtutis cacumina conscendant, & excellentissimum beatitudinis finem assequantur.

14 Dices ex D. Greg. *Superna illa civitas ex hominibus & Angelis constat, ad quam tanti conscendunt hominum, quanti illic remanserunt Angelorum. Hom.* 34. *in Evang.* sed plures sunt, qui remanserunt, quàm qui ceciderunt; cùm solum tertia pars ceciderit, ut constat ex Apocal. 12. ergo cùm aliàs tot creati sint homines, quot Angeli, juxta illud Deuter. 32. *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel*: ubi Septuaginta vertunt: *Constituit terminos Gentium juxta numerum Angelorum Dei*, plures sunt qui salvantur, quàm qui dammantur.

15 Resp. quòd hìc versio Septuaginta non est litteralis de Angelis Dei, sed Angeli hìc vocantur filij Israel, unde ut testatur Origenes nonnulla exemplaria septuaginta Interpretum habent *filiorum Israel*, ut vulgata, quę genuinum sensum habet, & ita habet Hebraica, & Chaldaica versio, item Aquila, Simmacus, Vatablus, Oleaster, & Cajetanus. Sensus ergo textûs est, quod quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam in Babel, constituit terminos populorum terræ Chanaam, juxta numerum filiorum Israel; id est, tantam terræ planitiem dedit septem gentibus terræ Chanaam, Amorreis, Cæteis, & Hæteis, &c. quæ numero filiorum Israel sufficeret. In quo apparet Dei cura erga populum suum nondum natum; cui jam commodam habitationem parabat. Hic est sensus litteralis, alter D. Gregorij est anagogicus.

Unde si illa sententia esset vera posset stare cum nostra conclusione, supposito quod plures essent homines, quàm Angeli, cum hoc enim non pugnat laudatus textus. Vel loquitur hyperbolicè, ut dicit Gloss. Interlin. & Hugo *de Textu Deuteronomij*. Et constat hoc, quia hæc auctoritas debet referri cum allata ex *Hom.* 19. Vel anagogicè, ut in amore supernorum audientes inflammaret, ait enim quod homines similis conversationis cum Angelis in eorum sortem deputabuntur: sed nomen sortis debet restringi ad paucos, sortes enim inter multos mittuntur, sed paucissimis, vel super paucos cadunt. Unde

opor-

oportet auctoritatem distinguere, sic: *quanti illic remanserunt Angelorum* custodum eorum qui salvantur, concedo: *Angelorum beatorum*, nego.

§. III.

DE SIGNIS PRÆDESTINATIONIS.

1 QUamvis *prædestinatio nostra non in nobis facta sit, sed in occulto apud Deum in ejus præscientia*, ut dicit August. *in Præfat. ad Psalm.* 150. & ideò nullam certitudinem de ipsa apud nos habere possimus, ut diximus *num.* 3. & ut habetur 9. Ecclesiastes: *Nescit homo an amore, vel odio dignus sit*: aliqua tamen signa adsunt, ex quibus prædestinationem alicujus inferre possumus, licèt tantùm conjecturaliter, & fallibiliter. In quo sensu dixit Aug. *cap.* 22. *de Dono Persev. De ipso cursu vestro bono rectoque conditore vos ad prædestinationem divinæ gratiæ pertinere.* Et D. Petrus 2. *cap.* 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Quia mediis illis exequenda est prædestinatio, & non aliter adimplenda est ejus certitudo.

2 Signa autem quæ communiter exponuntur alia sunt remota, & indifferentia, ut nasci in gremio Ecclesiæ, ex parentibus catholicis, &c. alia sunt magis proxima, & specialia, ut scil. *quando quis invenit se taliter paratum, & dispositum, ut nullo modo propter aliquod temporale velit aliquid facere contra Christum*; tunc enim nihil prohibet nos scire per quamdam conjecturam, quod in charitate sumus, ut docet D. Thom. *lect.* 2. *sup. cap.* 13. 2. *ad Cor.* ad illa verba: *Vos metipsos tentate, si estis in fide; ipsi vos probate.* Et allegat illa verba ex *Epist.* 1. *Joann.* 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habeamus ad Deum.*

3 Aliud signum est candor spiritûs, & conscientiæ puritas, *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei*, ut dicitur Rom. 8. E contra, *Cum sit timida nequitia dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva perturbata conscientia*, ut dicitur Sap. 17. *Aliud* est ardentissima in Deum charitas, & amor proximi, qua agimur, ut opera virtutum agamus, *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, ut dicitur Rom. 8. Et 1. Joann. *cap.* 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus.* E contra odium Dei, & proximi, & exercitium vitiorum est signum reprobationis

nis, juxta illud Joan. ibid. *Omnis qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.* Et Prov. 8. *Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.*

4 Aliud signum est dilectio inimicorum, juxta illud, *Diligite inimicos vestros, ut sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* Item tranquillo animo pro Christo tollerare quascumque tribulationes, & afflictiones, juxta illud Lucæ 16. *Memento quod recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Et Matth. 5. *Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, &c.* ubi etiam octo signa enumerantur ex octo beatitudinibus. Sed præcipuè commendatur misericordia in pauperes: misericordibus enim divina misericordia promittitur.

5 Item prædestinationis signum est renuntiare mundo, & pompis ejus; juxta illud Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* E contra reprobationis signum est, mundi pompis delectari, vanitatibus, illecebrisque prohibitis libenter detineri; Religiones, & Christi servos despicere, & irridere, juxta illud: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum estimabamus insaniam, & finem illorum sine honore... lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignorabimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia? Transierunt omnia illa tamquam umbra. Ergo erravimus à via veritatis.* Sap. 5. Unde meritò D. Greg. *lib.* 14. *Moral.* ait, *Apertè cognoscimus, quod evidentissimum reproborum signum superbia est, & contra humilitas electorum.* Sui igitur, ac mundi contemptus, affectus ad res devotas, diuturna cum Deo in oratione familiaritas speciale prædestinationis signum est.

6 Aliud est libenter audire verbum Dei, & delectari sermonibus spiritualibus, & confabulationibus de patria cælesti; juxta illud, *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Supra quæ Bernardus *Serm.* 1. *in Septuages.* inquit: *Certitudinem utique non habemus, an de numero simus electorum, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur. Propter hoc data sunt signa quædam, & indicia manifesta salutis, ut indubitabile sit, eum de numero esse elec-*

electorum, in quo ea signa permanserint. Porrò inter ea, quæ fiduciam præstant, & materiam spei, unum illud maximum est, de quo nunc cœpimus loqui, qui ex Deo est, verba Dei audit.

7 Aliud signum est singularis erga SS. Dei genitricem devotio, juxta illud Prov. 8. *Qui me invenerit, inveniet vitam.* Plura alia signa referri solent, de quibus latè Recupitus, & Vivaldus in opere regali. Aliqui etiam addunt, delectari & libenter audire musicam, & cantica spiritualia, quia *dœmon, qui* (ut verbis utar S. Thom. à Villanova *in Conc. de Visit. Virg.*) *deridet vibrantem hastam, durissimos maleos pro nihilo pendit, ad citharę sonitum tremefactus recedit, & quem nulla vis superat, superat harmonia.* Unde & Ecclesiæ usus habet quod Deum in hymnis, & canticis colaudemus, sicut instituit Ambrosius in Ecclesia Mediolanensi, & August. 10. *Confess. cap.* 33. approbat talem usum, dicens, *Adducor cantandi consuetudinem approbari in Ecclesia, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat.* Pro quo videndus est D. Thom. 2. 2. *quæst.* 91. *art.* 2. Ex quo constat devotos cantus Deo esse gratissimos, quod etiam testatur Ovid. 1. *Trist. Exorant magnos carmina sæpe Deos.* Videatur etiam D. Basil. *in Proœm. Psalm.* & N. Mendoza *in Quodlib. quæst.* 3. *positiva*, & Chrisost. *sup. Psalm.* 41. ubi latè de musicæ vi, & laudibus tractat. dicens: *Nihil animam æquè erigit, & allatam quodammodò efficit, &... amore sapientię afficit, & ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, perficit, ut versus modulatus, & divinum canticum numero compositum.* Et post plura id genus spectantia inquit: *Ex psalmis spiritualibus lucri quidem plurimum, maxima autem utilitas, insignisque sanctificatio, & omnis philosophiæ occasio processerit, cum & verba animam excipient, & S. Spiritus incanentis animam celeriter advolet.*

QUÆSTIO V.

DE REPROBATIONE.

CUm ad providentiam pertineat aliquem defectum in rebus permittere; & per illam homines in vitam æternam ordinentur, illius etiam muneris est, ut permittat aliquos ab isto fine deficere: & hoc dicitur reprobare. Postquam ergo egimus de providentia per quam homines efficaciter eliguntur ad gloriam, restat agere de reprobatione ipsi oppositа, quia contrariorum eadem est ratio, & disciplina. Per reprobationem au-

autem non intelligimus præscientiam tantùm, sed *providentiam de his, qui à gloria excluduntur cum voluntate permittendi culpam, & inferendi damnationis pœnam.*

ARTICULUS I.

QUÆNAM SIT CAUSA reprobationis hominum?

§. I.

PRÆNOTANTUR ALIQUA, & sent. referuntur.

1 REprobatio alia est *negativa*, seu voluntas de contradictorio, secundùm quam vult Deus aliquem non salvare; non quia constitat in pura negatione actus, ut aliqui volunt, cùm voluntas Dei nequeat manere suspensa à suo actu; sed quia ad carentiam gloriæ, ut est pura negatio beneficij indebiti, terminatur: unde quamvis negativè explicetur, revera est actus positivus, seu voluntas denegandi gloriam, ut beneficium indebitum. Alia est *positiva*, seu voluntas de contrario, secundùm quam vult aliquem damnare, & idcò dicitur *de contrario*, quia salvationi contrariè opponitur damnatio, sicut carentia salvationis illi contradictoriè opponitur; & idco prima dicitur *de contradictorio*. Reprobatio negativa solum habet terminum *à quo*, scil. exclusionem à gloria: positiva habet etiam terminum *ad quem* scil. deputationem ad pœnam. De utraque agimus in præsenti.

2 Prima sententia docet, utramque reprobationem supponere præscientiam peccatorum tamquam causam motivam. Pro hac stant, qui tenent, electionem ad gloriam supponere absolutam prævisionem meritorum. Secunda sententia docet, reprobationem negativam, seu exclusionem à gloria ut à beneficio indebito, esse ante prævisionem demeriti personalis; reprobationem verò positivam à peccatorum præscientia, ut à causa motiva, pendere. Ita communiter contra Palanco q. 13. Thomistæ, & Augustiniani. Sed est aliquod dissidium loquendo de demerito peccati originalis: aliqui enim docent, reprobationem negativam fuisse ante peccatum originale. Ita Paulus à Conceptione cum Salmanticensibus, & illam, ait, esse communem Theologorum. Joan. à S. Thoma docet, quod licet peccatum originale sit sufficiens causa reprobationis, de facto tamen non est motivum, aut ratio adæquata reprobationis omnium reproborum. Alij docent, peccatum originale esse motivum intentionis efficacis

excludendi à gloria. Pro hac sent. stant Zumel, Lemos, Gonet, Godoy, Bancel, & alij ex Thomistis, cum quibus novissimè Illust. Montalvan *hìc num.* 35. & Dominicus Perez Comeplut. *in M. S.* Ex PP. Societatis Suarez, Bellarminus, & alij. Ex nostris Fundamentalis D. Ariminensis, Argentinas, Gibbon, Puteanus, Alviz, Bernardinus, Gavardi, Manso, & Noris; apud quem S. Fulgentius, S. Prosper, & PP. Africani.

3 Sed ulteriùs est nova difficultas, an peccatum originale etiam in illis reprobis, in quibus fuit remissum, sit motivum reprobationis? Affirmat Godoy, existimans hanc fuisse Augustini sententiam, & Illust. Montalvan loquendo de reprobatione negativa, & alij cum quibus N. SS. Manso *in Opere S. Aug. sui Interpres, quæst. 6. à num.* 52. Contrarium docent Joan. à S. Thoma, Palanco, & alij ex Thomistis. Ex nostris Puteanus *hìc dub.* 3. §. *Dico* 2. Alviz *disp.* 9. *sect.* 1. *num.* 16. & alij.

4 Sed nota, reprobationem posse considerari comparativè, & absolutè: primo modo sumitur, quando præsuppositò peccato originali, quod est motivum æquale reprobationis omnium, quæritur cur unus reprobetur, non alter. Absolutè consideratur, quando quæritur, an reprobatio eorum, qui excludunt à gloria, sit propter peccatum originale, ita ut si hoc non esset, nec esset reprobatio. Non loquimur de reprobatione negativa comparativè sumpta; ratio enim quare Deus reprobat aliquos originali peccato infectos, & non alios similiter noxios, non est nisi voluntas divina, ut sæpe docet P. August. præcipue *cap.* 8. *de Dono Persev. & 9.* Et *in Supplemento contra Jul. lib.* 1. *cap.* 40. Loquimur de illa absolutè. De illa in 1. sensu ait Aug. *Epist. ad Sixtum, num.* 33. loquens de duobus parvulis, quorum unus baptizatus expirat, alter moritur sine baptismo, quod, *Nec de inscrutabilibus judiciis ejus audeant judicare, cur in una eademque causa super alium veniat misericordia ejus, super alium maneat ira ejus.* Idem habet *in Enchirid. cap.* 94. De illa in secundo sensu loquitur in testimoniis, de quibus postea. Et D. Thom. 9. *ad Rom. lect.* 4. *de Reprobat.* in utraque acceptione loquens, ait: *Circa electionem bonorum, & reprobationem malorum, duplex quæstio moveri potest. Una quidem in generali* (id est absolutè) *quare Deus velit quosdam indurare, & quorumdam misereri. Alia verò in speciali* (id est, comparativè) *quare velit hujus misereri, & hunc vel illum indurare. Et potest quidem ratio hujus quæstio-*

tionis assignari, secundæ autem quæstionis non potest assignari ratio, nisi simplex Dei voluntas.

5 Supponunt aliqui Deum, ut absolutè dominum, sine ullis demeritis creaturæ potuisse illam damnare in interitum, existimantes hoc expressè docuisse M. P. Augustinum; nam in *lib. de Prædest. & Grat. cap. ult.* dicitur: *Si humanum genus, quod creatum primitùs constat ex nihilo, non cum debito mortis, & peccati origine nascerentur, & tamen ex eis creator omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet interitum: quis omnipotenti creatori dicere, quare fecisti sic?* Sed liber ille non est opus August. sed incerti, vel suspecti Auctoris, ut notant Theologi Lovanienses: unde *in Appendice tom. 7.* collocatur. Imò Theologi Lovanienses *in margine istius sententiæ* hac illam notant censura: *Dura sententia, & aliena ab August. doctrina*; ipse enim constanter docet, non posse Deum *sine demeritis damnare, quia justus est*: nec habet Deus dominium, ut injustus sit. Aliud est Deum juste, & absque querela creaturæ, posse illam etiam innoxiam originali labe, in regnum cælorum non admittere; & aliud est, posse illam sine ullis demeritis positivè reprobare. Primum est verum: secundum non videtur congruere divinæ misericordiæ, atque justitiæ. Unde Aug. ait *Epist. 106. ante med. Hæc massa si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam.* Et infra: *Quemquam immeritum, & nulli obnoxium peccato, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.*

Si dicas, damnationem illam non habere rationem pœnæ, sed tantum doloris, quem sustinerent homines ob divinum beneplacitum, *contra est* 1. quia admissa possibilitate hujus reprobationis positivæ absque ullo demerito, instantur ex hoc ipso quæcumque contra AA. propugnantes reprobationem positivam ante prævisionem demeritorum, adducuntur: & magis dura apparet hæc positio, quàm illorum: docent enim damnationem non esse futuram absque peccati permissione. Si autem eo modo defendas hanc positionem, quia sub Dei dominio esset etiam in illa providentia permittere peccatum propter quod creatura damnaretur (in quo sensu statuit hanc suppositionem Illust. Montalvan *hìc* §. 4.) tunc damnatio non doloris tantùm, sed pœnæ ratione gauderet.

Si non exequenda erat sup-

posita peccati permissione, tunc substantia illius creaturæ esset effectus ipsius reprobationis, cum crearetur ex intentione damnationis illius, quod est Calvini error: & esset vas factum in contumeliam, vel formatum ad illudendum ei, juxta illud Psalm. 103. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* Ac per consequens esset natura mala, ut dicebant Manichæi; ut enim hoc rejiciat Aug. recurrit ad prævisionem peccati creaturæ, ut videre est 11. *de Civit. Dei, cap.* 15. & 17. Rursus. Damnatio non est bona per se simpliciter, sed bonum occasionatum, & ideò non est per se volibilis: ergo non potest Deus in æternum interitum deputare sine prævisione occasionis, vel peccati. Hinc supponimus, non dari in Deo voluntatem damnationis ante prævisionem alicujus peccati.

§. II.

DUOBUS CONCLUSIONIbus declaratur nostra sententia.

6 Dicimus 1. *Motivum reprobationis hominum fuisse originale peccatum.* Prob. ex August. *Epist. ad Sixtum* ferè per totam, sed præcipuè *num.* 34. dicente: *Quid diligebat in Jacob, antequam natus feciſſet aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? Et quid oderat in Esau, antequam natus feciſſet aliquid mali, NISI ORIGINALE PECCATUM?* Et Epist. 106. in med. *Ista massa quoniam tota mortis est, cùm per unum hominem peccatum intravit in mundum... misericordia ex illa fit aliud vas in honorem, judicio autem in contumeliam.* Et lib. 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 7. *Bonum*, inquit, *immeritò & gratis datur, quia ex eadem massa est, cui non datur; malum verò meritò, & meritum redditur, quia in massa perditionis malum malo non malè redditur; & ei cui redditur malum est, quia supplicium ejus est; ei verò à quo redditur bonum est, quia rectè factum ejus est.* Ex his, & aliis pluribus, quæ omittimus brevitatis causa constat, & quod peccatum originale est motivum sufficiens reprobationis omnium, & quod est motivum de facto saltem respectu aliquorum.

7 Idem docet D. Thom. *quæst. 6. de Verit. art. 2. ad 9. Ratio*, inquit, *reprobationis est in hominibus peccatum originale, ut dicit Aug. vel in futuro per hoc ipsum quod est non habere debitum ad hoc quod eis gratia conferatur: rationabiliter autem possum velle denegare aliquid alicui, quod sibi non de-*

debetur. Et 9. ad Rom. lect. 3. *Cum omnes homines propter peccatum primi parentis damnationi nascantur obnoxij, quos Deus per suam gratiam liberat, sola misericordia liberat: & sic quibusdam est misericors quos liberat; quibusdam autem justus quos non liberat: neutris autem iniquus.* Idem habet lect. 4.

8 Dicimus 2. *Reprobos, quibus peccatum originale numquam dimittitur, excludi à gloria, vel propter solum originale, si per ætatem parvulam moriantur; vel etiam propter personalia, si in adulta ætate decedant.* Quibus verò *peccatum originale dimittitur excludi à regno, quia beneficium indebitum, sed non reprobari positivè ante peccatorum actualium prævisionem. Unde in illis, quibus in tempore originale dimittitur, hoc non fuit motivum, nec reprobationis negativæ, nec positivæ.* Pro quo nota, signa in mente divina ita esse distribuenda. In 1. signo vidit Deus hominem cum sua posteritate lapsum in peccatum, ita ut per illud tota natura humana evaserit massa perditionis, à quâ seclusa Redemptoris gratia numquam suis viribus potuisset resurgere, & in qua summi Numinis justitia universum genus humanum justè posset relinquere: ait enim Aug. *in Enchirid. cap. 99. Universum genus humanum tam justo judicio divino in apostatica radice damnatum, ut etiam si nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare justitiam; & qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione justissima derelictis, ostenderetur quid meruisset universa conspersio.*

In 2. signo decrevit adhibere remedium per Christi incarnationem. In 3. ex hominibus perditis in eadem massa, quibusdam voluit efficaciter dare gloriam, eos totaliter à massa perditionis discernendo; alios verò excludere à regno, relinquens eos totaliter in massa perditionis numquam remittendo originale, & alios per baptismum regenerandos à gloria excludere, quia ipsis indebita, ut miris, & variis modis attributa misericordiæ, & justitiæ manifestarentur. Hinc etiam permisit adultos in peccata actualia prolabi, & in eis in finem usque perseverare: & ex prævisione horum adultos regeneratos in æternum interitum deputavit, seu positivè reprobavit.

9 Prima pars concluſ. constat ex testimoniis adductis ex Aug. & D. Thom. pro 1. assert. illa enim ad minus probant de iis, qui cum originali decedunt. Et expressè deducitur ex *Epist.* 106. post medium, ubi August. loquente de parvulis sine baptis-

tiſmo decedentibus, pro motivo ſempiternæ pœnæ aſsignat originale dicens: *Profecto reſtat, ut quia ipſi non egerunt aliquid boni, aut mali, IDEO mortis eorum juſta ſit pœna, QUIA in illo moriuntur, in quo omnes peccaverunt.* Et *de Corrept. & Grat. cap.* 13. in fine ait de reprobis, ſive parvulis ſive adultis, quibus originale non dimittitur, quod *pro meritis juſtiſsimè judicantur*; & aſsignat hoc motivum, *Aut enim jacent ſub peccato, quod originaliter generatione traxerunt, & cum illo hereditario debito hinc exeunt, quod non eſt regeneratione dimiſſum, aut per liberum arbitrium alia inſuper addiderunt... omnes mali, & pro ipſa diverſitate diverſis ſuppliciis judicandi.*

10 Et nota, quod reprobatio reſpectu horum non eſt purè negativa, ſed ſimul poſitiva, licèt negativè explicetur, in quantum includit voluntatem de contradictorio, ſeu de excluſione à gloria: ſed quia hæc excluſio eſt in pœnam peccati originalis, cui immediatè debetur privatio viſionis beatæ; ideò eſt ſimul poſitiva: reſpectu enim horum, quibus originale non dimittitur, originale eſt in ſigno non ſolum ſufficienti ut moveat, ſed in ſigno, quo de facto moveat; cum enim præſcientia illius abſoluta præcedat, & velit Deus de facto, illos quia infectos originali in maſſa perditionis relinquere; eos non admittere ad gloriam eſt in pœnam originalis. Unde 8. *de Dono Perſev.* ait Aug. *Qui non liberatur* (en reprobatio negativè explicata) *debitum agnoſcat*, & D. Thom. *Quibuſdam eſt juſtus, quos non liberat.* Ergo ex juſtitia, & debito demeriti ipſorum non liberantur; ac per conſequens ad hanc non liberationem ſupponitur de facto demeritum: ergo de facto reſpectu illorum, quibus Deus non vult dimittere originale, non datur reprobatio purè negativa; hæc enim non ſupponit culpam ut moventem, aliàs eſſet poſitiva, nec eſt *ut debitum agnoſcant*, ſed ut noſcant indebitum: ergo ſi juxta Auguſt. non electi debent debitum proprij demeriti agnoſcere, ſignum eſt eorum demeritum movere Deum, ut eos excludat à regno: & ut *pro meritis juſtiſsimè judicentur.* Unde in illis originale facit, & ad negativam, & ad poſitivam reprobationem.

11 Prob. 2. pars ex Conc. Trid. *Seſſ.* 5. *in Decreto Peccat. Orig.* dicente: *In renatis nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis iis qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem: qui... immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti ef-*

effecti sunt, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur : quę desumpsit ex Apost. ad Rom. 8. *vers.* 1. & ex Aug. *lib.* 1. *ad Bonifac. cap.* 10. *circa fin.* Ex quibus. Si peccatum originale est motivum reprobationis negativæ etiam in renatis, illud erit aliquid damnationis, & quod eos ab ingressu cæli remoretur : sed nihil tale remanet in renatis, juxta Trid. ergo respectu illorum, quos Deus ab æterno voluit ab originali mundare, originale non est motivum exclusionis à regno. Prob. maj. Voluntas excludendi à regno est rationalis, & immutabilis : ergo semper debet manere ejus motivum, aliàs non erit rationalis. Sed quod est motivum exclusionis à gloria, est aliquid damnationis, & tale ut homines ab ingressu cæli remoretur, ut patet : ergo si respectu renatorum originale est motivum exclusionis à regno, aliquid remanet in illis damnationis, quod eos ab ingressu cæli remoretur.

12 Dices, quod ut maneat motivum intentionis reprobativæ, non requiritur manere peccatum originale quoad secundum esse, vel pro tempore sequenti ad receptionem baptismatis, sed sufficit peccatum originale fuisse ; & hoc primum esse peccati, seu *fuisse* non tollitur per baptismum, sed manet pro signo intentionis in divina præscientia : & tantum esset aliquid damnationis, si manet quoad secundum esse ; cùm autem illud tollat baptismus, nihil damnationis remanet in renatis. *Sed contra*, quia peccatum ut movens pro signo intentionis est aliquid damnationis, & tale ut homines ab ingressu cæli remoretur ; cùm sit id propter quod positivè excluduntur ab ingressu cælorum: ergo si originale etiam in renatis remanet quoad primum sui esse, seu ut est motivum intentionis, aliquid damnationis remanet in renatis, quod eos ab ingressu cæli remoretur. 2. Juxta adversarios baptismus licèt destruat materialiter motivum intentionis, in quantum destruit secundum esse peccati, non destruit formaliter motivum intentionis : sed dum manet formaliter motivum decreti intentivi, manet aliquid damnationis : ergo.

13 3. Dum Deus intendit excludere hos à gloria propter peccatum originale, vel ly *propter*, prout est in signo intentionis, se tenet *ex parte actus tantum*, vel ex parte *objecti voliti* : si ex parte objecti voliti : ergo cùm motivum intentionis reprobandi semper maneat eo modo quo movebat in signo intentionis, semper dabi-

bitur ex parte objecti motivum exclusionis à gloria: ergo si hoc est originale, etiam in renatis manebit originale, ut Deum movens, ut propter illud eos non admittat ad gloriam. Si ly *propter originale* prout in signo intentionis se tenet ex parte *actus tantùm*, & non ex parte *objecti voliti*; hoc non est ad rem, quia dubium præsens est, an ex parte creaturæ detur aliqua ratio, vel causa propter quam Deus velit illam à gloria excludere, seu quam velit esse propter ostensionem suæ justitiæ: solum autem originale prout se tenens ex parte objecti voliti potest esse propter hoc.

14 Quartò. Juxta Aug. 1. *de Peccat. Merit. cap. ult.* Per baptismum id agitur, ut *quidquid mali ab homine factum dictum, cogitatum est... totum aboleatur, ac velut factum non fuerit, habeatur.* Quod intelligitur tàm de personalibus, quam de originali, per baptismum enim non solùm tegitur, sed revera tollitur omnis omninò culpa, & pœna; velut si nulla fuerit. Sed si originale non fuisset, nec esset motivum reprobationis ex parte creaturæ: ergo in eis, quibus est remissum originale, nullum est motivum reprobationis negativè. Et sanè non apparet quomodò nulla pœna correspondeat originali remisso, & tamen in pœnam talis peccati excludantur à gloria.

15 Si dicas non excludi propter originale remissum, sed propter illud, ut erat in signo intentionis, in quo non intelligitur dimissum; & solum permanere, & movere, ut erat pro signo intentionis: *contra est*, quia quidquid habebat pro signo intentionis totum remissum est quoad culpam, & pœnam: ergo nullatenus potest puniri per exclusionem à gloria illud primum esse peccati. Patet hoc in eo qui perpetravit scelus, quod meretur exilium, & pœnam capitis; si enim illi remittatur pœna capitis, & tamen mulctetur exilio; illi non est remissum scelus quoad culpam, & pœnam, nec perfectè in gratiam principis fuit admissus: ergo si verè pœnitenti, vel ex alterius precibus & meritis, totaliter remittatur delictum, nullatenus debet propter illud excludi à regno, aliàs non illi omnis pœna dimittitur, nec voluntas de indulgentia est perfecta & totalis: ergo in renatis nihil remanet, quod sit motivum exclusionis à regno; ac per consequens in illis peccatum originale non est motivum reprobationis positivæ, aut negativæ.

16 Respondent alij, in renatis remanere peccatum originale, ut est infectio naturæ, sed non ut est infectio personæ; & so-

solum sub prima acceptione est causa motiva reprobationis. Si maneret ut est infectio personæ, remaneret aliquid damnationis, secus autem manente tantum ut infectione naturæ, ut patet in fomite, seu concupiscentia, quæ remanet etiam in baptizatis, quia effectus infectionis naturę: & tamen non est aliquid damnationis. *Sed contra* est, quia id quod dicitur de concupiscentia nihil juvat, quia nullus damnatur propter concupiscentiam, cum illa non sit peccatum, ut diffinit Trid. nec noceat non consentientibus, ut ibid. ex Aug. *lib. 2. de Peccat. Meritis, cap. 4.* diffinitur: noceret autem maximè, si ratione illius hæc persona privaretur gloria, ut patet: sed relinquitur *ad agonem*, ut qui legitimè certaverint, coronentur, non tamquam pœna originalis dimissi, sed ad exercitium, & ut sit occasio virtutis, & meriti.

17 2. Licèt baptismus non tollat vitia, seu defectus, & pœnalitates, quæ ex principio naturæ causantur, ut mors, & alia hujusmodi; *per baptismum tamen absolvitur puer baptizatus à reatu mortis æternæ, quæ est carentia visionis divinæ*, ut docet D. Th. *in 4. dist. 46. quæst. 2. art. 2. quæst. 1. ad 3.* Ergo per baptismum liberatur à peccato, ut est infectio personæ; sed liberatur *à reatu mortis æternæ, quę est carentia visionis divinæ*: ergo talis carentia, quam importat reprobatio negativa, non debetur originali, nisi ut est infectio personæ; quia per vos ab illo sub hac acceptione liberatur: ergo peccatum originale, ut est infectio naturæ, non est motivum exclusionis à visione divina, sed ut infectio personæ. Ergo si hoc modo non subsistit, non datur in renatis motivum reprobationis negativæ. Sed quod in illis non datur est peccatum originale: ergo hoc in illis non est motivum reprobationis. *Rursus*, si in renatis manet originale, ut est infectio naturæ, & sic est motivum, ut excludantur à regno; aliquid manet in illis, quod *eos ab ingressu cæli remoretur*: quis enim neget remorari ab ingressu cæli id per quod aliquis excluditur à regno cælorum? ergo hæc solutio contrariatur Concilio.

18 Ex Augustino 8. *de Corrept. & Grat. Si à me quæratur*, inquit, *cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam, qua christiane viverent, dilectionem dederit* (quibus utique originale remissum est) *me ignorare respondeo.* Et ideò frequenter recurrit ad illud Apost. *O altitudo divitiarum, &c.* Et infra: *Mirandum est quidem, multumque mirandum, quod filiis suis, quibusdam Deus quos re-*

regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, donat perseverantiam. Et post pauca: *Ut non immorer in baptismate parvulorum... cur illi parvulo detur, illi non detur, cum sit utrumque in potestate Dei: ut ergo hæc taceam, vel relinquam, illos ipsos intueantur, de quibus agitur. De his enim differimus, qui perseverantiam bonitatis non habent, sed ex bono in malum deficiente bona voluntate moriuntur. Respondeant, si possunt, cur illos Deus, cum fideliter, & piè viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum... respondeant qui nos irrident, quando in rebus talibus exclamamus, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.*

Hic erat locus ut Augustin. assignaret pro motivo reprobationis, vel denegationis perseverantiæ finalis, demeritum originalis peccati: ad hoc autem non recurrit, quia loquitur de regeneratis in Christo, fideliter & piè viventibus, in quibus nihil est damnationis: ergo cùm se ignorare, respondeat, motivum, cur illos Deus ad regnum cælorum non perducit, eos rapiens de vitæ hujus periculis, cùm fideliter, & piè viverent; & cum ad illud Apost. confugiat, *O altitudo, &c. Quàm inscrutabilia, &c.* signum est, non sensisse, originale esse motivum exclusionis à regno in eis, in quibus est remissum, sed placitum divinæ voluntatis, eos excludentis à regno, quia beneficium indebitum; positivè verò reprobantis ex prævisione peccatorum actualium.

19 Idem docet D. Thom. *verbis dat. num.* 7. cùm enim docuisset peccatum originale esse motivum reprobationis, postea subdit: *Vel in futuro per hoc ipsum, quod est non habere debitum*; quasi diceret, In eis, quibus peccatum originale non dimittitur, motivum reprobationis est ipsum originale: respectu verò illorum, qui de futuro purgandi sunt ab originali, motivum exclusionis à regno est ipsa ratio indebiti: *rationabiliter* enim *possum velle denegare alicui, quod sibi non debetur.* Sed gloria nulli debetur prout consideratur in signo ad prædestinationem, vel reprobationem: ergo hæc voluntas reprobandi est rationalis, quin habeat pro motivo ipsum originale. *Conf. ex* 1. *ad Annib. dist.* 41. *art.* 3. *in corp.* ubi dicitur, quod *voluntas de contradictorio, secundum quod vult aliquem non salvare... non requirit aliquam rationem ex parte voliti; cùm salus gloriæ non sit debitum humanæ naturæ.*

Non

Non enim requiritur ratio, quare non dem alicui, cui dare non debeo.

Ex quibus. In Deo absque aliquo inconvenienti adstruitur, & voluntas de contrario respectu gloriæ, & voluntas de contradictorio: sed voluntas de contradictorio de nullo alio potest verificari, nisi de illo respectu cujus Deus habuit voluntatem condonandi originale: ergo ille, cui est remissum, excluditur à gloria præcisè tamquam à beneficio indebito. Prob. min. Respectu illorum quibus non voluit originale remittere, datur voluntas de contrario; & originale est motivum reprobationis positivæ, in quantum illa exclusio à gloria est in pœnam talis demeriti: Ergo respectu horum non est voluntas de contradictorio, quia hæc non requirit rationem demeritoriam ex parte voliti, sed carentiam debiti. Ergo hæc verificatur unicè de illis quibus, &c. Dicendum est ergo, reprobos, quibus originale non dimittitur, excludi à gloria in pœnam talis peccati: alios verò, quibus Deus vult originale remittere, & per consequens ad illius demeritum non attendere, excludi à gloria tamquàm à beneficio indebito: aliter enim non potest Dei justitia in negatione gloriæ, quia tantùm indebitè, manifestari.

20 Aliâ ratione prob. destruendo præcipuum adversi fund. Ideò quibus originale dimittitur, non excluderentur à gloria, quia tantùm beneficium indebitum, quia vi voluntatis antecedentis, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, & vi elevationis ad ordinem supernaturalem, gloria est debita creaturæ ante prævisionem demeriti: sed hæc ratio nulla est: ergo. Prob. min. Tùm quia Deus etiam suppositâ voluntate antecedenti non tenetur velle quodcumque bonum omnibus creaturis, imò nec de facto vult, ut docet D. Thom. *hìc art.* 3. *ad* 1. ubi ait, *quòd Deus omnes homines diligit, & etiam omnes creaturas, in quantùm omnibus vult aliquod bonum, non tamen quodcumque bonum vult omnibus.* Vult quidem Deus omnibus hominibus aliquod bonum vi voluntatis antecedentis, scil. salutem prout in mediis, seu salutem non deficere ex defectu mediorum, & ex hoc omnibus confert auxilia sufficientia, per quæ elevantur ad ordinem supernaturalem.

21 Sed est aliud bonum excellentissimum, scil. ipsa *gloria immediate in se ipsa*, & hoc bonum sic, non vult Deus formaliter, & immediate omnibus hominibus, ut diximus, *tract. 6. quæst. 3. art. 3.* Nunc sic. Deus non vult omnibus for-

formaliter vitam æternam immediatè in seipsa, etiam suppositâ elevatione ad ordinem supernaturalem: *sed in quantùm quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna, dicitur eos odio habere, vel reprobare*, ut ait D. Thom. ibid. ergo suppositâ voluntate antecedenti potest Deus non velle aliquibus gloriam, *quin moveatur ab aliquo demerito.* Patet conseq. quia voluntas, quæ movetur à demerito, vel ad quam datur ratio de facto movens ex parte creaturę, est voluntas de positiva damnatione, non autem actus, quo *non vult hoc bonum* creaturæ: igitur ad reprobationem negativam non requiritur, ut voluntas moveatur à demerito, sed sufficit quod bonum, quod non vult, alteri sit indebitum.

22 Diximus, *quin moveatur ab aliquo demerito*, quia non defendimus, reprobationem negativam esse ante prævisionem originalis demeriti, cùm sit post signum prævisionis illius, ut diximus *num.* 8. sed dicimus, quod respectu eorum, quibus Deus voluit ab æterno originale remittere, istud non fuit ratio Deum de facto movens, ut eos propter illud à gloria excluderet, licèt fuerit ratio sufficiens, si illud non voluisset remittere. Unde post talis peccati prævisionem ex ratione beneficij indebiti voluit Deus illos à gloria excludere, non ex motivo originalis.

23 Hinc non faciunt contra nos inconvenientia, quæ contra reprobationem negativam ex ratione beneficij indebiti inferunt adversarij, dicentes, ex illa sequi 1. perditionem creaturæ non esse ex creatura, sed ex Deo, si exclusio à gloria, quæ est maxima hominum perditio, non esset ex vi demeriti creaturæ prævisi. 2. Quod Deus priùs deseruisset hominem, quàm ab ipso deseretur, si ante prævisum demeritum, vel non ex vi illius illum excluderet à beatitudine, quod est ipsum deserere. Quod odio haberet hominem non peccatorem, si ante prævisum peccatum vellet ipsum à gloria excludere, quia hoc est velle ipsi malum, quod est ipsum odio habere.

24 Hæc non sunt contra nos, tum quia supponimus prævisionem peccati antecedere reprobationem etiam negativam: unde videt Deus creaturam deseruisse priùs eum, & ex illa esse perditionem ipsius. Et licèt nolit ad vim demeritoriam talis peccati attendere, ut ex motivo illius omnes reprobos excludat à gloria, hoc non probat ex Deo esse perditionem creaturæ, sed tantum nolle Deum, originale punire per illam

illam pœnam exclusionis à regno, sed hoc facit ex alio titulo, ut scil. appareat beneficium illud esse gratuitum, & indebitum, utque reluceat misericordia in condonatione originalis, Dominium, & judicium justum in non concessione doni indebiti, juxta illud *Non facio tibi injuriam: tolle quod tuum est.*

Præterquamquod textus ille, *Perditio tua ex te*, debet intelligi perditio positiva, quæ creaturæ competit ratione culpæ, vel de exclusione à regno per modum pœnæ; non de perditione negativa, seu non salvatione, præcipuè loquendo de omnibus reprobis, quia hæc non requirit demeritum ex parte creaturæ, ut dixi ex D. Thom. Et similiter resp. ad 3. quia ad reprobationem negativam tantum competit odio habere negativè, hoc est, non velle huic hoc bonum, non verò positivè, hoc est, displicere; quia in hoc sensu tantum peccatores in quantum tales Deus odio habet. Quod *Deus neminem deserit, nisi prius deseratur*, intelligendum est de desertione per subtractionem gratiæ sanctificantis, vel efficacis, vel proximè sufficientis, ut diximus *hic quæst.* 11. Quamvis hęc, & alia adversf. argumenta instentur in prima permissione peccati, quæ eodem modo dici posset maxima perditio, præcipue si peccatum numquam sit remittendum, ut contingit in dœmonibus; & tamen ad primi peccati permissionem nullum præcedit demeritum ex parte creaturæ; nec ex hoc dicitur, ex Deo esse perditionem creaturæ, aut illum odio habere non peccatorem.

25 Secundò prob. min. princip. ex *num.* 20. quia si gloria esset debita creaturæ sufficienter elevatæ ad ordinem supernaturalem, electio efficax aliquorum ad gloriam non esset purè gratuita, sed ex debito, quod non est dicendum. Et similiter non eligere omnes Angelos ad gloriam ante prævisum peccatum esset reprobatio negativa injusta. Et à fortiori injusta esset permissio peccati ipsorum, cum ante talem permissionem non possit Deus prævidere peccatum, vi cujus tolleretur debitum; & jus quod habebant ad gloriam. Sicut ergo Deus pro suo supremo dominio, & ad ostensionem suę justitiæ, seu ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, justè potest ante prævisionem demeriti permissionem peccati numquam remittendi decernere; cur non justè etiam potuit aliquos à regno cælorum excludere, quin ad hoc aliquo ipsorum demerito moveretur?

26 Confirm. Justè potest Deus etiam suppositâ voluntate gene-

ra-

rali de salute omnium negare gratiam efficacem alicui; aliàs semel justificatus numquàm posset peccare: ergo gratia efficax non est debita creaturæ. Sed nequit finis esse debitus, quin sint debita media ad illum necessariò requisita: ergo finis gloriæ, qui sine gratia efficaci consequi non potest, non est debitus creaturæ. Sed nota, quod hæc ratio tantum probat de permissione primi peccati, quæ in solum divinum beneplacitum referenda est, in quantum melius judicavit Deus de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere. Et Augentius probat de magno illo perseverantiæ dono, quod est purè gratuitum: & nulli potest esse debita gloria, cui perseverantia in bono non debetur.

27 Quod peccatum originale non sit motivum reprobationis positivæ in eis, quibus dimittitur ex eo constat, quia causa reprobationis positivæ numquam separatur à reprobo, aliàs deputaretur ad pœnam, quin daretur causa ex parte illius. 2. Id propter quod aliquis reprobatur positive, est id propter quod punitur in æternum: nullus renatus fonte baptismatis punitur propter originale, quod fuit, sed propter personalia, quæ commisit: ergo. Hinc prob. ult. pars conclus.

QUIBUS ORIGINALE DIMITTITUR non reprobantur positivè ante peccatorum actualium prævisionem.

28 Prob. ex *lib. 6. Hypognosticon, cap. 6.* ubi dicitur: *Tenenda est inconcusè hujus disputationis regula, quæ divinis testimoniis claruit: peccatores in malis propriis antequam essent in mundo præscitos esse tantùm, non prædestinatos; pœnam autem eis esse prædestinatam secundùm quod præsciti sunt. Parvulos quoque non renatos ex aqua, & Spiritu Sancto, prædestinatæ pœnę esse obnoxios, qui præsciti sunt non propriis voluntatibus, quorum nulla, vel bonę, vel malæ sunt, nisi tantum in Adæ peccato, quod traxerunt nascentes, & in hoc manentes, solverunt tempus vitæ præsentis.* Et nota, quod licet *Hypognosticon* non ab omnibus dicatur Augustini opus, sed ab aliquibus tribuatur Mario Mercatori, id tamen pro comperto habetur, *Cum Augustini scriptis doctrina convenire*, ut testatur eruditus Dupin *tom. 3. pag. 494.* Unde docet tribuendum esse Auctori qui Agustini opinionis erat.

Ex hac ergo Augustinjana doctrina sic prob. Secundùm quod peccatores sunt præsciti in malis propriis, sic sunt reprobati

probati positivè, seu sic est eis pœna prædestinata: sed mala propria sunt peccata actualia, ut constat ex auctoritatis contextu, quo significatur, parvulos sine baptismo decedentes, præscitos esse *non propriis* voluntatibus in se, sed in Adamo tantum: ergo reprobatio positiva non est ante prævisionem proprij demeriti.

29. Prob. 2. ex Aug. *lib. 3. contra Jul. cap.* 18. dicente: *Bonus est Deus, justus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Juxta quæ difficile est in Concil. Valent. sub Lothario Imperatore tempore Leonis IV. anno 855. *cap.* 3. *In electione salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum: in damnatione autem perituorum meritum malum præcedere justum Dei judicium.* Nec valet dicere, hæc tenere de voluntate tantum executiva pœnæ, quę demerita supponit, non autem de intentiva. Nam in ordine executivo sicut voluntas punitiva supponit culpam, ita electiva supponit merita, quæ coronat: ergo secundum talem Intelligentiam non subsistit differentia, quam Concil. assignat inter illas voluntates.

30. Si dicas cum Palanco differentiam stare in hoc, quod in prædestinatione electorum præcedit misericordia Dei, causando merita, sed non in reprobatione, quia mala Deus non causat, sed permittit: unde in hac præcedit liberum arbitrium causando demerita: non autem in illa, quia in electione bonorum præcedit misericordia. *Contra est*, quia vel Concil. loquitur de judicio Dei, quod sit decretum intentivum reprobandi, vel de judicio, quod sit decretum executivum: primum est contra te, quia alias etsi Deus non causet demerita, ut docet Concil. tamen illa, ut à Deo prævisa in suo decreto permissivo, præcedent decretum intentivum damnationis: secundum, præterquamquod per illud non receditur à prima solutione, non est de mente Concilij in prædictis verbis, nam in sequentibus statuit: *Pœnam sanè malum meritum eorum sequentem... præscivisse & prædestinasse, quia justus est.* Si enim in his loquitur de prædestinatione pœnæ ex prævisione mali meriti, erit sermo de decreto executivo, nam pœnæ intentio non sequitur per te malum meritum, sed precedit: ergo in prioribus sermo est de decreto intentivo reprobationis, aliàs idem sub eodem sensu frustra repeteret. Et cum post priora verba statuat discrimen inter prædestinationem & repro-

probationem, quod illis prioribus adhibet Palanco, de eo quod in una concurrit Deus causando in alia tantùm præsciendo, signum est, quod per priora verba non intendit Concilium assignare differentiam, quam Palancus illis attribuit. Immediatè enim subdit: *Prædestinatione autem Deum ea tantùm statuisse, quæ ipse, vel gratuita misericordia, vel judicio facturus erat... in malis verò ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est. Non prædestinasse, quia ex illo non est.* non

31 Tertiò prob. ex August. *Epist.* 106. *ante med.* dicente: *Hęc massa si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam.* Ex quibus. Intendere positivè reprobare aliquem est illum facere vas in contumeliam; & illum reprobare positivè ante absolutam prævisionem demeritorum, est illum destinare in pœnam, dum massa consideratur ita media, ut nihil boni, nec mali aliquid mereatur: sed juxta Aug. iniquum videtur, ut ex massa, quæ nihil mali meretur, fiant vasa in contumeliam, seu in damnationem: ergo.

32 Prob. ex D. Thom. *in* 1. *ad Annib. dist.* 41. *art.* 3. ubi ait: *Voluntas damnationis respicit rationem voliti in damnato, cùm damnatio ex debito inferatur, quia finis damnationis est de justitia.* Ex quibus. Reprobatio, quæ fit ante absolutam prævisionem demeritorum, non infertur ex debito, vel ratione aliqua ex parte damnati, sed potiùs ex illa descendit quod detur ratio ad damnationem ex parte damnati, cùm ex illa intentione, permittat Deus peccatum: sed juxta D. Thom. voluntas damnationis respicit rationem volití in damnato, quia ex debito infertur: ergo non datur reprobatio positiva ante absolutam prævisionem demeriti. Unde subdit S. D. quod *reprobatio*, quæ includit voluntatem de contradictorio, & contrariò, *habet causam quasi finem divinam justitiam: habet verò quasi rationem voliti, non de necessitate, præscientiam operationum*: ergo ratio quare vult hunc positivè damnare est quia præscit illius malam operationem; non autem reprobat Deus quin detur ratio voliti in damnato.

Nec valet recurrere ad decretum intentivum; de hoc enim loquitur S. D. cum enim sibi objeciisset 3. argum. ut probaret, quod non solum damnatio in executione, sed etiam in intentione debet esse ex demeritorum prævisione, sub hac forma: *Illud quod facit injusti-*

titiam in opere, facit etiam injustitiam in voluntate; sed injustitia esset, si Deus aliquem damnaret sine culpa præcedente: ergo & injustitia est ex parte voluntatis, si vult damnationem alicujus absque consideratione præcedentis culpę: cum ergo injustitia in Deum non cadat, videtur quod præscientia operationum sit reprobationis causa. Ad hoc respondet S. D. quod *reprobatio habet pro ratione voliti præscientiam operationum, vel cujuscumque ex quo justè damnatio sequatur*, quod est dictu. Ideò non solum damnatio in executione, sed etiam voluntas intentiva damnationis non est injusta, quia ad damnationem supponuntur opera in executione, ad intentionem autem supponuntur opera in præscientia, vel illa opera sint peccata personalia, vel naturæ infectio per originale, ex quo ut non dimittendo justè damnatio sequatur.

33 Secundò prob. ex D. Thom. destruendo præcipuum adversi. fund. docet enim Palanco quod ex fine ostendendi justitiam punitivam vult Deus pœnam justam ante peccati permissionem, seu propter illum finem permittere peccata personalia, & consequenter ante absolutam prævisionem illorum peccatorum datur reprobatio positiva. Contra hoc militat, quod juxta D. Thom. *hic art. 3. Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* In quibus 1. ponit S. D. permissionem culpæ, & postea voluntatem de damnatione occasionatam ex culpa. Et *in* 1. *dist.* 39. *quæst.* 2. *art.* 2. *in fine corp.* ait: *Istos defectus voluntatum, contingentes præter intentionem providentię, præscivit Deus, & ordinavit eos in bonum, non tantum naturæ, sed etiam singularis gratiæ, sicut in bonum justitię, quod ostenditur, dum culpa pœna ordinatur, & in bonum voluntatis aliorum, qui per eorum nequitiam, vel corriguntur de peccatis, vel meritis & gloria crescunt, & in multa alia, quæ humana ratio non sufficit explicare.*

En prius præscivit Deus peccata reproborum, quàm ordinaret illa in ostensionem justitiæ punitivę. Ergo prius est illa permittere, ut in decreto permissivo præsciantur, quàm illa esse ordinata ad ostensionem justitiæ vindicativæ. Sed si ante absolutam prævisionem illorum intendit aliquem punire ex voluntate ostendendi justitiam, prius est, peccata esse ordinata per pœnam intentam, quàm esse absolutè prævisa: ergo contra S. Thom. Prob. min. Dum Deus intendit aliquem punire, pec-

cata illius permittenda ordinantur per pœnam in ostensionem justitiæ vindicativæ : sed per te hęc ordinatio, vel pœnæ intentio fit ante absolutam prævisionem demeritorum : ergo priùs sunt ordinata, quàm præscita, cum priùs fiat ordinatio, quàm permissio ; nec potest dari absoluta præscientia demeriti, quin supponatur decretum permittendi.

34 Dicendum est igitur, finem à Deo intentum in permissione peccati, quoad primum esse, esse vel supremum Dei dominium ; vel necessitatem gratiæ, & fragilitatem, seu conditionem naturæ, &c. manifestare, & supposita permissione ex aliquo ex his finibus, illud peccatum permissum ordinatur postea, vel ad ostensionem justitiæ vindicativæ, intendendo illud punire pœna æterna, vel ut notam faciat potentiam suam, qua adeò potens est, ut possit etiam de malis benefacere, & punire eos, sibi subjiciendo ; ut expönit D. Thom. vel ut ostendat divitias gloriæ suę in vasa misericordiæ. Unde ait Aug. *in Enchirid. cap.* 100. *Nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens & de malo facere posset benè.* Et *cap.* 27. *Meliùs judicavit de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere.* Et Apost. ad Rom. 9. *Volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Nota ly *sustinuit*, quod est idem, ac *tolerare*, vel permittere peccatorem in sua culpa persistere ; seu ut Aug. legit, *pertulit in multa patientia*, quod de prima permissione peccati nequit intelligi, cùm hoc in suo primo esse non dicat permanentiam : debet ergo intelligi de permissione perseverantiæ peccati ; nam supposita primâ permissione peccati ex fine assignato, postèà permittit Deus peccatum permanere ex fine ab Apost. assignato, ostendendi iram, vel justitiam vindicativam, & ut notam faceret potentiam suam, seu ut ostendat misericordiam in electos, quibus tale malum non permisit, juxta dicta *art.* 3. *præcunum.* 1a. In illa ergo prima permissione peccati habet Deus absolutam prævisionem peccati, & hoc pręviso intendit illud punire, ut non solum ostendat suum dominium, & altissimum, & sapientissimum munus providentię, ad quam spectat aliquos defectus permittere, & illos ordinare, sed etiam suam justitiam vindicativam, & alia bona, quæ in derelictione in illo peccato reperiuntur.

35 Hinc constat qualiter in-

intelligendus sit D. Thom. dum *hìc art. 5: ad 3.* ly *sustinuit* exponit per *permisit*: non enim intelligitur de permissione primi peccati quoad primum esse, sed quoad perseverantiam: & ideò super *cap. 9. ad Rom.* exponens ly *sustinuit* ait: *Hoc ejus patientiam demonstrat, quod non statim vindictam infert. Unde addit: In multa patientia.*

36 Ex verbis etiam Apost. infertur Deum non intendisse ut finem, ostensionem justitiæ vindicativæ ante prævisionem demeriti reproborum; ait enim, *Sustinuit vasa iræ apta in interitum*: ergo jam supponuntur homines *vasa iræ* apta in interitum ex vi peccati ipsorum, ut illos possit sustinere, vel tollerare, relinquendo eos in sua iniquitate; nullus enim tollerat, vel perfert in multa patientia, nisi quod jam est. Sed homines sunt vasa iræ ratione peccati ipsorum: ergo supponitur absolutè prævisum peccatum antequàm Deus, volens ostendere iram, dicatur sustinere in multa patientia vasa iræ. Sic juxta Aug. *q. 2. ad Simpl. paulò post med.* Deus fecit Esau vas in contumeliam, illum ordinando in pœnam: sed ut sustineat vasa iræ opus est, ut priùs effecerit vasa iræ: ergo priùs est Deum prævidisse culpam reproborum, & illam ordinasse in pœnam, per quod illos efficit vasa iræ, quàm sustinere vasa iræ.

§. III.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

37 Arg. 1. contra 2. partem assert. 2. ex Aug. *Epist. ad Sixtum, cap. 8.* dicente: *Quid oderat in Esau antequàm natus feciset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam, neque in illo* (id est Jacob) *diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat; neque in isto odisset maturam quam bonam ipse fecerat*: sed Esau fuit remissum peccatum originale, ut dicitur in Epist. Synodica Episcoporum Africanorum in Sardinia exulum *cap. 7. In Esau judicium justæ severitatis ostendit. Qui sacramento quidem circumcisionis octavo die secundum tenorem divinæ constitutionis accepto, reatu peccati originalis caruit*: *sed per nequitiam cordis in hominis terreni vetustate permansit; illius ibi judicio derelictus, qui gratis salvat, justeque condemnat.* Ex quibus obiter inferre licet, Esau non fuisse salutem æternam consecutum, nam & postea subditur: *Ille circumcisus periit, quia dilexit tenebras magis quàm lucem*, & ideò gerit typum re-

probonum christianorum, qui usque in finem in malis operibus perseverant, condemnandi in judicio, quia non condignè usi sunt baptismatis sacramento, ut ibid. asserunt isti PP. Ergo etiam in illis, quibus originale remittitur, motivum reprobationis est peccatum originale; reprobantur enim ratione illius, quod Deus odio habet.

38 Respondeti potest 1. quod cùm Deus non odio habeat in Esau peccatum originale post illius remissionem, sed pro tempore, quo in illo permansit; per reprobationem ex motivo originalis significantur illi, quibus numquam remittitur originale, in his enim permanet objectum odij Dei, seu motivum voluntatis reprobativæ, non in illis: cum autem non possit subsistere voluntas rationalis erga aliquid deficiente motivo volitionis, & voluntas de damnatione perseveret etiam ablato originali, dicendum est, peccatum originale in eis, quibus dimittitur, non esse motivum exclusionis à regno, vel damnationis.

39 Sed quia in *lib.* 1. *de Baptismo contra Donatistas, cap.* 10. & alibi sæpe, intelligit Aug. in persona Esau eos, qui negligunt gratiam, quam accepe-runt, & in præfata Epist. Synodica expressè dicuntur significari in persona Esau reprobi baptizati; ideò aliter respondeo, Augustinum per illa verba non intendere significare motivum reprobationis Esau, sed ostendere qualiter verificetur justè Deum odio habere Esau, antequam natus feciisset quidquam mali; si enim *non ex operibus* fuit odio habitus, quomodo non est iniquitas apud Deum, vel ut quærit in *quæst.* 2. *ad Simplic.* versans hunc textum, quomodo verum est: *Nihil odisti eorum, quę fecisti*, si odio habuit Esau antequam ipse feciisset quidquam mali? Ad quod respondet in prædicta quæstione: *Non odit Deus Esau hominem* (id est naturam humanam, quam ipse fecit) *sed odit Deus Esau peccatorem.* (id est peccatum, quod Deus non fecit) Et exponens in præf. quodnam sit illud peccatum, quod Deus odio habuit in Esau antequam nasceretur, ait esse *originale peccatum*, & rationem assignat, dicens, quod in eo non poterat odisse naturam, quia bonam ipse fecerat; aliàs antequam nasceretur non habebat peccatum personale: Ergo unicè poterat Deus odio habere peccatum originale.

40 Ratio hujus est, quia ibi agit August. contra Pelagianos asserentes Deum esse acceptorem personarum, si ad electionem unius non precedit opus bo-

bonum ; & ad reprobationem alterius opus malum, quod sit peccatum personale. Hoc constat ex epist. 106. ante med. ubi ait Augustinus *Hoc diximus propter eos, qui non valentes in causa gratiæ inscrutabilia Dei judicia perscrutari...tamen audent parvulos reos PROPRIORUM constituere peccatorum*, & ideò arguunt in prædicta epist. in med. *Quomodò inquiunt, Esau non damnatur* (hoc est, non odio habetur in utero) *indignus, si non ex operibus?* Ad quod respondet Augustinus quod licèt nullus in utero habuerit meritum vel demeritum personale ; *uterque autem illi uni obnoxius erat, in quo omnes peccaverunt*. Hoc est, uterque gaudebat originali ; & ideò quod unus diligeretur, & non alter, ante quam nascerentur, non faciebat Deum acceptorem personarum (quia nullum tale vitium datur, dum ex duobus debitoribus uni remittitur debitum, & non alteri, quia ab isto exigitur quod debetur) nec remuneratorem præcedentium meritorum, quia si Iacob dilexit antequam quidquam boni fecisset: ergo non præcesserat meritum, quod remuneraret; sed potius originale demeritum, quod justè posset punire. Unde in cap. 7. ex epist. ad Sixtum totus est in relegando à Deo vitio acceptionis personarum, & ostendendo non esse remuneratorem præcedentium meritorum ; & ad hoc adducit exemplum de Jacob & Esau, qui antequam quidquam boni vel mali fecissent, electi sunt ad gratiam : & asserit in nullo præcesisse opus proprium, quod Deus pro tempore, quo nondùm nati erant, diligeret, vel odio haberet, sed tantùm originale peccatum : unde non intendit exponere motivum reprobationis de facto, sed quod ad electionem bona opera non præcedunt, cùm solùm præcedat originale, quod est objectum odij, dum permanet in creatura.

41 Assumptum confirmo, quia illa propositio, *Quid oderat in Esau nisi originale peccatum*, exponitur sic, *in Esau oderat originale peccatum, & nihil aliud* : ergo si originale fuit motivum reprobationis in Esau, propter illud, & non propter personalia fuit reprobatus ; quod dici nequit de reprobis adultis, quibus originale dimittitur, in quibus Deus odio habet personalia, & propter quorum prævisionem reprobantur. Propterea, dicendum est, S. Doctorem loqui, vel simpliciter de obiecto odij Dei erga Esau, antequam nasceretur, ut ostendat electionem Jacob fuisse gratuitam, non autem ex operibus, cùm nulla opera bona præcesserint in illo, sed tantùm originale ; vel si loquitur de reprobis sub persona Esau, hoc facit sine ref-

respectu ad particulares circumstantias personæ, scil. ad hoc specificè peccatum, vel ad hoc, quod fuerit remissum; quia ut typum gerat reproborum non requiritur, ut omnes circumstantiæ attendantur, sed sufficit, ut in aliquo conveniant. Convenientia stat in eo, quod sicut Esau non fuit odio habitus nisi ex præsuppositò peccato, sic nec alij reprobi reprobantur ante prævisionem peccati; vel hoc sit personale, vel originale non dimissum, de quo ibi non curat, quia ad illius capitis intentionem non spectat.

42 Imò ut ostendat Deum non esse acceptorem personarum (de quo ibi) debet loqui de reprobatione eorum, quibus non remittitur originale, in iis enim urgebat Pelagianorum argumentum; nam si illi, quibus misericorditer remittitur originale in peccata actualia labantur, facile responderi posset alios eligi, & istos reprobari, quia sponte sua eunt in perditionem: quid enim mirum damnentur, si ipsi post acceptam gratiam noluerunt perseverare? De quibus ait Aug. lib. de Corrept. cap. 13. in fine, justissimè pro meritis judicari, & à Deo deseri, quia prius illum deseruerunt: *Aut gratiam Dei*, inquit, *suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant, deserunt, & deseruntur.* Unde Pelagiani loquebantur de iis, quibus originale non remittitur, qualiter scil. non detur acceptio personarum, si nulla existente diversitate ex parte hominum unus eligitur, & non alter. Ad quod respondet Aug. non recurrendo ad diversitatem, quia electio non ex operibus, sed ad convenientiam in originali, quod omnes constituit debitores. Et dum argumentum formabant in duobus justis, qualiter uni detur perseverantia, non alteri, cùm uterque sit ab originali mundatus, hoc non solvit August. recurrendo ad originale, quod fuit in eo, qui reprobatur, sed ad inscrutabilia judicia Dei, ut mille locis patet.

43 Arg. 2. ex Aug. 7. de Corrept. in fine: *Qui perseveraturi non sunt, ac sic à Fide Christiana, & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat... non sunt à massa illa perditionis præscientia Dei, & prædestinatione discreti; & ideò nec secundùm propositum vocati, ac per hoc nec electi.* Ex quibus constat, etiam baptizatos (isti enim sunt qui à Fide Christiana & conversatione labuntur) non esse electos; quia non sunt à massa perditionis discreti: sed massa perditionis est talis ex vi originalis: ergo etiam in baptizatis originale est motivum reprobationis.

44 Resp. quod massa perditionis non præcisè involvit originale

ginale, sed præcipuè dicit peccatum non remittendum, seu impœnitentiæ finalis, sive illud sit originale, sive personale: unde nullus dicitur à massa illa perditionis discretus, nisi qui accipit donum perseverantiæ. Hoc patet ex Aug. ibi post init. dicente: *Ab illa perditionis massa, quæ facta est per primum Adam, debemus intelligere neminem posse discerni, nisi qui hoc donum habet.* Unde subdit: *Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod ea in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant.* Solùm ergo potest dici à massa perditionis discretus, qui liberatur à peccato finali: & qui ab hoc non liberatur, à massa perditionis non discernitur. Ergo si baptizatus dicitur non electus, quia non est à massa perditionis discretus, ideò non est electus, sed reprobatus, quia est infectus peccato finali. Sed peccatum finale in baptizato non est originale: ergo baptizatus non reprobatur propter originale.

15 Nec hìc adest recursus ad decretum intentivum, & executivum, quia Aug. loquitur de decreto intentivo, si favet adversariis: ergo illud peccatum ratione cujus baptizatus non est discretus à massa perditionis, erit motivum decreti intentivi reprobandi: sed solùm ratione personalis non dimissi est non discretus à massa perditionis: ergo. Si per massam perditionis intelligeretur corruptio ex solo originali, & ab ista non essent discreti baptizati, sequeretur, eos non esse ab originali mundatos. Unde relinquitur, quod per massam perditionis intelligi debet culpa non dimittenda, & ex præscientia hujus peccati personalis, quod in renatis usque in finem perseverabit, dicuntur reprobati; hoc enim innuunt illa Aug. verba: *Præscientia Dei & prædestinatione*, quia scil. *novit Deus eos non habere perseverantiam, scitque illos ita stare, ut præscierit esse casuros*, ut postea exponit: ergo quibus originale dimittitur, reprobantur propter sola personalia.

45 Aliæ sunt auctoritates, quæ intelligendæ sunt, vel de exclusione à gloria per modum pœnæ damni, vel de voluntate reprobandi positivè, dum dicitur, quod ex præscientia peccati sunt non electi, qui reprobantur. Argumentum ex voluntate salutis omnium solutum est numer. 20. Et ex eo constat hanc voluntatem non pugnare cum alia efficaci excludendi aliquos à gloria, quia prima respicit gloriam præcisè ut in mediis, secunda est de illa in se ipsa, de qua distinctione videndus est D. Th. hìc quæst. 24. art. 3. in corp. &

quæ

quæ diximus tract. 6. quæst. 3. art. 3. Quæ opponi solent ab inconvenienti soluta sunt hìc numer. 23. Alia sunt minoris momenti, quæ ex dictis in hoc tract. facilè solvi possunt.

46 Id unum directè opponitur nostro modo dicendi, quod adducit Illust. Montalban à paritate laureolæ castitatis, nam licèt ille, qui semel peccat peccato luxuriæ, promereatur privari tali laureola in pœnam peccati; tamen de facto non privatur illa in pœnam peccati, sed præcisè ratione beneficij indebiti; indebito moraliter fundato in eo, quòd semel peccavit: ergo pariter licèt ille, qui contraxit originale, mereatur, quod Deus in pœnam illius eum privet gloria; potest tamen Deus suo debito non uti, sed velle purè eam in ratione beneficij indebiti denegare, indebito fundato supra id, quod semel extitit sub peccato.

47 Resp. hoc argumentum in multis deficere. 1. Quia sicut laureola virginitatis in executione negatur non virginibus; sic etiam gloria in executione negaretur corruptis per originale peccatum; & ex demerito illius, quod non admittunt adverf. 2. Si paritas teneret, sicut nulli non virgini concedit Deus laureolam virginitatis, sic nulli non præservato à contractione originalis concederet gloriam, quod non est dicendum. Ratio disparitatis est, quia laureola virginitatis tantùm promissa est integritati corporis, & mentis, vel illis qui legitimè contra venereas tentationes certaverint: gloria autem non est promissa illi, in quo non fuerit originale, sed illi, in quo nullum sit peccatum, etiam si multa fuerint: unde ad negationem laureolæ, quæ tantùm est gloria accidentalis, debet supponi ratio aliqua ex parte creaturæ; ad exclusionem autem negativam à gloria essentiali non requiritur aliqua ratio ex parte creaturæ, sed ex ipsa doni excellentia & supernaturalitate est absolutè indebita. Non igitur opus est, ut illi, cui remittitur originale, non velit Deus concedere gloriam motus ex illius demerito, sed præcisè, quia illi non debetur; sicut laureola martyrij non conceditur illi, qui non est passus martyrium, quia ipsi non debetur; non autem negatur per modum pœnæ, aut ex motivo alicujus demeriti: & idem patet in majori gradu gloriæ.

Fundamentum contra ultim. partem conclusionis solutum est num. 33.

*** *** ***
*** *** ***

AR-

ARTICULUS II.

QUINAM SINT EFFECTUS reprobationis?

§. UNICUS.

RESOLVITUR DUBIUM quantum ad peccata, substantiam reprobi, & permissionem peccati.

TAD rationem effectus reprobationis tres communiter assignantur conditiones. 1. quod sit effectus Dei. 2. quod cum effectu conducat ad finem reprobationis. 3. quod procedat à Deo ex intentione talis finis. Dicimus 1. *peccatum originale non esse effectum reprobationis*, quia illud præcessit signum reprobationis: unde ejus permissio non processit ex intentione finis reprobationis, sed illius intentionem præcessit.

2 Dicimus 2. *nullum peccatum sub ratione malitiæ esse effectum reprobationis*, quia non est effectus Dei. Hæc assertio est contra Calvinum asserentem, quod sicut Deus ex eo quod hominem prædestinat causat omnia merita illius, quæ sunt media, & effectus prædestinationis, ita ex eo quod hominem reprobat, causat omnia illius peccata, quæ sunt media, & effectus reprobationis: unde consequenter dicebat, Deum impellere homines, & necessitare ad peccandum. Contrarium diffinitum est in Trident. & ex August. docet D. Prosper *lib.* 1. *Respons. ad object.* 15. *cap.* 15. & 16. *Quisquis ex prædestinatione Dei velut fatali necessitate homines in peccata compulsos cogi dicit in mortem, non est Catholicus. Nullo enim modo prædestinatio Dei iniquos facit, neque cujusquam omnino est causa peccati.*

3 Dicimus 3. *substantiam reprobi non esse effectum reprobationis*, quia non producitur ex intentione damnationis, uti ex Aug. docet etiam Prosper. *lib.* 2. *Respons. cap.* 3. *Omnium quidem*, inquit, *hominum Deus creator est: sed nemo ideò ab eo creatus est, ut periret; quia alia est causa nascendi, & alia est pereundi. Ut enim nascantur homines, Conditoris est beneficium: ut autem pereant, prævaricatoris est meritum.* Vide dicta *num.* 5. *præc. in fine.*

4 Dicimus 4. *permissionem peccati remissi non esse effectum reprobationis*, quia illud peccatum non punitur pœna æterna, cùm per pœnitentiam evacuetur reatus pœnæ æternæ, & per consequens permissio illius peccati ad æternam damnationem, quæ est finis reprobationis, non conducit. Difficultas

præcipua est de peccatis actualibus non remissis, an permissiones illorum, ut usque in finem perseverantium, sint effectus reprobationis? *Dicimus non esse effectus decreti intentivi reprobationis.* Ita tenentur dicere quotquot docent reprobationem positivam non esse ante absolutam prævisionem demeritorum: ex hoc enim infertur non dari voluntatem reprobandi positivè nisi post absolutam demeritorum prævisionem: sed non datur hæc prævisio nisi consequenter ad permissionem talium peccatorum: ergo permissiones peccatorum actualium supponuntur ad intentionem reprobandi positivè. Sed quod præcedit, & movet ad intentionem reprobandi, non producitur ex intentione finis reprobationis: ergo illæ permissiones nullatenus sunt effectus intentionis reprobandi.

5 Explicatur, Juxta AA. docentes reprobationem positivam esse post prævisionem demeritorum (ad differentiam gratuitæ electionis ad gloriam, quæ est ante absolutam prævisionem meritorum) sicut prius est Deum intendere non solum gloriam, sed determinatum gradum gloriæ; ita prius est Deum prævidere absolutè determinata demerita, quàm intendere determinatum gradum pœnæ: sed ad prævisionem horum demeritorum determinatè debent præcedere istæ determinatè permissiones: ergo nulla permissio peccati moventis ad inflictionem talis pœnæ procedit ex intentione damnationis, sed potiùs præcedit illius intentionem: & sic ab opposito sicut quodlibet meritum, quod movet ad hunc determinatum gradum gloriæ, est effectus prædestinationis; quia illud descendit ex illius finis intentione, quæ præcedit causalitatem omnium meritorum; ita nulla permissio peccati est effectus reprobationis, quia omnes præcedunt & movent ad intentionem reprobandi quoad hunc determinatum gradum pœnæ.

6 Nec valet dicere, hanc rationem solum probare de prima permissione peccati, secùs de illius perseverantia, vel secundo esse, & aliis circumstantiis aggravantibus; nam contra est, Deus enim intendens damnationem, intendit illam in determinato gradu pœnæ, ad modum quo ab opposito dicitur de gratuita ad gloriam electione. Ad determinatum gradum pœnæ prærequiritur prævisio determinatorum peccatorum secundùm particulares circumstantias, quibus correspondet aliqua ratio pœnæ: ergo si intentio finis damnationis secundùm determinatum gradum est post absolutam prævisionem dememe-

meritorum, nullum est peccatum, vel permissio sub quacumque ratione malitiæ, cui correspondeat pœna, quod non præcedat intentionem absolutam de damnatione; & per consequens nulla permissio peccati erit effectus intentionis reprobandi.

7. Si dicas cum Gonet, priùs dari in Deo voluntatem reprobandi negativè, seu excludendi à gloria ut beneficio indebito, quàm detur voluntas permittendi peccatum; & sic permissio hujus erit effectus reprobationis negativæ licèt non positivę. *Contra est.* Illud decretum intentivum terminatur per se ad exclusionem à gloria ut beneficio indebito, non sub ratione pœnæ: sed ex vi hujus intentionis non potest descendere permissio peccati: ergo. Prob. min. Peccatum non est medium requisitum ad illum finem, quia exclusio ad quam prærequiritur peccatum habet rationem pœnæ: sed ex intentione finis tantùm tenetur quis velle quæ necessaria sunt ad ejus consecutionem: ergo. Unde opportunè D. Thom. laud. *Voluntas de contradictorio non requirit aliquam rationem ex parte voliti; cùm salus gloriæ non sit debitum humanæ naturæ; non enim requiritur ratio quare non omni alicui, quod dare non debeo.* Si non requiritur aliqua ratio ex parte voliti, ut quid requiritur permissio peccati, ut ratione illius non detur, quod dari non debetur? Verum est igitur præcedere reprobationem negativam, & exclusionem à gloria de facto non esse exequendam sine permissione alicujus peccati; verùm hæc permissio non oritur ex voluntate reprobandi, aliàs priùs esset in Deo intentio de damnatione; & posteà prævisio peccati, ut vult Palanco, cujus contrarium docet Gonet *hìc disp.* 5. *art.* 2. *§.* 2. sed oritur ex alio fine, ut diximus *art. præc. num.* 33.

8. Dices. Permissio peccati reproborum numquam dimittendi oritur ex aliqua providentia: sed non est effectus providentię prædestinativę, aliàs nec providentiæ generalis, nam ex ista tantùm descendunt effectus reprobis, & prædestinatis communes, & peccatum numquam dimittendum non est commune electis: ergo debet esse effectus reprobationis. *Resp.* permissionem peccati reproborum posse dici effectum providentiæ prædestinativæ Sanctorum, & effectum providentiæ generalis, & specialis reprobativę, secundum diversam rationem: ut enim conducit pro utilitate SS. est effectus prædestinationis ipsorum, ut ex Aug. diximus *art.* 3. *præc. num.* 12.

& ex D. Thom. *art. præc. num.* 33. Ut autem ad providentiam in communi ſpectat aliquos defectus in rebus permittere, ne impediatur bonum univerſi (ut docet D. Thom. *hìc quæſt.* 22. *art.* 2. *ad* 2. & in verbis dat. *art. præc. num.* 33.) poteſt dici effectus providentiæ generalis, quia etiam electis permittuntur aliqua peccata, quæ per providentiam ſpecialem imperantur, & ordinantur in ipſorum gloriam: unde permiſsio qua talis ſolis reprobis non convenit. Et ſicut quod ſecundùm ſe pertinet ad providentiam generalem, ſecundùm aliquam rationem determinatur ad providentiam particularem, ut patet in ſubſtantia electorum, ita permiſsio peccati reproborum, quæ ſecundùm ſe eſt effectus intentionis manifeſtandi ſupremum Dei dominium, & bonum commune univerſi, &c. ut tamen eſt permiſsio peccati numquam dimittendi pertinet ad providentiam ſpecialem reprobandi tamquam motivum vel cauſa illius, non tamquam effectus propter rationem datam.

9 Si autem non ſit ſermo de primo, aut ſecundo eſſe peccati, ut ab æterno permiſſo, & previſo, ſed de illius executione, in hoc ſenſu permiſsio cujuslibet peccati, propter quod reprobus puniendus eſt in æternum, eſt effectus reprobationis; quia in executione conſiderata, eſt à Deo ex intentione finis reprobationis, ad quem cum effectu conducit: unde illi conveniunt conditiones aſsignatæ *num.* 1. Et in hoc ſenſu ipſa mors reprobi in peccato mortali, æterna pœna damni, & ſenſus, eſt effectus reprobationis, cùm ſit effectus demeritorum: Et ipſa permiſſio permanentiæ in peccato, ſeu derelictio; negatio auxilij illuminantis, ſeu excæcatio; & negatio auxiliorum emolientium voluntatem, ſeu induratio, & obſtinatio, quæ dici ſolent peccatum, & pœna peccati. Et in ſenſu dicto intelligitur D. Th. dum ait *hìc art.* 3. *ad* 2. *Reprobatio eſt cauſa derelictionis à Deo, & ejus quod redditur in futuro, ſcil. pœnæ æternæ.* Et 1. 2. *quæſt.* 79. *art.* 4. *Excæcatio ex ſui natura ordinatur ad damnationem ejus, qui excæcatur, propter quod ponitur etiam reprobationis effectus.* Si autem ex hac auctoritate inferas, quod ut aliquid ſit effectus reprobationis in reprobis ſufficit, ut ex natura ſua ordinetur ad damnationem illius; non autem ex ordinatione extrinſeca, dicimus; quòd ſi intelligatur D. Thom. de excæcatione quoad primum ſui eſſe, ut præviſum, omnia peccata non remiſſa dici poſſunt effectus reprobationis: ſi autem tertia conditio aſsig-

nata indispensabiliter requiratur, tunc resolvendum est juxta immediatè dicta, & intelligendus est D. Thom. de excæcatione in executione.

De negatione auxiliorum sufficientium prout ad presens resolvendum est juxtà dicta *hìs quæst.* 1. *art.* 4. Si enim sermo sit de remotè sufficientibus, non datur locus quæstioni, quia nulli reproborum negantur, ut ibid. diximus: si sermo sit de proximè sufficientibus, resolvendum est juxta dicta in præsenti.

ARTICULUS III.

AN REPROBUS POSSIT *salvari?*

§. UNICUS.

RESOLVITUR DUBIUM, & agitur de liberatione animæ Trajani.

1 RAtio dubitandi oritur ex eo quòd legitur apud Damascenum *in Serm. pro Defunctis, in med.* D. Gregorium orasse pro animâ Trajani, & eum ab inferno liberasse. Et de Sancta Orilia Virgine, cujus reliquiæ habentur in partibus Alemaniæ in Diœcesi Argentinensi, legitur, quod tamdiu flevit, & oravit pro anima Patris sui ad Dominum, usque quo Deus animam illam de inferno liberavit.

2 Quantum ad factum deliberatione Trajani variè opinantur AA. plures enim historiam illam non probant: plures fabulam esse pleno ore pronuntiant: major tamen, & sanior DD. pars eventum liberationis Trajani probat, inter quos præcipuè eminet Damascenus, D. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, S. Vincentius Ferrerius, S. Antoninus de Florentia. Noster Augustinus Triumphus *de Potest. Eccles. quæst.* 32. *art.* 3. Argentinas, & alij plures, quos refert & sequitur Navarro Benedictinus *disput.* 3. *de Spe, dub. ult.* ubi latissimè dubium versat. Alphonsus Tostatus licèt admittat historiam, docet, D. Gregorium peccasse, quòd fuderit preces pro Trajano, quem sciebat esse damnatum: & propterea à punitum fuisse à Deo, optione data per Angelum, ut aut ejus anima in purgatorio per biduum torqueretur, aut perpetuâ corporis ægritudine laboraret: hocque secundum Gregorium acceptasse. Ob id Tostatum rigidis censuris persequuntur AA. alij audacem, alij levem, alij temerarium appellantes.

3 Ut ut sit brevitèr pro nostro munere, quę haud ignorare oportet, indigitabimus. Igitur Damascenus *ubi supra*

rem

rem sic narrat: *Gregorius, qui dialogos à nostris dicitur, veteris Romæ Episcopus, cùm per forum Trajani incederet, intentissimas pro peccatorum Trajani remissione preces ad animarum amantem, & misericordem Dominum fudit, statimque vocem illius divinitùs demissam audivit*: Preces tuas exaudivi, ac Trajano ignosco; tu verò post hæc caveto, ne mihi pro impiis supplex sis. *Quodque illud verum sit, atque ab omni calumnia alienum, oriens totus, atque occidens testantur.*

Causam autem tantæ miserationis, & orationis Gregorij pro Trajano referunt Auctor Anonimus, & Joannes Diaconus celebres vitæ & gestorum Gregorij Scriptores, dicentes fuisse memoriam cujusdam æquissimi judicij ab eo Imperatore lati in favorem viduæ unico filio ab aggressoribus interfecto orbatæ, quæ Imperatorem in expeditionem Dacorum pergentem, magna militum stipatum caterva, sua interpellatione detinuit, à quo & obtinuit justam & piissimam sententiam. CùmqueGregorius per forum Trajani solemni populi supplicatione ad sepulchrum Beati Petri pergeret, & insignia misericordiæ ejus conspiceret, inter quæ prædicti judicij monumentum extat in tali foro; hujus rei gratiâ, memoria de laudato Trajani facto refricata, compunctus Sanctissimus Pontifex Dominum pro peccatorum Trajani remissione ardenter oravit. Sed non absque aliqua Dei interna inspiratione, ut observant aliqui AA.

4 Pro dubij solutione nota, quod sicut judices humani in suis judiciis duplici utuntur sententia, quarum prima dicitur *interlocutoria*, & est mutabilis: alia dicitur *diffinitiva*, & est simpliciter irrevocabilis apud judicem, qui tulit eam; sic metaphoricè loquendo illæ duæ sententiæ quandoque proferuntur de Deo: quod enim Dominus dixit *Jonæ* 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, non videtur ad sententiam simpliciter diffinitivam pertinere, si de mœnium subversione intelligatur, & non de subversione morum: in quo sensu, ut Augustinus observat, fuit subversa. Ad diffinitivam verò pertinere videtur sententia lata contra puerum, pro cujus vita David oravit Dominum (2. *Reg.* 12.) de facto enim puer mortuus est. Cum igitur reprobatio videatur esse quædam sententia Dei, dici potest, eos qui ad preces Sanctorum sunt liberati, non fuisse ultimatè & diffinitivè reprobatos, quia de sic damnatis intelligitur illud Job: *In inferno nulla est redemptio*: sed quasi conditionaliter, & interlocutoriè.

5 Unde si reprobatio sumatur ultimatè, & pro sen-

ten-

tentia diffinitiva, eſt irrevocabilis & inimpedibilis precibus Sanctorum: & reprobus ultimatè ſalvari non poteſt: quia quod irrevocabiliter diffinitum eſt à Sapientiſsimo & Omnipotente Judice, precibus quibuſcumque impediri vel immutari non poteſt: ſed reprobationem accipiendo in ſenſu dicto, reprobatus eſt irrevocabiliter, hoc eſt diffinitivè damnatus à Sapientiſsimo & Omnipotente Judice: ergo. Et quia communiter loquimur de reprobatione ſub hac acceptione, ideò abſolutè loquendo melius dicitur, reprobum non poſſe ſalvari.

6 Si verò reprobatio ſumatur pro interlocutoria ſententia, in hoc ſenſu reprobatus ſalvari poteſt, hoc eſt, poteſt reprobatio mutari vel impedIri precibus Sanctorum. Ratio. Judicis ſententia non excludens omnem defenſionem ejus, contra quem ſententiam tulit, non eſt immutabilis, ſed poteſt impediri, vel per viam defenſionis, ut allegando pro cauſa meliùs quàm hactenus, vel per viam ſupplicationis, ut amicorum precibus judicem placando, &c. Et in hoc ſenſu fuit reprobatus Trajanus.

7 Ita D. Thom. *quæſt. 6. de Verit. art. 6. Ad 4. dicendum, quod quamvis Trajanus eſſet in loco reproborum, non tamen erat ſimpliciter reprobatus. Prædeſtinatum enim erat, quòd precibus Gregorij ſalvaretur.* Et *in 4. ſent. diſt. 45. quæſt. 2. art. 2. ad 5. dicendum, quod* de facto Trajani hoc modo poteſt probabiliter æſtimari, quòd precibus Beati Gregorij ad vitam fuit revocatus, & ibi gratiam conſecutus ſit, per quam remiſsionem peccatorum habuit, & per conſequens immunitatem à pœna; ſicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculosè à mortuis ſuſcitati, quorum plures conſtat idolatras & damnatos fuiſſe. De omnibus enim ſimiliter dici oportet, quod non erant in inferno finaliter deputati, ſed ſecundùm præſentem juſtitiam propriorum meritorum: ſecundùm autem ſuperiores cauſas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat de eis aliter diſponendum. Vel dicendum ſecundùm quoſdam, quòd anima Trajani non fuit ſimpliciter à reatu pœnæ æternæ abſoluta, ſed ejus pœna fuit ſuſpenſa ad tempus, ſcil. uſque ad diem judicij, nec tamen oportet, quod hoc fiat communiter per ſuffragia, quia alia ſunt, quæ lege communi accidunt, & alia quæ ſingulariter ex privilegio aliquibus conceduntur: ſicut aliæ ſunt humanarum limites rerum, alia divina ſigna virtutum, ut Aug. dicit in *lib. de Cura pro mortuis agenda.* Hæc D. Thom. per quæ ſufficienter conſtat dubij reſolutio.

TRAC-

TRACTATUS VIII.

DE SS. TRINITATIS MYSTERIO.

NIhil *laboriosiùs quæritur, nec fructuosiùs invenitur*, sed *nec periculosiùs alicubi erratur*, quàm *in iis ubi quæritur unitas Trinitatis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, ut docet Augustinus, *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 3. Propterea, ut quæ naturæ ordinem superant sine erroris periculo pertractemus, divinis *Scripturæ* testimoniis, juxta SS. Patrum, præcipuè M. Parentis August. expositiones, incedendum est. Augustino namque applicuit D. Thom. illud Job 28. *Abscondita in lucem produxit*, scilicèt *cognitionis absconditæ Trinitatis*. Ita D. Thom. in Serm. in Festo S. Aug. & de illo canit Ecclesia: *Mente clara cælitus scrutaris inscrutabile Trini Dei Mysterium*. De his D. Thom. hìc quæst. 27. Mag. Sententiarum in 1. à dist. 2.

QUÆSTIO I.

DE DIVINIS PROCESSIONIBUS.

COnsideratis his, quæ ad divinæ essentiæ Unitatem pertinent, restat (ait D. Thom. in præsenti) considerare de his, quæ pertinent ad Trinitatem personarum in divinis. Et quia Personæ Divinæ secundùm relationes originis distinguuntur, secundùm ordinem doctrinæ priùs considerandum est de origine, sive *de processione*. Secundo *de relationibus* originis. Tertio *de personis*.

ARTICULUS I.

DE EXISTENTIA SS. TRINITATIS.

§. UNICUS.

REFERUNTUR ET REfelluntur errores hæreticorum.

1 NEdùm Gentiles, sed & Judæi, Mahumetani, & Hæretici existentiam Mysterij SS. Trinitatis negarunt; sed præcipuos tantùm refe-

feremus errores. Sabellius (à quo *Sabelliani*) non solùm unam naturam, sed & unicam personam in divinis dari affirmavit. Ex quo tenebatur fateri non solùm Filium, sed & Patrem, & Spiritum Sanctum incarnatos fuisse, & crucifixos, & ideò *Patripassiani* dicebantur. Hunc errorem accepit Sabellius à *Noëtho* ejus Magistro, & eumdem docuit *Praxeas*, & *Hermogenes* in Africa, teste P. Augustino de Hæres. 41. *Photinus*, ac *Michael Servetus* Genevę jussu Calvini combustus.

2 Per oppositum alij pluralitatem personarum concedentes, unitatem essentiæ negaverunt, ac per consequens, quod Filius eamdem cum Patre essentiam haberet, seu non esse illi consubstantialem. Ità *Arius* Presbyter Alexandrinus, cujus erroris fons fuit quidam *Dionisius*, ut testatur Augustt. *de Eccl. Dogm. cap.* 3. de quo & hæresi 49. vel ut alij dicunt, hic error originem duxit ab *Origine*; & adeò fuit plausibilis, ut ferè Sabellianum extinxerit. Damnatus Arius in Concil. Alexand. errorem aliquantulùm correxit, docens Verbum non esse factum in tempore, sed esse coæternum, & Deo simile, non tamen illi consubstantiale. Ex quo, qui posteà successerunt discipuli dicti sunt *Semi-Ariani*. Ita Eusebius, à quo *Eusebiani*. Posteà *Aetius*, & *Eudoxius* docuerunt Filium esse omninò Patri dissimilem. Ab Aetio prodiit *Eunomius*, qui Filium gigni dixit de substantia Patris, sed accedente nova voluntate: unde faciebat Deum mutabilem.

3 Successit *Macædonius* Episc. Constantinop. qui ut vitaret anathæma in Semi-Arianos latum docuit consubstantialitatem Filij, sed negavit divinitatem Spiritus Sancti, creaturam eum esse propugnans. Unde potius Macædoniani facti sunt Semi-Ariani, de quibus Augustt. *Hæresi* 52. Deinde *Mahometes* Deum dicens unum in personis docuit, Spiritum Sanctum, & Verbum esse creaturas, & hunc fuisse magnum Prophetam; quem cum Judæi voluissent crucifigere, Deus rapuit in Cælum, & umbram illius affixerunt. Fuit etiam error *Græcorum* negantium processionem Spiritûs S. à Filio, qui error ortum habuit ex *Theodoro* Mopsuestiæ Episc. *Petrus à Abaylardus* ferè in omnibus adhæsit Ario; contra quem D. Bernardus *Epist.* 190. ad Innocent. II.

4 Contra hos omnes veritas Catholica docet, *dari in divinis tres Personas realiter distinctas consubstantiales, ejusdemque naturæ, seu essentiæ omninò indivisibilis*, *Patrem* scil. *Filium*, & *Spiritum Sanctum*. Prob. 1. contra Judæos ex ve-

teri teſtamento, ex illo *Geneſ.* 11. verbis Domini dicentis: *Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Ut enim inquit Chriſoſt. *in Serm. de SS. Trinit.* dicendo *venite* pares honore exhortando vocat; nec enim ſi Angelis imperaſſet, dicere debuit *venite*, ſed imperando, *ite.* Quia autem dixit *venite* unius eſt vox ad duos honore æquales, Patris ſcil. ad Filium, & Spiritum S.

Secundò ex illo *Geneſ.* 18. *Cumque elevaſſet* Abraham *oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes propè eum: quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adoravit in terra, & dixit: Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis.* Supra quæ Auguſt. *tom.6.lib.3. contra Maxim. cap. 26. Tres vtdet, & non dominos, ſed Dominum appellat, quoniam Trinitas tres quidem perſonæ ſunt, ſed unus dominus Deus.* De quo ibid. latè pertractat.

5 Sed quia Judæi auctoritatem PP. & Commentaria negligunt, ex ipſorum Rabbinorum expoſitionibus res iſta comprobanda eſt. Igitur Deuter. 6. dicitur *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt,* vel ut habetur in textu Hebræó: *Deus, Deus noſter, Deus unus eſt*, in quibus per triplicatum Dei nomen, & ly *unus*, tres divinæ perſonæ cum unitate eſſentiæ deſignantur: ita enim ſupra hunc textum docet Rabbi Simeon, Johai filius *in lib. Zohac*: *Audi Iſrael*, Deus, *qui eſt principium omnium rerum, antiquus eſt antiquorum, hortus radicum, & omnium rerum perfectio, & dicitur* Pater: Deus noſter, *profunditas fluviorum, & fons ſcientiarum, quæ procedunt ab illo Patre*, & Filius *vocatur*: Deus: *hic eſt* Spiritus S. *qui à duobus procedit, & vocatur menſura vocis.* Unus eſt, & *unum cum alio concludit & colligit, nec enim unus ab alio dividi poteſt. Et propterea ait*: Congrega *Iſrael hunc, Patrem, & Filium, & Spiritum S. eumque fac unam eſſentiam, unamque ſubſtantiam, quia quidquid eſt in uno, eſt in alio.*

Idem conſtat ex illo Iſai. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Supra quod Rabbi Simeon ait: Sanctus *hic eſt Pater*: Sanctus *hic eſt Filius*: Sanctus *hic eſt Spiritus Sanctus.* Rabbi verò Jonathas magnæ apud Judæos auctoritatis, cui Chaldaica tranſlatio tribuitur, ita inquit: *Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus.* Ex his autem efficax ſumitur argumentum contra juniores Judæos; debemus enim ſtare judicio Rabbinorum, qui antequam chriſ-

christiani forent in mundo, Scripturam exposuerunt, illi namque citra invidiam loquuti sunt, sincerè, & absque aliqua passione prout ipsis, & majoribus populi Deus dedit intelligere; sed ita docuerunt, sicut christiani in præsenti, nec ullus fuit, qui eo tempore ex Scripturis contradiceret ipsis: ergo.

6 Prob. contra hæreticos *Sabellianos* Scripturas, & novum testamentum admittentes. Dicitur enim Joann. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis*, ubi istæ particulæ *ego, Patrem*, & *alium paraclitum* habent vim excludendi identitatem Personarum. Quod etiam constat ex Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

7 Contra *Arianos* id probat ferè totum Joannis Evangelium, scriptum contra negantes Filij divinitatem. *Deus erat verbum.* Et *cap.* 10. *Ego & Pater unum sumus*, supra quæ Aug. *tract.* 71. *in Joann. Audi Sabelliane: usque adeò non ipse Pater, sed alter est filius, ut eum Arianus inæqualem asserat Patri. Audi Ariane: usque adeò Filius æqualis est Patri, ut Sabellianus eumdem esse dicat & Patrem. Tu adde quem tollis; tu adimple quem minuis, & nobiscum ambo consistitis: quia nec tu tollis, nec tu minuis eum qui & alter est à Patre, ut convincas Sabellianum, & æqualis est Patri, ut convincas Arianum. Utrisque enim clamat:* Ego & Pater unum sumus. *Quod ait, unum, audiant Ariani: quod ait, sumus, audiant Sabelliani, & nec illi æqualem, nec illi alterum negando sint vani.*

8 Et 5. *de Trin. cap.* 3. proponit argumentum Arianorum dicentium: *Quidquid de Deo dicitur vel intelligitur, non secundùm accidens, sed secundùm substantiam dicitur. Quapropter ingenitum esse, Patri secundùm substantiam est; & genitum esse, Filio secundùm substantiam est. Diversum est autem ingenitum esse, & genitum esse: diversa est ergo substantia Patris, & Filij. Quibus respondemus: Si quidquid de Deo dicitur, secundùm substantiam dicitur, ergo quod dictum est:* Ego & Pater unum sumus: *secundùm substantiam dictum est. Una est igitur substantia Patris, & Filij. Aut si hoc non secundùm substantiam dictum est, dicitur ergo aliquid de Deo non secundùm substantiam, & ideò jam non cogimur secundùm substantiam intelligere ingenitum, & genitum.*

9 Contra *Macedonianos* verò asserentes Spiritum Sanctum esse creaturam, sunt allegatæ auctoritates. *Tres sunt, qui*

testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Et Aug. *lib. 3. contra Maximin. cap. 23.* ait contra Macedonium: *Trinitas quippe secundùm veram fidem, id est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, in cujus nomine baptizamur, & unus Dominus Deus noster est.* Tamdem soli Deo convenit immensitas replens totum orbem, hæc autem tribuitur Spiritui Sancto: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Insuper ex verbis Christi Domini dicentis: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*; ubi per alium Paraclitum intelligit aliam personam divinam.

10 A ratione arguitur contra hos omnes, & directè contra Gentiles. Deus est simpliciter infinitus, ut diximus *in tract. de Attributis*, & ideò debet importare, & identificare omnem possibilem entitatem: sed ad hoc requiritur, quod sit unus in essentia, trinus in personis: ergo. Prob. min. Inter entia possibilia quædam sunt absoluta, & quędam relativa: ergo ens infinitum debet importare & absolutum, & relativum. Sed juxta Philosophos nihil refertur ad seipsum, sed ad alterum: ergo debet importare correlativum. Quia verò relativum, & correlativum habent ad invicem oppositionem relativam, realiter ab invicem distinguuntur: & quia relativum nullam habet oppositionem cum absoluto: realiter cum ipso identificatur. Dantur ergo in divinis relativa, quæ realiter ab invicem distinguuntur, & realiter cum absolutis identificantur. Hæc relativa non sunt accidentia, sed substantiæ, quia accidens imperfectionem involvit, quæ Deo repugnat: sed juxta Philosophos substantia in seipsa subsistit, & aliunde propter oppositionem relativam nequeunt ad invicem communicari: ergo subsistunt incommunicabiliter, & sic constituunt personas. Sed istę personę debent esse tres: ergo. Prob. hæc min. quia non quæcumque oppositio relativa reperitur in divinis, sed quæ originem importat, vel oppositionem principij, & termini: sed terminus producitur per actionem, & duæ sunt actiones immanentes in divinis scil. intellectio, & amor: ergo duæ sunt productionęs, & processiones, ac proinde tres personæ, scil. Pater Filium producens per viam intellectus, & Pater & Filius spirantes Spiritum Sanctum per viam voluntatis.

11 Ad ostendendam etiam non repugnantiam mysterij adsunt aliqua exempla. Frequen-

ter

ter enim utitur Aug. exemplo animæ, quæ est una, tribus potentiis, memoria, intellectu, & voluntate constans, quin nec unitas animæ trinitatem potentiarum tollat, nec trinitas potentiarum auferat unitatem. Sic Sol, radius, & splendor tria invicem numero distincta sunt, eadem tamen est illorum substantia. Idem ostendit viola tricolor flos Trinitatis dicta. Idem innuit triangulum, quo frequenter Mysterij simulachrum illuminatur. Et idem discurrendo per singula. Ex quo deducitur non repugnantia Mysterij: nam rerum creatarum exemplum nequit perfectè SS. Trinitatis similitudinem gerere, sed ex pluribus deficit imperfectionibus. Vide Aug. *lib.* 15. *de Trin. cap.* 6.

12 Suadetur etiam non repugnantia Mysterij ex solutione argumentorum, quæ Hæretici, & Gentiles opponunt contra præsentem veritatem. Sed de his latè Mag. Navarro *in prævijs ad tract. de Trin.* ubi videri possunt, ut nos ad ea, quæ in scholis agitantur, procedamus. Id unum notare sufficiat, testimonia ferè omnia, quæ Ariani objiciunt ex Scriptura, solvi, distinguendo in Christo, sicut fides docet, duas naturas, humanam, scilicet, & divinam: *æqualis* enim est *Patri secundum divinitatem*; *minor Patre secundùm humanitatem.* Illud axioma, *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*, explicabitur *quæst. seq. art.* 1. *num.* 10. vel dici potest, quod cum desumptum sit ex Arist. non debet extendi ad ea, quorum Philosophus notitiam non habuit, & tale est mysterium SS. Trinitatis.

ARTICULUS II.

UTRUM IN DEO DENTUR processiones ad intra?

§. UNICUS.

DANTUR IN DIVINIS duæ processiones, & tres Personæ.

1 DIcimus, *dari in Deo processiones, per quas una Persona ab alia procedit.* Prob. ex illo Joann. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Supra quæ Aug. *lib.* 3. *contra Maximin. cap.* 14. *De Patre procedit, quoniam Pater processionis ejus est auctor, qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit, ut etiam de ipso procederet Spiritus Sanctus... Amborum est ergo Spiritus Sanctus, procedendo de ambobus.* Filij processio constat ex illo Joann. 8. *Ego ex Deo processi,*

&

& veni. Supra quæ Aug. *tract.* 42. *Quod de Deo processit Verbum, æterna processio est... ergo ab illo processit ut Deus, ut æqualis, ut Filius unicus, ut Verbum Patris: & venit ad nos, quia Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis.* Unde dicitur in Symbolo, *Ex Patre natum, Deum de Deo, Lumen de Lumine.* Et de Spiritu Sancto: *Qui ex Patre Filioque procedit.*

2 Quia verò præsens assertio ratione naturali non potest evidenter ostendi, ideò quibusdam congruentiis suadetur. Prima sic. Infinitam Dei bonitatem & fœcunditatem decet summa, & infinita communicatio, juxta illud Isaiæ 66. *Numquid qui alios parere facio, sterilis ero?* Sed summa illa communicatio absque processione unius personæ ab alia subsistere nequit; cùm ad extra solum finito modo possit divina natura communicari; ergo dantur in divinis processiones unius Personæ ab alia. 2. Si non datur processio, non datur oppositio originis: sed hac ablata nequeunt esse plures Personæ: ergo si dantur tres Personæ in divinis, ut ex *art. præc.* supponimus, admittendæ sunt in Deo processiones.

3 Dicimus 2. *in Deo dari duas tantùm processiones*, seu duas Personas procedentes, & unam quæ à nulla alia procedit. Prob. quia *Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus*, ut dicitur in Symbolo S. Athan. & si omnes personæ essent productæ, daretur processus in infinitum. Quod autem Filius, & Spiritus Sanctus sint Personæ procedentes constat ex testimoniis *num.* 1. *laud.* Unde Aug. *lib.* 3. *contra Maximin. cap.* 14. *De Patre est Filius, de Patre est Spiritus Sanctus: sed ille genitus, iste procedens: ideò ille Filius est Patris, de quo est genitus: iste autem Spiritus utriusque, quoniam de utroque procedit.* Rationem assignat D. Thom. *hìc quæst.* 27. *art.* 3. quia processio in divinis, cum sit actio immanens, nequit multiplicari ultra numerum actionum immanentium naturæ purè intellectualis: sed in natura intellectuali non datur nisi actio intellectus, & actio voluntatis; & processio Verbi attenditur secundùm actionem intelligibilem, processio verò Spiritus Sancti secundùm operationem voluntatis: ergo non dantur nisi duæ processiones ad intra. Ex his constat in Deo esse tres personas, & non plures, nec pauciores, scil. persona Patris improducta, Filius genitus, & Spiritus S. à Patre, & Filio procedens.

4 Dices: Quod procedit ab alio, procedit ab illo sicut à prin-

ci-

cipio: sed una persona divina nequit esse principium alterius, aliàs posset dici causa, cùm principium, & causa sint idem secundùm Philosophum: & Persona procedens posset dici principiata, si ab alia, ut à principio procederet: ergo cùm id Deo repugnet, dicendum est non dari processiones.

Resp. ex D. Thom. *hìc quæst.* 33. *art.* 1. *ad* 1. quod Græci utuntur in divinis indifferenter nomine causæ, sicut & nomine principij: sed latini DD. non utuntur nomine causæ, sed solùm nomine principij. Cujus ratio est, quia principium communius est, quàm causa: sicut causa communior, quàm elementum. Primus enim terminus, vel etiam prima pars rei dicitur principium, sed non causa. Quantò autem aliquod nomen est communius, tantò convenientius assumitur in divinis: quia nomina quanto magis specialia sunt, tantò magis determinant modum convenientem creaturæ. Undè hoc nomen causa videtur importare diversitatem substantiæ, & dependentiam alicujus ab altero, quam non importat nomen principij. In omnibus enim causæ generibus semper invenitur distantia inter causam, & id cujus est causa, secundùm aliquam perfectionem, aut virtutem. Sed nomine principij utimur etiam in iis, quæ nullam hujusmodi differentiam habent, sed solum secundùm quemdam ordinem: sicut cum dicimus punctum esse principium lineæ, vel frontem libri esse principium libri.

5 Similiter apud Græcos invenitur de Filio, vel Spiritu Sancto dici quod principientur. Sed hoc non est in usu DD. nostrorum: quia licèt attribuamus Patri aliquid auctoritatis ratione principij, nihil tamen ad subjectionem, vel minoritatem quocumque modo pertinens attribuimus Filio, vel Spiritui S. ut vitetur omnis erroris occasio.

6 Dices 2. Quod procedit ab alio, est ab alio: sed omnis persona divina est ens à se: ergo nulla procedit ab alia. *Conf.* 1. Quod ab alio procedit, aliquid recipit ab illo: sed recipere est indigentis naturæ; nulla autem indigentia in Deo admitti potest: ergo. 2. Quod procedit ab alio, ad hoc procedit, ut sit: ergo Verbum non fuit semper. *Resp.* quod omnis persona divina est ens à se, excludendo esse ab alio per creationem, sed non excludendo originem in identitate naturæ cum suo principio, quia esse ens à se per exclusionem originis solum competit Patri. *Ad* 1. *confirm.* dic, quod si recipiens sit antequàm recipiat, habebit indigentiam, secùs si non præ-

præexistat receptioni, sed semper sit in accipere, & recepisse, qualiter contingit in Verbo, quod procedit processione æterna, & ideò non procedit ut sit, & per hoc pat. ad ult. Ita August. *lib.* 3. *contra Maximin. cap.* 14. *post med. num.* 7. *aliàs lib.*2. & D. Thom. *quæst.*10. *de Potentia, art.* 1. *ad* 13. Ex quo etiam infertur non dari in divinis processionibus prioritatem durationis, aut temporis, sed tantùm originis. Ita Aug. *lib.* 3. *aliàs* 2. *cont. Maximin. cap.* 14. *num.* 8. ubi ait: *Hæc non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ: non quod alter prior esset altero, sed quod alter esset ex altero.* Recolantur dicta *tract.*4. *quæst.*3. *art.*2. *à num.*13.

7 Dices contra 2. assert. Sicut scientia & voluntas attribuuntur Deo, ita etiam potentia: si igitur secundùm intellectum, & voluntatem accipiuntur in Deo duæ processiones, debet dari tertia secundùm potentiam. *Respondet* D. Thom. *hìc art.*5. *ad* 1. quod *potentia est principium agendi in aliud. Unde secundùm potentiam accipitur actio ad extra. Et sic secundùm attributum potentiæ non accipitur processio divinæ personę, sed solum processio creaturarum.*

8 Dices 2. Major est fœcunditas in Deo, quàm in nobis: sed in nobis sunt multæ processiones, quia ex uno verbo procedit aliud verbum, & ex uno amore alius amor: ergo in Deo dantur plures processiones, quàm duæ. *Respondet* D. Thom. *ibi ad* 3. quod *Deus uno simplici actu omnia intelligit, & similiter omnia vult. Unde in eo non potest esse processio verbi ex Verbo, nec amoris ex amore, sed est in eo solum unum Verbum perfectum, & unus amor perfectus. Et in hoc ejus perfecta fœcunditas manifestatur.*

ARTICULUS III.

IN QUO CONSISTANT divinæ processiones activè sumptæ?

§. I.

STATUITUR ESSE VERAS actiones, & resolvitur dubium.

1 RAtio dubitandi est, nam divinæ processiones accipiendę sunt secundùm operationem aliquam: non transeuntem, quæ producit terminum ad extra: aliàs nec immanentem, quia actiones immanentes intelligendi, & volendi sunt prædicata absoluta tribus divinis personis communia; processiones autem non sunt communi-

munes Tribus Personis : ergo in operationibus intelligendi, & volendi non possunt processiones consistere. Min. patet. quia processio activa Filij, quæ est generatio, est propria Patris; processio activa Spiritus S. quæ dicitur spiratio, convenit Patri, & Filio, sed non Spiritui Sancto.

Ut hoc solveret Durandus tenuit, processiones divinas non esse operationes intellectus, & voluntatis, sed emanationes quasdam ex fœcunditate divinæ naturæ immediatè provenientes. Pro hoc etiam modo dicendi citatur Suarez, & Molina, exceptò quod non admittunt, esse emanationes immediatè à natura. Sed contrarium est commune apud Theologos. Unde

2 Dicimus 1. *Processiones divinas esse verè, & propriè actiones intellectus, & voluntatis, immanentes, ac vitales.* Prob. ex illo Psalm. 2. *Filius meus es tu : ego hodie genui te.* Et ex eo quòd Filius dicitur *Verbum*, & Spiritus S. *charitas*: sed Verbum propriè per intellectum procedit, sicut charitas per voluntatem: ergo sunt operationes intellectus, & voluntatis. Unde Aug. 9. *de Trinit. cap.* 12. *Sicut Dei Verbum Filium esse nullus christianus negat, ita charitatem esse Spiritum Sanctum.* Et D. Thom. *hìc art.* 5. *Processiones*, inquit, *in divinis accipi non possunt nisi secundùm actiones, quę in agente manent.* Idem docet *art.* 3.

3 Ratio est, quia processiones divinæ debent intelligi ad modum earum, quæ in creaturis intellectualibus reperiuntur; ad hoc enim recurrit D. Thom. *hìc art.* 1. *in corp.* Et *art.* 3. probat processionem Spiritûs S. ex eo, quod etiam in nobis prętęr productionem verbi invenitur processio amoris : & Aug. 15. *de Trin. cap.* 27. *Quantum attinet*, inquit, *ad illam summam ineffabilemque naturam per intelligentiam utcumque cernendum, nusquam se melìùs, regente dumtaxàt fidei regula, acies humanæ mentis exercet, quàm in eo quod ipse homo in sua natura melius ceteris animalibus, melìùs etiam ceteris animę suę partibus habet, quod est ipsa mens.* Et infra sibi ipsi alloquens: *Ostendit in te tria illa, in quibus te summę ipsius, quam fixit oculis contemplari nondum vales, imaginem Trinitatis agnoscas. Ipsa ostendit tibi verbum esse in te quando de scientia tua gignitur... sitque in acie cogitantis imago simillima cogitationis ejus, quam memoria continebat, ista duo scil. velut parentem, ac prolem tertia voluntate, sive dilectione jungente.*

Sed operationes intellectus, & voluntatis, seu processio, & im-

pulsus, sunt propriè actiones immanentes, ut dicitur in *lib. de Anima*, & sunt denudabiles ab omni imperfectione, quia conceptus actionis tantùm dicit, quod sit ultima actualitas agentis, vel quod aliquid ab ea procedat ipsa manente in principio; in quo nulla involvitur imperfectio: ergo.

4 Notant aliqui, hanc esse quæstionem de nomine; non de re, quia verè Filius dicitur productus per actum intellectus, & Spiritus S. per actum voluntatis: ubi autem datur propriè producens, & productum, datur productio propriè dicta. An autem hæc productio sit propriè actio, est dissidium de voce; quia qui negant, existimant, actionem dicere formaliter imperfectionem, causalitatem, motum, & similia, quæ in creatis reperiuntur, & ideò, ut vitetur omnis error, dicunt, processiones divinas propriissimè nuncupari productiones. Ita Alviz, & Puteanus. Alij verò docent esse verè actiones absque imperfectionibus, quæ in creatis reperiuntur, ad modum quo scientia in creatis est accidens, sed in Deo nullam dicit imperfectionem, sicut nec actiones, vel operationes ad extra, quas omnes in Deo admittunt. Unde si aliquandò processiones divinę dicuntur emanationes intelligibiles, hoc dicitur contrapositivè ad processionem secundùm quod est in corporalibus, vel contrapositivè ad actionem transeuntem. Et quæcumque alia objiciantur, quæ imperfectionem significent, intelligenda sunt de actione creata ut tali, non verò in communi.

5 Scotistæ docentes cum Subtili D. processiones divinas esse veras actiones, negant esse ipsum *intelligere* essentiale, & absolutum, & dicunt processionem activam Verbi consistere in *dictione*, quæ ex natura rei distinguitur ab intellectione communi tribus personis. Unde solvunt rationem dubitandi, quia *dicere*, in quo consistit processio activa Verbi, est actio propria intellectus paterni. Et idem dicendum est de spiratione activa respectu volitionis, ac de dictione respectu intellectionis. His adhæret P. Tyrso docens, dictionem Verbi adæquatè distingui ab intellectione. Et pro hoc allegat plures ex Societate.

6 Communis tamen sententia Thomistarum, docens istas processiones esse veros actus intelligendi, & amandi, non admittit, dictionem Verbi esse actum formaliter, & ex æquo distinctum ab intelligere, sed omninò idem. Solvit autem rationem dubitandi, quia actiones istæ important, & modifican-

cantur per relationes, ita ut generatio importet præter intellectionem relationem paternitatis, & spiratio relationem Spiratoris: unde unicum velle essentiale modificatum per relationem Spiratoris producit Spiritum S. & sic non est commune tribus personis; & unicum intelligere essentiale modificatum relatione paternitatis habet rationem dictionis, & sic est proprium Patris. Ita & ex nostris Fundamentalis D. *in* 1. *dist.* 32. *princ.* 2. *quæst.* 1. Argentinas, Gerardus, Gregorius, Alviz à *sect.* 5. *præcipuè sect.* 8. Gibbon, Antolinez, Bernardinus, Cornexo, & Gamboa Salmanticenses, Gavardi, & alij.

7 Dicimus 2. *Processionem Verbi activè sumptam includere formaliter intellectionem*, seu dictionem non esse actum ex æquo distinctum ab intellectione. Idem dicendum est de spiratione activa. Prob. ex August. 15. *de Trin. cap.* 7. dicente: *Filius est intelligentia Patris de intelligentia genitus. sapientia est genita de sapientia.* Idem habet *cap.* 14. Sed sapientia, & intelligentia formaliter cognitionem nominant: ergo dicere per quod procedit Verbum formaliter est intelligere. *Rursus* ibi *cap.* 14. ait: *Sciunt ergo invicem Pater, & Filius; sed ille gignendo, iste nascendo.* Sed si generatio activa Verbi non includit formaliter intelligere, vel scire, Pater gignendo non scit: ergo processio activa Verbi formaliter includit intellectionem. Unde D. Thom. 4. *contra Gentes, cap.* 11. ait: *Intellectus intelligendo concipit, & format Verbum.* Sed si *intelligere* esset actus ex æquo à dictione distinctus, non ex intelligere exprimeretur Verbum, sed potius ex eo quod quis haberet aliam actionem ab intellectione distinctam: ergo quia dicere est formaliter intelligere. Ex hoc directe rejicitur sent. P. Tyrso docentis, Patrem non cognoscere per actum per quem producit Verbum, sed tantum communicare illi naturam, & producere relationem.

8 Confirm. Si dicere non importat formaliter intelligere, seu actum essentialem, importaret tantum actum relativum, seu puram relationem, quia in divinis ultra absoluta essentialia, non dantur nisi relativa; sed illud dici nequit: ergo. Prob. min. 1. Si dicere ut distinctum ab intelligere esset id in quo consistit processio activa Verbi, essentia divina non esset ratio formalis, & principium *quo* producendi Verbum, & per consequens Verbum non esset genitum; quia non procederet formaliter per naturam, cum natura divina non influeret in productionem Verbi, sed præcisè actus relativus. 2. Filius

non procederet ſimilis Patri ex vi ſuæ proceſsionis: ſi enim *dicere*, per quod procedit, non ſumitur ut formaliter idem cum *intelligere*, principium talis proceſsionis attenderetur tantùm ſecundùm relativum Paternitatis: ſed ſecundùm relationem non attenditur in divinis ſimilitudo, ut expreſsè docet D. Thom. *hìc quæſt.* 36. *art.* 4. *ad* 3. & *quæſt.* 42. *art.* 4. *ad* 2. ergo Filius formaliter non procederet ut ſimilis Patri; & per conſequens non procederet, ut genitus.

3. Juxta communem locutionem PP. Pater intelligendo ſe producit Filium: ſed ſi *dicere* non importat formaliter intelligere eſſentiale, Pater non producit Filium intelligendo ſe: ergo. *Rurſus.* Verbum non procederet formaliter, ut ſapientia genita, vel ut Verbum, ſi dictio eſſet diſtincta ab intellectione. 4. Si dicere importaret tantùm relativum, diceret repugnantiam ad communicationem, quia importaret incommunicabilitatem: ergo proceſsio activa conſiſtere nequit in dictione, quæ ex natura rei diſtinguatur ab intellectione abſoluta, & eſſentiali.

Quinto. Si dicere non importaret formaliter intelligere eſſentiale, daretur in Deo intellectio notionalis, & relativa virtualiter ab abſoluta diſtincta: ſed hoc non eſt dicendum: ergo. Prob. min. tùm quia daretur in Deo duplex intellectus, unus abſolutus, alter relativus, quod eſt falſum. Tùm quia ſicut non diſtinguimus in Deo duplicem miſericordiam, ſed unam tantùm, quia eſt infinitè perfecta intra proprium genus; ita nec duplicem actionem intelligendi, quia actio eſſentialis eſt infinitè perfecta in ratione intellectionis.

9 Quod autem proceſsiones activè ſumptæ ſint ipſimet actus eſſentiales intelligendi, & volendi cum modificatione relationis Paternitatis, & Spiratoris prob. Ad rationem principij productivi ad intra requiritur eſſentialiter habitudo producentis ad terminum productum, adeoque diſtinctio realis ab illo: ſed ſi intellectio, & volitio eſſentialis à modificatione relationis Paternitatis, & Spiratoris ſeparentur, non dicunt habitudinem ad terminos productos, ſed intelligentis, & volentis ad rem intellectam, & volitam, ut docet D. Thom. *hìc quæſt.* 34. *art.* 1. *ad* 3. nec diſtinguuntur realiter à Filio, & Spiritu S. quia ubi non conſideratur habitudo originis in divinis, nec datur realis diſtinctio: ergo relatio Paternitatis pertinet ad conſtitutionem generationis Verbi, & relatio Spiratoris ad conſtitutionem potentiæ ſpira-

ti-

tivæ. *Conf.* Actualis productio Verbi in divinis est formaliter ipsum intelligere, non autem dicere ex natura rei distinctum ab intelligere, ut probavimus: sed nequit dici quod illud dicere dicat præcisè aliquid absolutum; quia hoc est commune tribus personis; & in Filio, & Spiritu S. *intelligere* non exprimit Verbum: ergo dictio superaddit intellectioni essentiali aliquid relativum: & sic intellectio divina, ut modificata per relationem Paternitatis est dictio.

10 Variant AA. in assignando modo, quo relationes importantur: Gonet enim, & alij frequenter, docent importari in obliquo, & tamquam connotatum: Illust. Montalvan, N. Alviz, & alij tenent, ista nomina *processio activa*, *generatio*, *dictio*, & *spiratio* importare in recto actionem, & relationem. Alij se explicant docendo concurrere, ut conditiones *sine quibus non*. Sic Gavardi. Per oppositum Gibbon cum Antolinez, & Cornexo tenet relationes esse complementum essentiale potentiæ generativæ, & spirativæ: prædicatum autem ingrediens essentiam rei nequit propriè dici tantùm conditio *sine qua non* respectu illius.

11 Existimo tamen, hoc dissidium multum habere de voce, nam qui docent relationem importari in obliquo, vel tamquam conditionem, id affirmant ut salvetur, intellectionem ratione suæ infinitatis habere in se formaliter quidquid in recto requiritur ad expressionem Verbi. Qui autem docent, importari in recto, etiam fatentur totam vim activam productionis intellectioni, & amori competere; relationes autem significari ut determinationes, seu individuationes prædictarum actionum, quod totum admittunt primi AA. & quilibet modus dicendi sufficit ad Scoti, & aliorum sent. impugnandum. Unde dum illi renuunt concedere relationem importari in recto, tantùm videntur intendere, quod tota vis activa generationis, seu spirationis relationi non attribuatur: quod vitant posteriores AA. docendo relationes tantùm significari, ut determinationes intellectionis & volitionis, non ut rationes formales, seu vis activa intelligendi, & volendi. Et hoc est quod docet D. Th. *quæst. 9. de Pot. art. ult. ad* 10. *Generatio*, inquit, *est opus divinę naturæ prout est in persona Patris.* Et ibi *quæst. 2. art. 5. Ipsa genenatio est Dei actio, sed prout est Patris tantùm, & similiter ipsa potentia generandi est Dei omnipotentia, sed prout est Patris tantùm.* Quando

do autem ait *loco priùs laud. ad* 3. *Generare in divinis non significat aliquid absolutum, sed solam relationem*, per hoc non excludit intellectionem à constitutione processionis activæ, quia hoc opponitur primæ auctoritati, sed loquitur de actione notionali secundum conceptum differentialem; in quo sensu actiones personales, vel origines solam habitudinem, vel relationem important.

§. II.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

12 ARg. 1. ex D. Thom. *hìc quæst. 34. art. 1. ad 3.* ubi ait: *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solùm informatio quædam in intellectu nostro... sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum: nihil enim aliud est dicere, quàm proferre verbum; sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti.* Ergo dictio respicit verbum: hoc autem non respicit intelligere, sed solam essentiam divinam: ergo habent objecta diversa, & per consequens differunt formaliter. *Resp.* quòd dicere non specificatur à verbo producto, prout verbum dicit modum superadditum essentiæ objecti, sed specificatur ab essentia objecti Verbo communicata, & essentiam sic respicit ipsum intelligere. Unde solùm probatur, quod intelligere essentiale se solo non est dicere nisi cum speciali modificatione intellectioni virtualiter superaddita: sed non probatur, quòd dicere non includat formaliter intelligere; includit enim illud cum modificatione asignata.

Arg. 2. Intellectio adæquatè sumpta, concipitur sine dictione, & è converso, Filius enim, & Spiritus S. intelligunt, & non dicunt, ut docet D. Th. ibi cum August. ergo intellectio & dictio sunt duæ actiones adæquatè diversæ. *Resp.* intellectionem posse concipi sine dictione secundùm illud quod dictio dicit, vel connotat de relativo; non autem secundùm illud, quod dicit de actione; & ideò intellectio, & dictio non sunt duæ actiones adæquatè diversæ, sed una, cum diversitate tantùm asignata à D. Thom. *num. præced.* Licèt autem intellectio existat sub tali formalitate, & non sub munere dictionis; hoc non est quia deficiat aliqua actualitas actionis, sed tantum connotatio, seu habitudo, ad verbum. Ex dictis autem à *num-*

mer.

mer. 7. constat non posse dari conceptum dictionis sine conceptu intellectionis: ergo licet è converso dari possit conceptus intellectionis sine conceptu dictionis, non sequitur, dictionem non involvere formaliter intellectionem.

14 Arg. 3. Intelligere essentiale est commune tribus personis; dicere verò est proprium Patris: sed proprium distinguitur virtualiter à relativis: ergo dicere, & intelligere virtualiter distinguuntur. *Resp.* disting. maj. Dicere est proprium Patris secundùm entitatem formalem actus, quem importat in recto, nego. Ratione modificationis annexæ, conc. Sed hoc non sufficit ad distinctionem virtualem, sicut licèt essentia prout modificata paternitati sit in solo Patre, prout modificata filiatione in Filio, & prout modificata spiratione passiva sit in Spiritu S. tamen non sunt tres essentię virtualiter distinctæ, sed una cum tribus modificationibus. Sic juxta D. Thom. *laud. num.* 11. potentia generandi est propria Patris, & tamen hoc non habet quantùm ad essentiam, quæ significatur, quia in hoc sensu *potentia generandi communis est tribus personis*, sed solùm illud habet *quantùm ad notionem, quæ connotatur*, sic enim *propria est personæ Patris*: & hac distinctione utitur S. D. *hìc quæst.* 41. *art.* 5. *ad* 3.

15 Ex his constat, quid dicendum de processionibus passivis, nam sicut intellectio prout in Patre est generatio activa, ita ipsum intelligi ut in Filio, seu ut modificatum filiatione est nativitas, & origo passiva. Similiter velle ut modificatum relatione Spiratoris est potentia spirativa, seu processio activa Spiritûs S. & ipsum velle, seu amor ut modificatus relatione Spiritûs S. est processio passiva ipsius. Quæ amplius patebunt *ex art. seq.*

ARTICULUS IV.

QUODNAM SIT PRINCIpium quo *divinarum processionum?*

§. I.

QUIBUSDAM NOTATIS, statuitur prima conclusio.

1 NOn loquimur de principio *quod* divinarum processionum, certum enim est, suppositum Patris esse principium *quod* processionis Filij; & Patrem & Filium esse principium *quod* processionis Spiritus S. quia actiones sunt suppositorum; & ita diffinitum est in Conc. Later. sub Innoc. III. *cap.*

cap. *Firmiter*, ubi dicitur, quod natura *non est generans, nec genita, nec procedens: sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus S. qui procedit; ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura.* Dubium est de principio *quo* tàm remoto, quàm proximo; in Patre enim & Filio producentibus Spiritum S. invenitur natura, relationes, & aliæ perfectiones absolutæ; & quærimus quomodò illis competat ratio principij *quo*? supposito quòd naturæ divinę competit esse principium *quo* radicale processionum: unde præcipuè agimus de principio proximo.

2 Supponimus 2. dari in Deo aliquod principium *quo*, seu veram potentiam generativam, & Spirativam. Contrarium docuit Aureolus, dicens in Deo non magis esse potentiam respectu Filij v. gr. quàm respectu Patris, qui est prorsus improducibilis: unde juxta ipsum tantùm datur non repugnantia terminorum. Sed hæc positio non tenet, quia ex dictis ex Scriptura, & Conciliis constat, in Deo esse veras, & reales processiones passivè sumptas: ergo in ipso datur vera potentia generativa, & spirativa; à vero enim & reali actu ad veram, & realem potentiam tenet consequentia. Unde Aug. 5. *de Trin. cap.* 14. *Si gignens ad id quod gignitur principium est, Pater ad Filium principium est, quia gignit eum.* Et *lib.* 3. *contra Maxim. cap.* 1. & 12. *Si Deus Pater non potuit generare Filium sibi æqualem, ubi est omnipotentia Dei Patris?* Ex quibus infert D. Thom. *hìc quæst.* 41. *art.* 4. *in corpore: Est ergo in divinis potentia respectu actuum notionalium.* Et rationem assignat, quia potentia generandi significat id, quo generans generat: sed omne generans generat aliquo: ergo in omni generante oportet ponere potentiam generandi, & in spirante potentiam spirandi.

3 Sed adverte hanc potentiam non poni in Deo respectu actuùm intelligendi, & volendi, ut essentiales sunt, sed respectu terminorum, qui per illos producuntur, seu respectu actuum notionalium, ut tangentium personas. Unde D. Thom. *ibi ad* 3. inquit: *Respectu illarum actionum secundùm quas aliquæ res procedunt distinctæ à Deo, vel essentialiter, vel personaliter, potest Deo attribui potentia secundùm propriam rationem principij. Et ideò sicut potentiam ponimus creandi in Deo, ita possumus ponere potentiam generandi, vel spirandi. Sed intelligere, & velle non sunt tales actus, qui designent processionem alicujus rei à Deo distinctæ, vel essentialiter, vel per-*

personaliter. Unde respectu horum actuum non potest salvari ratio potentiæ in Deo, nisi secundùm modum intelligendi, & significandi, prout diversimodè significatur in Deo intellectus, & intelligere, cùm tamen ipsum intelligere Dei sit ejus essentia non habens principium. Idem habet *quæst.* 25. *art.* 1. *ad* 3. Ratio est, quia inter potentiam realem, & actus verè elicitos, seu realiter procedentes, est necessaria distinctio realis, sed hæc non intercedit inter potentiam generativam, & intelligere Patris: ergo potentia secundùm rem tantùm datur respectu terminorum, qui à principiis ratione oppositionis relativæ realiter distinguuntur.

4 Dices pro Aureolo. Eadem est potentia qua quis potest filium generare, & qua est potens se facere patrem: sed in Patre Æterno non est realis potentia, ut se faciat Patrem, sed sola non repugnantia terminorum: ergo in illo non est realis potentia ad generandum Filium.

Resp. dist. min. Non est realis potentia, ut sit Pater, si paternitas consideretur, ut forma hypostatica, & constitutiva primæ personę, conc. Si consideretur, ut relatio in actu exercito referens primam personam ad Filium, nego: sic enim eadem est potentia, qua Filius generatur, & qua denominatur Pater.

5 Durandus tenuit processiones divinas esse ab ipsa natura immediatè, ita ut si per impossibile non esset intelligens, nec volens, adhuc propter infinitam ipsius fœcunditatem duę processiones divinæ ab ipsa dimanarent. Unde excludit à ratione principij *quo* proximi intellectum, & voluntatem. Alij, quibus etiam favet Durandus, docent, principium *quo* processionum esse unicè relationem, & pro hac stat P. Tyrso, Dionys. Carthus. & S. Bonav. Tertia Sent. adintegrat potentiam notionalem ex absoluto, & relativo in recto ingredientibus. Ita Henric. Albert. Magn. Zuñiga, & alij. 4. constituit potentiam istam, & principium *quo* per aliquid absolutum connotans relativum. Ita Nostri Ægidius, Gerardus, Argentinas, Toletanus, Puteanus, Conson, in locis à Gavardi citatis, & illis subscribit ipse, Sichrovvsky, & Comitibus. Gibbon, allegans Antolinez, Cornexo, Bernardinum, & Gamboam in M. S. Ita etiam Thomistæ, Scotistæ; Suarez, Vazquez, & Molina apud Illust. Montalv. cum aliis ex Societate. Sententia Durandi à multis censetur temeraria, ab aliis in fide periculosa, imò Bancel ait esse errorem in fide. Rejicietur statuendo, intellec-

tum, & voluntatem esse principium *quo* proximum processionum.

6 Dicimus 1. *Principium quo divinarum processionum non esse aliquid relativum nudè sumptum.* Prob. ex Aug. sæpè dicente Verbum esse intelligentiam de intelligentia, & sapientiam de sapientia: sed sapientia non nominat aliquid tantùm relativum, quia sapientia essentialiter, hoc est absolutè, intelligitur, ut docet Aug. 7. *de Trinit. cap.* 2. ergo principium *quo* processionis Filij non est sola relatio. Et Ansel. *lib. de Processione Spiritus S. cap.* 7. inquit: *Erit igitur divina essentia in Spiritu S. non de Deitate Patris, sed de relatione, quod stultissimum est dicere.* Et *cap.* 15. asserit, quod hæc opinio, quam impugnamus, *sua se patenti fatuitate suffocat.*

7 Ratio est. Relatio nequit esse virtus operativa, cùm nullius sit activitatis: ergo nequit esse principium *quo* proximum processionum, quia tale principium debet habere virtutem operandi. *Conf.* Relatio divina considerata ut forma hypostatica constituens personam non est operativa ut quo: aliàs nec ut relatio in actu exercito: ergo. Prob. maj. ex D. Thom. *hìc quæst.* 41. *art.* 5. dicente, quod *Paternitas est proprietas personalis habens se ad personam Patris, ut forma individualis ad aliquod individuum creatum. Forma autem individualis in rebus creatis constituit personam generantem, non autem est quo generans generat, alioquin Socrates generaret Socratem: unde nec Paternitas potest intelligi ut quo Pater generat, sed ut constituens personam generantis, alioquin Pater generaret Patrem.* Prob. min. quia relatio ut in actu exercito solùm respicit suum terminum, ut purum terminum, cui opponitur: ergo non est virtus productiva illius; unum enim oppositorum qua tale non est virtus productiva sui oppositi.

8 Aliam rationem insinuat ibi D. Thom. dicens: *Id quo Pater generat est natura divina, in qua sibi Filius assimilatur.* Ex quo constat, quod cùm personæ divinæ non assimilentur personæ producenti in relativo, sed in absoluto, purum relativum nequit esse principium *quo* processionum. Deinde prob. ab inconvenienti, quia si relatio esset productiva ad intra, esset etiam productiva ad extra, sicut ex eo quod ex se sit potens terminare naturam divinam ad intra, esset etiam potens illam terminare ad extra: sed illud non est dicendum: ergo. Prob. min. quia aliàs productiones ad extra non essent indivisæ, & tribus personis

nis communes, sed darentur tres virtutes operativæ ad extra. Et sicut una persona potest terminare naturam creatam, quin aliæ personæ illam terminent; ita etiam una sola persona posset aliquam creaturam producere: ergo quia relatio non est ex se principium productivum. Ex quo etiam patet, relationem non ingredi in recto constitutionem principij *quo* processionum; ex supradicta enim ratione intulit D. Thom. ibi, quod *potentia generandi significat in recto naturam divinam, sed in obliquo relationem*, ex quibus.

§. II.

ASSIGNATUR CONSTITUtivum principij proximi divinarum Processionum.

9 DIcimus 2. *Principium* quo *proximum generationis Verbi, seu potentiam generativam constitui per intellectum divinum ut modificatum relatione paternitatis: & principium* quo *proximum productionis Spiritus S. seu potentiam spirativam consistere in divina voluntate ut modificata relatione Spiratoris; ita ut actio, seu intelligere ingrediatur in recto, relatio verò in obliquo, & de connotato.*

Sed ante probat. nota, quod loquendo de potentia spirativa clarè constat distinctio principij *quo* radicalis & proximi; nam radicale est natura divina, ut radix voluntatis; proximum est ipsum velle, non absolutè sumptum, sed ut dicens relationem Spiratoris. Loquendo verò de potentia generativa non eodem modo apparet distinctio inter utrumque principium, nam ipsum intelligere actuale est ipsa natura sivè essentia divina, ut diximus agentes de constitutivo naturæ divinæ. Si ergo ipse intellectus constituit metaphysicè naturam, idem erit principium radicale, & proximum. Non sic loquendo de voluntate, quia velle non constituit metaphysicè naturam, & sic natura est principium radicale respectu potentiæ spirandi; ipsa verò voluntas est principium proximum *quo*:

Nihilominus dicimus, salvari in principiis nostris aliquam distinctionem inter utrumque principium, nam ex modo concipiendi, & significandi præintelligitur intelligere radicale ad actuale, ut docet D. Thom. *hìc quæst.* 41. *art.* 4. *ad* 3. & nec intelligere eodem modo se habet ad constituendam naturam, ac ad processionem activam; nam est principium *quo* proximum generationis, ut modificatum relatione Patris; sub hac ve-

verò modificatione non est metaphysicum constitutivum essentiæ divinæ, aliàs non eadem essentia esset in Patre, ac in Filio. Ut ergo connotat Paternitatem erit principium proximum; absolutè verò considerata erit principium radicale. Dum N. Gregorius ait principium *quo* utriusque productionis non distingui à principio *quod*, intelligendus est de distinctione ex natura rei, vel reali, non de virtuali, vel ex modo significandi.

10 Nota etiam, intellectionem connotare Paternitatem non esse quid fictum ab intellectu nostrò, quia independenter ab omni fictione datur in Deo vera potentia generativa, quæ necessariò connotat paternitatem. Hæc autem connotatio nihil aliud est quàm quidam realis notionalis modus essendi intellectionis in Patre, ratione cujus producit terminum, quem intellectio in alio producere non valet; sicut non quælibet curvitas est similitas; hæc enim involvit specialem modum essendi in naso. Sic etiam calor qui est ejusdem speciei in viro, & fœmina, in hac est potens generare lac, in illo non ita. Similiter calor in gallina incubante ovis producit animal, quod non quivis alius calor producere valet. Ita dicimus, quod licèt intelligere sit commune tribus personis, non cuilibet competit generare, quia potentia generativa non dicit intellectum absolutè, sed cum connotatione paternitatis, defectu cujus modi, & realis conjunctionis idem numero intellectus in aliis personis non generat. Paternitas igitur, quæ essentialiter connotatur se habet in obliquo, intelligere principaliter, & in recto, ut patet in exemplis datis. Et idem dicendum proportionaliter de potentia spirativa.

11 Prob. ergo ex illo Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et, *Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti à Patre.* In quibus Unigenitus Dei Filius absolutè dicitur Verbum. Et August. 7. *Trin. cap.* 2. *Eo Filius, quo Verbum; & eo Verbum, quo Filius.* Ex quibus. Sed Verbum non procedit immediatè à natura, sed mediante intellectu, ut omnes fatentur: ergo principium *quo* proximum processionis Filij est intellectus Patris. Item 1. Joan. *cap.* 4. *Deus charitas est.* Supra quæ Aug. 15. *Trin. cap.* 17. *Si propriè aliquid horum trium charitas nuncupanda est, quid aptius, quàm ut hoc sit Spiritus S... propriè Spiritus S. charitas nuncupetur.* Et infra: *Hìc manifestavit* (Joannes) *eam se dixisse dilectionem Deum, quam di-*

dicit ex Deo. Deus ergo ex Deo est dilectio. Sed quia Filius ex Deo Patre natus est, & Spiritus S. ex Deo Patre procedit, quem potiùs eorum hìc debeamus accipere, dictum esse dilectionem Deum, meritò quæritur. Probat autem, id competere Spiritui S. ex verbis ipsius Joan. ibid. dicentis : *in hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis : quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Spiritus itaque S.* inquit Aug. *de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, & ipsum in nobis; hoc autem facit dilectio : ipse est igitur Deus dilectio.* Sed dilectio procedit à natura per voluntatem, ut patet : ergo Spiritus S. procedit immediate per velle Patris, & Filij.

12 Respondet Durandus, Filium non dici Verbum, nec Spiritum S. amorem per proprietatem, sed per accommodationem ad operationes intellectus, & voluntatis; processio enim Filij est prior processione Spiritûs S. & ideò illa dicitur esse per intellectum, quia operatio intellectus ex natura sua prior est operatione voluntatis. *Sed contra*, quia Verbum *eo Filius, quo Verbum* : ergo si non est Verbum per proprietatem, non erit Filius nisi per accommodationem.

13. Quæ non sunt pròpria, sed appropriata Personis, tribus conveniunt, ut patet in omnipotentia, sapientia, & bonitate, quæ per specialem quamdam convenientiam singulis personis adaptantur, v. gr. sapientia Filio, quia pertinet ad intellectum, per quem ille procedit : si igitur esse Verbum Filio convenit per appropriationem, Patri etiam conveniet esse Verbum, sicut convenit esse sapientiam; undè Verbum non erit persona distincta à Patre, sicut asserebant Sabelliani : & Filius non esset Verbum divinum secundùm proprietatem, quod volebant Ariani, docentes Filium non esse Deum, sed creaturam. Unde D. Thom. *hìc quæst.* 34. *art.* 1. *ad* 1. *Ariani conati sunt, cum Filius Dei verbum dicitur, adstruere non esse propriè dictum.* Unde favet Arianis, & etiam Alogianis, qui, teste P. August. *Hæresi* 30. *Sic vocantur tamquam sine Verbo* (logos *enim Græcè verbum dicitur*) *quia Deum Verbum recipere noluerunt, Joannis Evangelium nespuentes*, in quo expressè hæc veritas continetur.

14. Si Verbum esset commune Trinitati, & tantùm appropriatum secundæ Personæ, sequeretur, quòd dum dicitur *Deus erat Verbum*, & *Verbum caro factum est*, tres divinæ Personæ forent incarnatæ, licèt Incarnatio soli Filio appropriaretur, quod esse contra fidem nemo nes-

nescit: sicut licèt Pater dicatur Creator (juxta illud *Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem Creatorem*) per appropriationem (quia scil. sicut omnipotentia creatrix est principium rerum ad extra, ita Pater est primum principium ad intra) omnes tamen personæ indivisè creant, & sunt omnipotentes.

13 4. Si Filius procederet verè, & propriè immediatè per naturam, & tantùm per appropriationem procederet per intellectum, Filius eo esset Verbum, quo sapientia essentialiter dicta, vel prout sapientia est idem ac essentia: sed juxta Augustt. 7. *de Trin. cap.* 2. *Verbum & sapientia est, sed non eo Verbum, quo sapientia; Verbum enim relativè, sapientia autem essentialiter intelligitur*: ergo principium proximum processionis Filij non est essentia, seu sapientia essentialiter dicta, sed notionaliter, in quo sensu sumitur dum Verbum dicitur sapientia de sapientia, seu natum de Patris sapientia, vel de Patre scientia, ut loquitur Aug. 15. *Trin. cap.* 13.

14 Prob. 2. ex D. Thom. *quæst.* 2. *de Pot. art.* 2. *in fine corp. Si natura communis sit principium alicujus operationis, quæ solum Patri convenit, oportet quod sit principium secundùm quod competit proprietati personali Patris. Et propter hoc in ratione potentiæ includitur quodammodò paternitas, etiam quantùm ad id quod est generationis principium. Et propter hoc dicendum est, quod potentia generandi simul essentiam, & notionem significat.* Quod autem notio, vel relatio non ingrediatur ex æquo, & in recto, docet S. D. *ibi ad* 5. *Dicendum, quod in qualibet generatione principium generationis* PRINCIPALITER *non est aliqua forma individualis, sed forma quæ pertinet ad naturam speciei. Paternitas autem non est in Patre per modum formæ speciei, sicut humanitas in homine, sic enim in eo est divina natura; sed est in eo, ut ita dicam, sicut principium individuale; est enim proprietas personalis. Et ideò non oportet, quod sit generationis principium principaliter, sed quodammodò cointellectum ratione suprædicta: aliter sequeretur quod Pater per generationem non solùm Deitatem, sed paternitatem communicaret.* In quibus, & à ratione, & ab inconvenienti nostram conclus. probavit quoad utramque partem. Quod etiam docet *ibi art.* 4. *ad* 1. *Generatio est opus naturæ divinæ cum quadam concomitantia personalis proprietatis Patris; unde non oportet quod conveniat Filio, in quo natura divina sine ta-*

tali proprietate invenitur. Et ibid. quæst. 9. art. ult. ad 2. *Posse generare consequitur naturam divinam prout est in persona Patris. Quod patet ex hoc quòd Pater non constituitur persona incommunicabilis nisi ex ipsa paternitate, quæ competit ei secundùm quod est generans, & ideò non sequitur, quòd Filius, licèt sit perfectum suppositum divinæ naturæ, possit generare.* Recolantur dicta *num.* 7. & 8.

§. III.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

15 ARg. 1. Juxtà Athanas. *Dial.* 1. *de Trin. Pater hypostasi gignit:* ergo principium *quo* generationis est paternitas, seu hypostasis. Et D. Thom. *in* 1. *dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 3. ait: *Generatio non egreditur ab essentia in quantum essentia, sed in quantum est paternitas. Et si ista duo, scil. essentia, & paternitas differrent in divinis, egrederetur ab utroque generatio, sed à paternitate immediatè, & ab essentia sicut à primo principio.* Sed essentia, & paternitas distinguuntur virtualiter: ergo generatio est immediatè à paternitate. *Resp.* ad 1. Patrem gignere hypostasi non ut principio *quo* proximo, vel remoto, sed ut complemento, vel modificatione essentialiter connotata. Et eodem modo exponendæ sunt aliæ auctoritates similis locutionis.

Ad auctorit. D. Thom. respondet Cajetanus, & Illust. Montalv. S. D. mutasse sententiam in Summa. Sed dicimus, quod hæc auctoritas conciliari potest cum iis, quæ docet in Summa, dicendo, quod sive paternitas, & essentia distinguerentur realiter, sive tantùm virtualiter, generatio non egrederetur ab essentia in quantùm præcisè est essentia, sed ab illa in quantùm habet rationem alicujus notionis: unde dum dicitur, quod esset à paternitate immediatè potest exponi, quòd esset immediatè ab illa tamquam à complemento rationis formalis, seu connotato; non verò tamquàm à ratione formali, ita ut potentia generandi dicat pro ratione formali relationem, quia hoc esse non potest, ut prob. D. Thom. *hic quæst.* 41. *art.* 5. *in corp. Quidam*, inquit, *dixerunt, quod potentia generandi significat relationem in divinis. Sed hoc esse non potest.* Et infra: *Sic igitur dicendum est, quod potentia generandi* PRINCIPALITER *significat divinam essentiam, ut Magister dicit* 7. *dist.* 1. *Sent. non autem tantùm relationem,*

nec

nec etiam essentiam in quantum est idem relationi ut significet ex æquo utrumque. En etiam ex Sententiariis deducit S. D. essentiam significari principaliter in potentia generandi: ergo dum in Sent. asserit generationem à paternitate immediatè ly *immediatè* non significat paternitatem principaliter, & in recto, sed esse ab illa immediatè tamquam à complemento, vel connotato.

16 Arg. 2. Principium, & principiatum secundum Philos. 1. *Ethic.* realiter distinguuntur: sed sola paternitas realiter distinguitur à Filio, non essentia: ergo paternitas, & non essentia est principium Filij. *Resp.* cum D. Thom. *hic quæst.* 41. *art.* 5. *ad* 1. & *quæst.* 2. *de Pot. art.* 2. *ad* 3. quod licèt principium *quod* debeat realiter distingui à genito, secus principium *quo*, nisi ad summum in creatis propter imperfectionem generationis.

17 Instabis. Principium realiter refertur ad principiatum: sed ad hoc requiritur distinctio realis, cùm nihil realiter referatur ad seipsum: ergo principium *quo* debet esse distinctum à termino. 2. Principio *quo* magis competit ratio principij, quàm principio *quod*, cùm illud sit principium ratione sui, hoc autem ratione illius: & illud se toto est principium, hoc autem non se toto, sed ratione principij *quo*: ergo si principio *quod* competit realis distinctio à termino, illa potiùs competit principio *quo*.

Resp. ad 1. quòd principium *quo* quoad rectum non refertur realiter ad terminum, quia sic est illi communicabile; sed tantùm quoad obliquum. Ad 2. resp. quod principio *quo* magis competit ratio principij, loquendo de ratione principij *formalis*, non autem loquendo de ratione principij *totalis*, ex quo non sequitur quod si principio *quod* competit distinctio à termino, competat etiam principio *quo*, quia illud ultra principium formale dicit suppositum operans, & ideò dicit aliquid incommunicabile genito: principium autem formale debet esse communicabile genito, cùm pertineat ad virtutem, & perfectionem generantis: utrumque autem debet reperiri in perfectissima generatione, nam & requiritur personalis distinctio, quæ fit per relationem, & perfecta similitudo, quæ in consubstantialitate consistit, ut ait D. Thom. *hic quæst.* 41. *art.* 5. *ad* 1. *Id* quo *generans generat, est commune genito, & generanti, & tantò perfectius, quantò perfectior fuerit generatio: unde cùm divina generatio sit perfectissima, id* quo *generans generat est commune genito, & ge-*

generanti, & idem numero non solum specie; sicut in rebus creatis.

18 Inst. 3. Principium *quod* continet realiter principiatum, influit in illud, & illud realiter producit; & ex hoc ipso infertur distinctio illius à principiato, quia enim una persona realiter ab alia procedit, inferunt SS. PP. unam ab altera realiter distingui: sed principium *quod* tantum ratione principij *quo* continet principiatum, & illud realiter producit: ergo potius principium *quo* differt à principiato, quàm principium *quod*, quia *propter quod unumquodque tale, &c. Resp.* distinq. maj. Principium *quod* realiter continet *utcumque*, nego. Ut *quod*, vel *per modum suppositi*, conc. & ex hoc ipso differt à principiato, quia de ratione suppositi est incommunicabilitas, ergo continere per modum suppositi, & sic influere, est continere cum reali distinctione à re quam continet, & in quam influit. Et dist. min. Ratione principij *quo tamquam forma, virtute, & actualitate*, conc. *Tamquam supposito*, nego. Et ideò continere ratione principij *quo* sub illa ratione non probat distinctionem realem in perfectissimè continente, quia sic continere, cùm sit per modum actualitatis formæ, & virtutis, non importat incommunicabilitatem, sed potius communicabilitatem, ut idiximus *num. præc.*

19 Arg. 3. ad probandum principium *quo* processionis Spiritus S. constitui formaliter relatione Spiratoris, sic. Eo formaliter constituitur principium spirativum, à quo accipit unitatem: sed hanc habet ab unitate relationis Spiratoris: ergo. Maj. & min. probat D. Thom. *hìc quæst. 36. art. 4.* supposito ex Aug. 5. *Trin. cap.* 14. quod Pater & Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, *Dicendum, quod licèt hoc nomen* principium *significet proprietatem, tamen significat eam per modum substantivi. Unde numerum accipit à forma significata, sicut & alia substantiva. Sicut igitur Pater & Filius sunt unus Deus propter unitatem formæ significatæ per hoc nomen* Deus; *ita sunt unum principium Spiritus S. propter unitatem proprietatis significatæ in hoc nomine* principium. *Conf.* Principium *quo* est id, in quo procedens assimilatur ei, à quo procedit: sed Spiritus S. non procedit formaliter ut similis in natura, quia non procedit ut Filius: ergo natura divina non est principium *quo* in spiratione activa.

20 Resp. quod *principium* potest accipi *formaliter & relativè*, & sic de formali signifi-

cat relationem ad id, quod est ex principio; differtque à *potentia*, quæ non significat de formali relationem principij, alioquin esset in genere relationis, ut infert D. Thom. *hìc quæst.41. art.5. ad 1.* sed significat vim activam, supra cujus actionem fundatur relatio principij. 2. potest accipi principium *activè & fundamentaliter*, & sic coincidit cum potentia spirandi, ac per consequens in hoc sensu non constituitur formaliter per relationem. *Ad probat.* conc. quod ad sui unitatem formæ unitas desideratur; sed juxta duplicem acceptionem *principij* duplex forma attenditur, à qua in singulo sensu accipit unitatem; à relatione scil. si principium *relativè* sumatur, & à vi activa, si *activè*, & fundamentaliter accipiatur. Dum D. Thom. ex unitate proprietatis relativè intulit unitatem *principij*, illud relativè accepit; sed si activè, & fundamentaliter sumatur, unitas illius provenit à vi activa potentiæ spirandi, non à relatione, quia hæc supra activam spirationem fundatur, & eò est eadem relatio Spiratoris, quia virtus spirativa, & actio spirandi est eadem in utraque persona.

21 Ad conf. dic, quod non omnis actio intendit formaliter communicationem naturæ agentis, ut patet in actione productiva Spiritûs S. quæ supponit actionem summè communicativam naturæ; & quia est per voluntatem, quę non est formaliter assimilativa: & ideò Spiritus S. licèt non evadat formaliter similis principio *quo* ex vi processionis, evadit tamen similis secundùm proportionem, & identicè. Unde implicat, voluntatem esse principium *quo* proximum processionis Spiritûs S. & naturam non esse principium *quo* radicale illius, voluntas enim est proprietas naturæ ei in sui operatione deserviens.

22 Arg. 4. Denominatio propria debet provenire à forma propria: sed denominatio potentis generare est propria Patris: ergo non ab essentia, vel ab intellectu, qui aliis Personis convenit, sed à sola paternitate debet provenire. *Respondent* aliqui, quod potentia generativa est communis Filio, juxta illud Aug. 3. *contra Maxim. cap.12. post med. Filius non genuit Creatorem. Nec enim non potuit, sed non oportuit:* unde Filius potest generare filium; sed suppositâ paterna generatione est impossibilis alius terminus, & ideò non potest reduci ad actum unicè propter repugnantiam termini, sicut patet in potentia Dei ad producendum terminum infinitum. Si autem Filius non posset gene-

nerare; non esset æqualis Patri, quia ut ait Aug. 3. *contra Maximin. cap. 7.* loquendo de Patre, *Si non potuit generare sibi æqualem, ubi est omnipotentia Dei Patris?* Ergo si Filius non potest generare filium, non erit omnipotens sicut Pater.

23 Resp. cum D. Thom. *hìc quæst.* 41. *art. 6. ad* 1. quod *quamvis simpliciter concedendum sit, quod potentiam, quam habet Pater, habeat Filius; non tamen concedendum est, quod Filius habeat potentiam generandi, si* generandi *sit gerundium verbi activi, ut sit sensus, quod Filius habeat potentiam ad generandum. Sicut licèt idem esse sit Patris & Filij, non tamen convenit Filio esse patrem propter notionale adjunctum. Si tamen hoc quod dico* generandi *sit gerundium verbi passivi, potentia generandi est in Filio, id est, ut generetur.* Ratio autem est, quia in Deo ad intra non differt esse & posse: si igitur in divinis possent esse plures filij, essent plures filij; & ita essent plures personæ quàm tres, quod est hæreticum. Ita ibi in *Sed contra.* Ad auctoritatem Augustini respondet ibi D. Thom. *ad 2. dicendum, quod August. in verbis illis non intendit dicere, N. B. quod Filius posset generare Filium; sed quod hoc non est ex impotentia Filij quod non generet.*

Hoc autem explicatur per hoc, quod potentia generandi significat, & essentiam, & notionem: *unde quantum ad essentiam, quæ significatur, potentia generandi communis est tribus personis; quantum autem ad notionem, quæ connotatur, propria est personę Patris*, ait D. Thom. *hic quæst.* 41. *art.* 5. *ad* 3. Cùm ergo dicitur, quod non generare filium non est ex impotentia Filij, est dicere, quod non generare non provenit ex absoluto defectu potentię, seu ex eo quod in Filio non sit eadem potentia quoad absolutum, ac in Patre: *sicut* enim *eadem essentia quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio; ita eadem est potentia, qua Pater generat, & qua Filius generatur. Unde manifestum est, quod quidquid potest Pater, potest Filius*, ait D. Thom. *hìc quæst.* 42. *art. 6. ad* 3. Si autem dicas: ergo sicut Pater generat, etiam Filius potest generare; Respondet ibid. D. Thom. negando conseq. quia *mutatur quid in ad aliquid.* Est dicere ab æqualitate absoluta potentiæ absolutè consideratæ non valet consequentia ad potentiam *generandi*, quia dum dicitur *potentia* simpliciter, absolutum, hoc est *quid*, significatur; & in hoc sensu dicitur quod quidquid potest Pater, potest Filius. Cum autem dicitur *posse generare*,

significatur absolutum cum relativo, nam generatio, quæ importatur in obliquo, dum dico potentiam generandi, significat relationem: unde *mutatur quid in ad aliquid.*

24 Quod amplius constat ex D. Thom. *quæst. 9. de Pot. art. ult. ad 3. Dicendum, quod licèt Pater possit generare, non autem Filius, non tamen sequitur, quod potentiam aliquam habeat Pater, quam non habet Filius: eadem enim potentia est Patris, & Filij, per quam & Pater generat, & Filius generatur. Nam potentia absolutum quiddam est; & ideò non distinguitur in divinis, sicut nec bonitas, nec aliquid sic dictum* (hæc intellige de potentia absolutè, & simpliciter, quæ tribus personis est communis, sicut bonitas, non autem de potentia cum addito generandi, quia sic connotat notionem, in quo sensu prosequitur D. Thom.) *Generare verò, & generari in divinis non significant aliquid absolutum, sed solam relationem.* Ex quibus constat qualiter mutetur quid in ad aliquid in illa forma arguendi, & quod *non est concedendum, quod Filius habeat potentiam ad generandum.* Hęc aliis terminis alij explicant dicentes, in Filio esse potentiam generativam specificativè (& sic dicit quid absolutum) non autem formaliter reduplicativè, in quo sensu involvitur modificatio relationis.

25 Directè resp. ad argum. ex *num.* 22. quod ut denominatio potentis generarè sit propria Patris, non requiritur quod proveniat à sola paternitate, sed sat est, quod consequatur naturam prout est in persona Patris; vel quod dicat essentiam, connotando notionem; quia sic tantum convenit Patri, ut docet D. Thom. *hìc quæst. 41. art. 5. ad 3. Potentia generandi quantùm ad notionem, quæ connotatur, propria est personæ Patris.* Et *quæst. 2. de Pot. art. 5. in corp. Ipsa generatio est Dei actio, sed prout est Patris tantùm, & similiter ipsa potentia generandi est Dei omnipotentia, sed prout est Patris tantùm*, patet autem, quod, ut potentia generandi dicatur omnipotentia prout Patris tantùm, non est necesse, solam paternitatem intelligi, quia sola relatio non est omnipotentia Patris.

26 Ad auctorit. August. satis constat ex dictis: sed aliis terminis responderi potest, quod dum ait, *Neque enim non potuit*, negat impotentiam privativam, hæc enim non est adstruenda in Filio, quia ipsi nulla deficit potestas debita; sed non negat per ly *neque* non potentiam, seu impotentiam negativam, quæ non dicit im-

per-

perfectionem in Filio, quia ipsi, vel naturæ prout in ipso, nohi competit generare, sed tantùm naturæ divinę prout est in Patre. Ita respondet D. Thom. *quæst. 9. de Pot. art. ult. ad 1. dicendum, quod ideo dicit August. quod* non est dicendum, quod Filius non potuit generare, sed non oportuit, *quia non ex impotentia Filij est, quod non generat, ut hoc quod dicit* non potuit, *sumatur privativè, & non simpliciter negativè. Per hoc autem quod dicit, quod* non oportuit *significat, quod sequeretur inconveniens, si in divinis Filius alium filium generaret; quod quidem ex quatuor potest considerari, &c.* Negat ergo Augustin. quod Filius dicatur impotens generare, quia non datur defectus privativus, sed tantùm negativus, qui meliùs explicatur dicendo *non oportuit*, quàm dicendo *non potuit*; dum enim dicitur *non potuit*, videtur significari defectus privativus, qui imperfectionem involvit. Sic loquente D. Th. de potentia Dei erga impossibilia ait *hìc quæst. 25. art. 3. in corpor. Conveniêntiùs dicitur quod ea non possint fieri, quàm quod Deus non possit facere.* Ideò autem Filius est æqualis Patri in potestate, quia potentia, qua Filius generatur est eadem potentia, qua Pater generat, sicut eadem est essentia utriusque: & ideò Joan. 5. dicitur: *Quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit*; per quod pat. ad ult. quod sibi objecit D. Thom. *quæst. 42. art. 6. in 3.* & similiter solvit.

27 Arg. 5. Hæc propos. *essentia generat* damnatur in Concil. Lateran. sub Innoc. III. sed si esset principium *quo* generandi, propositio esset vera, quia principium *quo* generandi verè generat: ergo. Similiter est falsa hæc propos. *intellectus generat*: ergo intellectus non est principium *quo* proximum generationis, aliàs esset vera, sicut quia est principium *quo* proximum virtuale intellectionis, est verum dicere, *intellectus intelligit*. *Resp.* instando in hac propos. *Paternitas generat*, quæ non potest concedi, ut docet D. Thom. *hìc quæst. 32. art. 2. ad 2.* & tamen Paternitas juxta advers. est virtus generativa, ut *quo*: ergo. Ratio juxta D. Thom. est, quia *actus, qui dicitur de supposito secundùm modum secundum quem differt ab essentia, non potest de essentia prædicari; & hujusmodi est actus generandi, qui prædicatur de supposito Patris, secundùm quòd distinctum est à supposito Filij: unde non est concedendum, quod essentia generet, sed quod Pater generat virtute essentię.* Cum ergo dicitur *id generat*, intelligitur principium

quod sive suppositum secundùm quod differt à genito, & ideò hoc nequit prædicari de sola essentia, vel intellectu, quia hic non competit generanti, secundùm quod differt à genito, nec est principium *quod* propter eamdem rationem. Potest autem dici *intellectus intelligit*, quia actus essentialis non prædicatur de supposito secundùm modum, quo differt ab essentia, & propter eamdem rationem prædicatur de essentia quod creat, gubernat, &c. ut ait D. Thom. *in 1. dist. 5. quæst. 1. art. 1.*

28 Alia sunt argumenta Durandi, quibus ab oppositio intendit probare, processiones esse immediatè à natura, sed licèt generatio Verbi dicatur à PP. esse *opus naturæ*, vel ut Aug. ait 3. *contra Maxim. cap. 12. in fine*: *Filium genuit Patris natura.* Et 15. *de Trin. cap. 20. Verbum est Filius Dei natura*; ista verificantur, quia generatio Verbi est à natura ut à principio radicali, vel quia actio primordialis naturæ est virtus aut forma, qua suppositum Patris producit Verbum: unde & ipsum intelligere essentiale est actio, in qua consistit activa Filij processio, non præcisè ut actio essentialis est, sed ut est intelligere Patris, vel modificatum paternitate, & sic nec sola relatio, nec illa ex æquo, & in recto ingrediens est id in quo consistit ratio talis principij *quo*.

ARTICULUS V.

CUR PROCESSIO VERBI, & non Spiritus S. sit generatio?

§. I.

SUPPOSITA, ET EXPLICATA Verbi generatione, refelluntur sent. & impugnantur.

1 SUpponit titulus processionem Verbi esse generationem, sicut & Verbum Divinum esse Filium; ita enim constat ex Scriptura dicente Psal. 2. *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Et Psal. 112. *Ex utero ante lucifenum genui te*; id est, ut exponit Aug. ibi, *de me ipso, de mea substantia, hoc est ex utero, quia generationem ejus quis enarrabit?* Ex quibus constat hunc etiam Isai. textum intelligi de æterna generatione Verbi. *Ante lucifenum* exponit Aug. *ante tempora, ab æternitate.* Ratio, quia generationi Verbi competit diffinitio generationis viventium, quæ est *Origo viventis à principio vivente conjuncto in similitudinem naturæ*, ut docet D. Thom. *hic quæst. 27. art. 2.* Est enim

enim *origo viventis à vivente*; quia processiones divinæ sunt actiones vitales, & immanentes, & sic terminus per illas productus est vivens, & vitalis; non per modum accidentis, quod in Deo locum non habet: ergo per modum substantiæ; & sic generatio Verbi est origo termini vitalis substantialis à principio vitali. Unde dicitur Joan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio vitam habere in semetipso.*

Est etiam *à principio conjuncta*, quia est terminus vitalis actus immanentis, & sic manet intra idem principium, à quo producitur juxta illud Joan. 1. *Unigenitus qui est in sinu Patris.* Et, *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est?* cap. 14. Et denique procedit ex vi suæ processionis *simile Patri in eadem natura divina*, non solum specie, sed & numero; nam Filius dicitur *Colos. 1. Imago Dei*; sed imago, maximè perfectissima, qualis decet Deo de Deo, eamdem numero naturam continet, ac ille cujus est imago: ergo. *Rursus. Intelligere*, per quod procedit Verbum, est ipsa natura divina: ergo ex vi suæ processionis procedit in similitudinem naturæ generantis.

Objic. aliqua testimonia PP. in quibus dicitur, in Deo nec Patris, nec Filij rationem esse. Nec Filium, nec generationem Deitatis propriam esse. Sed per hæc tantum relegatur à divinis generatio admixta imperfectionibus, quibus in creaturis reperitur; per illam enim ad instar generationis creatæ intellectam, consubstantialitatem Filij Hæretici, contra quos PP. disserebant, latenter negabant.

2. Secundò supponit titulus processionem Spiritûs S. non esse generationem, adeoque Spiritum S. non esse Filium, ut fides docet, & colligitur ex illo Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Unigenitus autem idem est, ac solus genitus. Et licèt vocetur etiam *primogenitus*, utrumque exponitur ab Aug. *tom. 3. lib. de Fid. & Symb. cap. 4. Secundùm id quòd Unigenitus est, non habet fratres: secundùm id autem quod Primogenitus est, fratres vocare dignatus est omnes, qui post ejus, & per ejus primatum in Dei gratiam renascuntur per adoptionem filiorum.* Et, utrumque ita supposito complexus est Athanasius *in Symbolo dicens: Filius à Patre solo est, non factus nec creatus, sed genitus. Spiritus S. à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Cum autem etiam Spiritus S. procedat similis Patri in natura divina, & ipsi compariter re-

reliqua in diffinitione generationis asſignata, difficilè apparet inter utramque proceſsionem diſcernere, cur una ſit generatio, non altera. Unde Auguſt. 3. *contra Maxim. cap.* 14. *Quid*, inquit, *inter naſci, & procedere interſit, de illa excellentiſsima natura loquens, explicare quis poteſt... diſtinguere inter illam generationem, & hanc proceſsionem neſcio; non valeo, non ſufficio.* Quod etiam teſtatur *tract.* 99. *in Joann. in med.* quæ intelligenda ſunt de explicatione per rationes demonſtrativas. In quo ſenſu dixit etiam N. Gregorius ſe non poſſe rationem hujus reddere. Verùm SS. PP. ipſemet Auguſt. & Scholaſtici varias rationes diſcriminis meditati ſunt probabiles, & ſufficientes ad ejiciendas è fidelium mentibus indignas de hoc myſterio cogitationes, & refutandas infidelium, & hæreticorum argutias. Præcipuas in præſenti attingemus. Sed omittimus ſent. aliquorum antiquorum, aſſerentium, divinas proceſsiones ſeipſis diſtingui per hoc, quod proceſsio Verbi ſeipsâ eſt generatio, & proceſsio Spiritûs S. ſeipsâ eſt ſpiratio: ſpiratio autem ſeipſa diſtinguitur à generatione. Sed hoc eſt difficultatem fugere, quærimus enim an poſsit aſsignari aliqua congruentiæ ratio, cur Spiritûs S. proceſsio ſit ſpiratio, & non ſit generatio? Rurſus, rejicitur à D. Thom. *in* 1. *diſt.* 13. *art.* 2. & *quæſt.* 10. *de Pot. art.* 2. *in corp.* ubi ait: *Hoc autem* non poteſt eſſe verum, nam unumquodque diſtinguitur ab alio ſecundum ſpeciem per id à quo ſpeciem habet, & ſecundum numerum per id à quo individuatur: differentia autem inter proceſsiones divinas oportet, quòd ſit non ſolùm ſicut ea, quæ differunt numero tantum, ſed etiam ſicut ea, quæ differunt ſpecie, cum una ſit generatio, alia verò non. Relinquitur ergo quod proceſsiones divinæ diſtinguantur ſecundùm id à quo ſpeciem habent. Nulla autem proceſsio, nec operatio, nec motus habet ſpeciem à ſe, ſed ſortitur ſpeciem à termino, vel à principio. Unde nihil eſt dictu, quòd proceſsiones aliquæ diſtinguantur ſeipſis, ſed oportet, quòd diſtinguantur penes principia, vel *penes terminos.*

3 Prima ſent. docet Verbum eſſe genitum, & non Spiritum S. quia Verbum ab uno tantum procedit, Spiritus verò S. à duobus. Ita Aliacenſis, & apud aliquos Scotus. Et pro hoc allegat P. Auguſt. 15. *Trin. cap.* 27. dicentem: *Cur non dicatur natus eſſe, ſed potiùs procedere Spiritus S. quoniam ſi & ipſe Filius diceretur, amborum utique filius diceretur, quod abſur-*

surdissimum est. Sed si hęc ratio aliquid suadet, suadet tantum ab inconvenienti quod Spiritus S. nequit dici Filius, non autem explicat, quare Verbum sit Filius. Ratio autem, qua Aug. à posteriori, & inconvenienti probat hic Spiritum S. non dici natum, formatur sic. Spiritus S. procedit à Patre & Filio: ergo nequit dici Filius. Si enim filius diceretur, amborum utique filius diceretur: sed hoc absurdissimum est: ergo. Min. probat S. D. sic. *Nullus est filius duorum, nisi patris & matris*: sed *absit ut inter Deum Patrem, & Deum Filium tale aliquid suspicemur*: ergo. Prob. min. *quia nec filius hominum simul ex patre & matre procedit, sed cùm in matre procedit ex patre, non tunc procedit & ex matre; & cùm in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre*: sed *Spiritus S. SIMUL de utroque procedit*: ergo non procedit ex illis tamquàm ex patre & matre. Ergo non procedit ut filius. Primum omnium antec. supponit Aug. ex Scriptura, quia fidelibus, non infidelibus loquebatur in *Sermone 99. in Joann. in fin.* ex quo illa verba transtulisse testatur in hunc librum de Trin.

Nos autem illius rationem ad longum adduximus, ut appareat, illam esse sufficientem ad id, quod ibid. intendebat M. Parens: contra aliquos asserentes, hanc rationem non esse sufficientem, sed accommodatam illis, qui extendi non valent in amplius, ait enim: *Hìc utcumque etiam illud intelligitur quantum à talibus*, N. B. *quales nos sumus, intelligi potest; cur non dicatur natus, &c.* Ergo etiam respectu Augustini est sufficiens ratio, ut per illam intelligi posse existimaret, cur Spiritus S. non dicatur filius, vel natus. Fatemur tamen hanc rationem non esse à priori, sed tantum à posteriori, & captu faciliorem; ex quo non debet dici insufficiens, aliàs dum DD. probant cum Apost. existentiam Dei per existentiam creaturarum, uterentur ratione insufficienti: & dum Aug. hanc repetit ratiocinationem, toties insufficienter argueret, quod dici nequit de tanto Ecclesiæ Doctore.

Ideò autem hæc ratio non suadet à priori, quia non explicat qualiter Spiritus S. à duobus procedens non procedat ut illis similis in natura; quod enim procedit à duobus non ex hoc debet non procedere ut similis naturæ generantis, ut patet in generatione hominis. Ergo ex hoc quod procedat à duobus non tollitur quod ipsi propriè competat diffinitio generationis; quia difficultas tantum urget in ultimis illius particu-

lis. Si autem à duobus procedens ex vi processionis formaliter evadit similis in natura, nihil prohibet quominus ipsi competat diffinitio generationis, ac per conseq. à priori probari poterit ipsum esse genitum, sicut probamus de Verbo. Restat ergo ut explicet Aliacensis, cur dum Spiritus S. procedit à Patre & Filio, non procedat ut genitus.

4 Secunda sent. assignat pro ratione discriminis, quod Filius ex vi processionis procedit in similitudinem naturæ, quia ex vi illius accipit naturam ut fœcundam, seu cum virtute productiva alterius, in quo consistit ratio naturæ: Spiritus verò S. licèt procedat similis suo principio in essentia, non tamen in natura per modum naturæ, quia illi non communicatur formaliter natura, ut fœcunda ad alterius personæ productionem; & ideò Spiritus S. non est filius. Ita Franciscus Zuñiga, & aliqui ex Antiquis.

Sed non satisfacit, quia si per impossibile Spiritus S. non procederet à Filio, hic tamen maneret verus Filius: Ergo ad explicandam generationem divinam non sufficit recursus ad fœcunditatem. Antec. est doctrina Græcorum existimantium Spiritum S. non procedere à Filio, & tamen Filium esse verè genitum asserebant: constatque ex Augustt. 7. *de Trin. cap.* 2. dicente, secundam personam divinam eo formalissimè esse Filium, quo Verbum: sed in data hypotesi secunda persona esset Verbum, & non acciperet naturam fœcundam à Patre: ergo ad explicandam generationem non sufficit illa doctrina. *Ad hæc* PP. Latini probantes contra Græcos Spiritum S. procedere à Filio non recurrunt ad hoc, quod si ab illo non procederet, Verbum non esset Filius: sed si in ratione Filij constitueretur per hoc quod Patri assimilaretur in natura cum fœcunditate productiva alterius, hac ratione usi fuissent; ex illa enim clarè constat Spiritum S. procedere à Filio, si ratio filiationis consistit in accipere naturam cum virtute alterius personæ productiva: ergo.

Quod dicitur de distinctione conceptûs naturæ à conceptu essentię per hoc quod de conceptu naturæ est fœcunditas, & non de altero, non est admittendum; aliàs tres divinæ personæ non essent unius, & ejusdem naturæ, cum Spiritui S. non competat fœcunditas alterius suppositi productiva. Et in Deo secundum se, & ut abstrahit à relationibus, stricta ratio naturæ reperitur, cùm ibi considereturessentia ut radix operationum: & tamen pro eo priori non concipitur fœcunditas, cùm

cùm hæc supponat essentiam, ut modificatam relatione: ergo.

Tertia sent. assignat pro ratione discriminis, quod Verbum procedit per modum naturæ, seu per intellectum non determinatum per voluntatem, id est, absquè ulla libertate, & ideò est generatio, quia hæc est opus naturæ; Spiritus verò S. procedit per voluntatem, seu liberè, adeòque potiùs procedit per modum doni, quàm generationis. Ita S. Bonavent. Ricardus, Alensis, Scotus apud Mastrium & alios, qui existimant hanc fuisse mentem Augustini 5. *Trin. cap.* 14. dicentis de Spiritu S. *Exiit enim non quomodo natus, sed quomodo datus, & ideò non dicitur Filius, quia neque natus est sicut Unigenitus, neque factus, ut per Dei gratiam in adoptionem nasceretur, sicuti nos.* Sed in his verbis non tradit August. rationem constitutivam generationis, sed tantùm asserit Spiritum S. non esse filium, quia natus non est sicut Unigenitus, seu quia non exiit quomodò natus, quod verum est; sed quare non procedit ut natus sicut Unigenitus, hujus rationem primariam quærimus, quam ibi non assignavit August. sed alibi ut posteà dicemus.

Et hæc ratio falsæ innititur doctrinæ, quod scil. Spiritus S. procedat modo libero, & non naturali, ut alibi dicetur. Vel si stat libertas cum necessitate, ut Mastrius docet, non est cur negetur Verbum procedere liberè, sicut asserunt de Spiritu S. Et precisivè ab hoc, non assignatur ratio sufficiens à priori: nam modus procedendi naturaliter non connectitur determinatè cum modo procedendi per generationem, augmentum enim, & nutritio, passionesque naturaliter procedunt ab essentia, quæ tamen non dicuntur generari. Ratio. Præter modum procedendi naturaliter requiritur ad rationem generationis, ut terminus procedat in similitudinem naturæ cum principio generante: vel ergo Spiritus S. sic procedit, adeoque erit Filius: si non, hujus reddenda est ratio. Contra hanc positionem videatur D. Thom. *in* 1. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2.

6 Quarta sent. assignat pro ratione discriminis, quod licèt Filius, & Spiritus S. procedant in similitudinem naturæ cum suo principio, Spiritus tamen S. non procedit ut imago sui principij, sicut Verbum; & ideò Spiritus S. non est Filius. Ita Illust. Torres Canariensis, Vazquez, & alij. Sed in hac positione non placet, quod Spiritus S. dicatur similis in natura principio generanti *ex vi processionis*, & quod non sit imago: ut enim ait August. *tom.* 4. *lib.* QQ.

in Deuter. cap. 4. Si Patri Filius similis est, etiam imago rectè dicitur. Et ut inquit D. Th. *hìc quæst. 35. art. 1. Ad hoc quod verè aliquid sit imago, requiritur, quod ex alio procedat simile ei in specie, vel saltem in signo speciei*, quia enim unum ovum de altero pari expressum non est, ideò licèt unum sit alteri simile, non est imago alterius, juxta Aug. *in lib. 83. QQ. quæst. 74.* quia ab altero non procedit: ergo semel quod Spiritus S. procédat à Patre, sitque similis illi in natura, erit imago illius. Si autem Spiritus S. non dicatur similis Patri nisi *identicè*, restat explicare cur Spiritus S. non procedat in similitudinem naturæ formaliter, & ex vi processionis.

7 Hæc ergo sent. non explicat rationem à priori; quia idem est dicere, *Spiritus Sancti processionem non esse generationem, quia non procedit ut imago*, ac dicere *non esse generationem, quia non procedit ut Filius* juxta August. enim 7. *Trin. cap. 2.* idem est in hac materia esse imaginem, & esse Filium, & Verbum, *Id dici accipiamus, cùm dicitur* Verbum, *ac si dicatur nata sapientia, ut sit &* Filius, & imago: *& hęc duo cum dicuntur, id est*, nata sapientia, *in uno eorum quod* nata *est, & Verbum & imago, & Filius intelligatur, & in his omnibus nominibus non ostendatur essentia, quia relativè dicuntur, at in altero, quod est* sapientia, *quoniam & ad se dicitur* (hoc est, quoniam absolutum est) *etiam essentia demonstretur.* Eadem est sapientiam, vel Verbum nasci ut sit Filius, ac ut sit imago; quia in hoc quod dicitur nasci, Filius, imago, & Verbum intelligitur: ergo non assignatur ratio stricta, & fundamentalis cur Spiritus S. non procedat ut Filius, dum dicitur, quod ideò est, quia non procedit ut imago; rationem enim hujus ulterius debemus assignare, illam autem non rectè assignat Vazquez.

8 Ratio, quia juxta Aug. verbis datis, conceptus imaginis consequitur ad generationem passivam, quia in *eo, quod nata est, imago intelligitur.* Et D. Thom. *hìc quæst. 40. art. 4.* idem docet: ergo ex eo quod Spiritus S. non procedat ut imago Patris, non probatur à priori, illius processionem non esse generationem, quia illa generatio præcedens habet aliam rationem constitutivam. Unde tantum à posteriori probabitur Spiritum S. non esse Filium, si dicatur hoc provenire, quia non procedit ut imago. *Confirm.* Generatio divina importat directè communicationem naturæ, relationem autem importat ex consequenti, ut de-

ducitur ex D. Thom. *ibi* dicente, *Origines passivè significatæ simpliciter præcedunt secundùm intellectum proprietates personarum procedentium etiam personales* : sed imago est nomen personale relativè dictum, ut docet D. Thom. *hic quæst.* 35. *art.* 1. cum Augustin. 7. *Trin. cap.* 1. dicente, *Quid est absurdius, quàm imaginem ad sensum dici?* Ergo ratio ducta ex imagine probat solum à posteriori, ex his scil. quæ consequuntur ad communicationem naturæ divinæ. *Ultimò.* Non rectè explicatur certius ex minus certo : sed certius est Spiritum S. non esse Filium, quàm non esse imaginem; primum enim est de fide, non secundum : imo Græci communiter docent, Spiritum S. esse imaginem teste D. Thom. *hic quæst.* 35. *art.* 2. ergo non rectè dicitur Spiritum S. non esse Filium, quia non est imago.

§. II.

STATUITUR NOSTRA conclusio.

2 ULtima Sent. docet, rationem ductam ex similitudine ex vi processionis esse veluti à priori, & immediatam: cur secunda Persona, non tertia dicatur genita; alias verò rationes hucusque assignatas ad summum probare à posteriori processionem Filij esse veram generationem, & non Spiritûs S. Ideò verò Verbum tantùm procedit ut simile Patri in natura formaliter, & ex vi processionis, quia procedit per intellectum, qui ex proprio conceptu est assimilativus; Spiritus autem S. procedit per voluntatem, quæ non est assimilativa; & ideò prima processio dicitur generatio, non secunda. Ita sentiunt cum Thomistis DD. nostri Clasici Ægidius, Gerardus, Argentinas, Alviz, Brunus *Quodl.* 7. & §. 7. Gavardi, Sichrovvsky, Gibbon, Benedictus à S. Jacobo, & alij ex domesticis, & extraneis. Huic sententiæ adhæremus, quia illam existimamus esse germanam Augustini mentem, quod sic.

10 Prob. ex *lib.* 7. *Trin. cap.* 2. ubi ait S. D. *Eo quippe Filius, quo Verbum* : sed est Verbum, quia procedit per intelligere : ergo ex hoc dicitur Filius, seu genitus; & Spiritus S. eo dici debet non esse Filium, quo probatur non esse Verbum. Sed hoc veluti à priori probatur ex eo quod non procedit per intellectum : ergo ideò ejus processio non est generatio. 2. hoc dubium versans 9. *de Trin. cap. ult.* *Cur non*, inquit, *Spiritus quoque S. à Patre Deo genitus, vel creditur, vel intelligitur, ut Filius etiam ipse dicatur?*

Quod

Quod nunc in mente humana utcumque investigare conamur, ut scil. ex hac paritate mentis nostræ, quæ est quædam imago Trinitatis, ad illud lumen incommutabile assurgamus. *Cur itaque amando se non genuisse dicatur amorem suum, sicut cognoscendo se genuit notitiam suam?* Respondet S.D. *Ideò non rectè dicitur genitus ab ea sicut notitia sui, qua se novit, quia notitia jam inventum est, quod partum vel repertum dicitur... Quæ autem pariuntur, quasi pariuntur. Unde proli similia sunt: ubi nisi in ipsa notitia? Ibi enim quasi expressa formantur.*

11 Quia verò hæc ratio non placuit Vazquio, ut ejus vis pateat, adducimus alia verba S.D. ex 15. *Trinit. cap.* 27. ubi recapitulans, quæ in superioribus libris dixerat, inquit: *Ostendit tibi verbum esse in te, quando de scientia tua gignitur... fitque in acie cogitantis imago simillima cogitationis ejus, quam memoria continebat, ista duo scil. velut parentem ac prolem tertia voluntate sive dilectione jungente. Quam quidem voluntatem de cogitatione procedere, nemo enim vult, quod omninò quid vel quale sit nescit; non tamen esse cogitationis imaginem, & ideò quamdam in hac re intelligibili nativitatis & processionis insinuari distantiam, quoniam non hoc cogitatione conspicere, quod appetere vel etiam perfrui voluntate, cernat discernatque qui potest. Potuisti & tu.*

Ex quibus. Quia voluntas, seu amor non est cogitationis imago: ideò ostenditur aliqualiter distantia, seu differentia inter procedere & nasci: sed ideò amor non est formaliter, & ex vi suæ processionis similis cogitationi, vel intellectioni, seu cognitioni (ut in omnibus manuscriptis legitur, in quibus loco cogitationis legitur cognitionis) quia hæc similitudo, seu verbum tantùm gignitur de scientia, non autem de actu voluntatis: ergo ideò amor, seu Spiritus S. non dicitur nasci, vel gigni, quia ex vi suæ processionis non evadit formaliter similis principio à quo procedit, ex eo quod non de scientia, seu intellectu est. Explicatur. *Quod cognoscit se, parem sibi notitiam sui gigniti, quia non minus se novit, quàm est, nec alterius essentiæ est notitia ejus*, ut inquit *in cap.* 12. *ex* 9. *Trin.* Nota ly *quia se novit*: ergo notitia seu verbum ideò dicitur *gigni*, quia per actum cognitionis procedit: & quia in Deo idem est esse, & nosse, (seu quia non alterius essentiæ est notitia ejus, *sicut supra diximus* inquit August.) quod procedit ut simillimum cognitioni, vel intel-

tellectionis, procedit in similitudinem naturæ. Ergo eò verbum procedit formaliter in similitudinem naturæ, & dicitur *gigni*, quia procedit per intellectum.

12. Quod ait Auguſt. *ſupra diximus*, intelligi debet de iis, quæ ſcripſerat *lib. 7. cap. 1. in fine*, ubi dixit: *Quid aliud dicimus, cùm dicimus hoc illi eſſe quod ſapere, niſi eò eſt, quò ſapiens eſt? Quapropter quæ cauſa illi eſt ut ſapiens ſit, ipſa illi cauſa eſt, ut ſit.* Ex quibus. Intelligere actuale eſt formaliſſime eſſentiæ, ſeu naturæ divinæ, alias non eò Deus eſt, quò ſapiens eſt, ſicut quia immaterialitas non eſt in ſenſu formali bonitas divina, non valet dicere, eò Deus bonus eſt, quò immaterialis, vel quò immenſus eſt: ergo eò Verbum ſolum erit Filius, quò probetur ipſum procedere formaliter in ſimilitudinem naturæ. Sed hoc probatur ex eo quod ſolum Verbum formaliter procedit per intellectionem, quæ eſt ultimum conſtitutivum naturæ divinæ; Spiritus autem S. procedit per volitionem, quæ eſt quædam quaſi proprietas conſequens noſtro modo intelligendi naturam divinam, licet ſit eadem ſecundùm ipſa natura: ergo licet Spiritus S. ſit æqualis Patri in natura divina realiter, & identicè, non tamen formaliter, & ex vi proceſſionis, & ideò non eſt Filius ſicut Verbum. De his *tom. 1. tract. 2. diſp. 13.*

13. Hinc apparet efficacia rationis Aug. dum *numero* quod ſcilicet ideò Verbum eſt Filius, ſeu conceptus & partus quidam, quia procedit per intellectum, non ſic autem Spiritus S. quia procedit per voluntatem; & id explicat Aug. ex his, quæ contingunt in mente noſtra, dum formatur verbum: nam id quod per intellectum producitur, præcedit inquiſitio quædam, hæc enim inquiſitio eſt appetitus inveniendi, nam omnis qui quærit, quod ad notitiam pertinet, vult poſſe: quæ autem reperiuntur, quaſi pariuntur; ideò notitia inventa, & per intellectum producta partus, ſeu proles dicitur, quia ante illius productionem intellectus quaſi parturiebat, & hinc ortum habuit illud axioma *Ab objecto, & potentia paritur notitia*. Non ſic autem verificatur de voluntate, quia amor procedit ſine inquiſitione, eſt enim rei cognitæ, & placitæ amplectitur proles, id eſt notitiam, gignentique conjungit, ut inquit Aug. *ibid.* & ideò amor partus, & proles recte dici non poteſt. Hæc omnia adumbrant aliqualiter generationem, & proceſſionem illam inenarrabilem, congruentia deſumpta ex inferiore mentis humanæ imagine; ſed quæ in divinis reperiuntur, non ſunt ad-

admixta imperfectionibus quærendi, & veluti cum labore parturiendi, accidentis, &c. ſed potiùs cum ſumma perfectione æqualitatis, conſubſtantialitatis, proprietatis, &c.

14 Prob. 2. ex D. Thom. *hìc quæſt.27.art.2.*dicente: *Proceſsio Verbi in divinis habet rationem generationis. Procedit enim per modum intelligibilis actionis, quę eſt operatio vitæ, & à principio conjuncto, & ſecundùm rationem ſimilitudinis; quia conceptio intellectus eſt ſimilitudo rei intellectæ, & in eadem natura exiſtens, quia in Deo idem eſt intelligere, & eſſe.* Et *art.4. Dicendum, quod proceſsio amoris in divinis non debet dici generatio. Ad cujus evidentiam ſciendum eſt, quod hæc eſt differentia inter intellectum, & voluntatem, quòd intellectus fit in actu per hoc, quòd res intellecta eſt in intellectu ſecundùm ſuam ſimilitudinem: voluntas autem fit in actu non per hoc quòd aliqua ſimilitudo voliti ſit in voluntate, ſed ex hoc quod voluntas habet quamdam inclinationem in rem volitam. Proceſsio igitur, quæ attenditur ſecundùm rationem intellectus, eſt ſecundùm rationem ſimilitudinis. Et in tantum poteſt habere rationem generationis, quia omne generans generat ſibi ſimile. Proceſsio autem, quæ attenditur ſecundùm rationem voluntatis, non conſideratur ſecundùm rationem ſimilitudinis, ſed magis ſecundùm rationem impellentis, & moventis in aliquid; & ideò quod procedit in divinis per modum amoris non procedit ut genitum vel ut Filius, ſed magis procedit ut Spiritus.*

15 Ut autem percipias quomodo intellectus ſit potentia aſsimilativa, & productiva termini formaliter ſimilis cognoſcenti & cognito (quod potiſsimè requiritur ad generationem, vel intentionalem, vel naturalem) obſerva, hanc potentiam intelligere attrahendo ad ſe objecta, id eſt, ſpecies intelligibiles ipſorum, ſi objecta non ſint intimè ſibi unita, & mediis his ſpeciebus intellectus fit ipſum intelligibile, ut, ait Ariſtot. 3. *de Anima, textu* 37. quapropter dixit Averroës, quod *ex intellectu & intelligibili fit magis unum, quàm ex materia & forma*, quia nec materia fit forma, nec è contra; intellectus verò informatus ſpecie hominis v. gr. fit ipſe homo in eſſe intelligibili. Igitur ad intellectionem concurrunt, & intellectus, & objectum, quod quidem ſe habet per modum principij activi, vel quaſi maris fœcundantis per ſuam ſpeciem (quæ eſt vicaria virtus ipſius, aut ſemen) uterum intellectus. Eo ſemine quaſi gravida potentia fœ-

fœtum concipit objecto omninò simile, ipsumque in actu secundo parturit, & hic dicitur verbum, conceptus mentis, proles, & partus intellectus. Unde Aug. 9. *Trin. cap. ult. Ab utroque notitia paritur, à cognoscente, & cognito.* Et D. Th. *hic quæst. 27. art. 1. Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva proveniens, & ex ejus notitia procedens.*

16 Quod hic fœtus sit perfecta similitudo cognoscentis, & rei cognitæ in actu secundo, prob. Intellectus informatus forma intentionali objecti, licèt assimiletur ipsi in actu primo, tamen ut illi assimiletur in actu secundo indiget intellectione, & ejus termino, seu verbo mentis, ut dicitur *in lib. de Anima, & tract. de Visione*: ergo verbum per modum termini constituit intellectum assimilatum objecto in actu secundo, & ultimo, seu facit intellectum esse ipsum objectum in esse intelligibili. Ergo ipsum verbum potiori jure erit objectum intentionaliter in actu secundo, seu perfecta similitudo ipsius, nam *propter quod unumquodque tale, &c.* Ergo si intellectus sit similis objecto in actu secundo ratione partus mentis, seu verbi, magis competit similitudo ipsi verbo. Ex quibus patet, intellectum ex vi sua esse potentiam aptam ad generationem; est enim productivus termini similis intelligenti, & rei intellectæ.

Cùm ergo intellectus divinus sit infinitè perfectus in linea intelligendi, necesse est, ut producat verbum in perfectissimo gradu simile cognoscenti, & primario cognito. Atqui natura divina (in quocumque consistat) est objectum primarium, & motivum divini intellectus: ergo intellectus divinus vi sua producit Verbum Patri cognoscenti perfectissimè simile in natura, non similitudine tantum intentionali, & contradistincta à naturali & reali, cùm in divinis non differant esse intentionale, & reale: ergo Verbum ex vi suæ processionis per intellectum Patris est illi similis in natura similitudine naturali, ac per consequens ejus processio habebit rationem veræ generationis naturalis, eritque verè genitus, & Filius, quia procedit per intellectum. Ita D. Th. *hic qæst. 27. art. 2. ad 2. Dicendum, quod intelligere in nobis non est ipsa substantia intellectus. Unde verbum, quod secundum intelligibilem operationem procedit: in nobis non est ejusdem naturæ cum eo, à quo procedit. Unde non propriè, & completè competit sibi ratio ge-*

nerationis. Sed intelligere divinum est ipsa substantia intelligentis, ut supra ostensum est. Unde verbum procedens procedit ut ejusdem naturæ subsistens. Et propter hoc proprie dicitur Genitum, & Filius.

17 Non sic voluntas, quæ non trahit res ad se, nec amat, per aliquam formam rei volitæ in se receptam, sed quatenus ab ejus bonitate per intellectum cognita, & proposita allicitur ad ejus amorem; ideoque ex sua linea non est productiva termini similis rei amatæ, sed potiùs inclinationis, seu impulsûs per modum ponderis in rem amatam, juxta illud Aug. 13. *Confess. cap. 9. Pondus meum amor meus, eo feror quocumque feror.* Ergo Spiritus S. formaliter, & ex vi processionis per voluntatem non procedit similis suo principio in natura divina; & sic ejus processio non est vera generatio, nec ipse est Filius, sed impulsus, aut amor per se subsistens.

18 Ex his autem arguitur sic. Id per quod probatur Verbum procedere in similitudinem naturæ generantis, est ratio à priori cur dicatur filius; solùm enim quoad hoc potest dubitari, an ipsi competat stricte diffinitio generationis: sed illud probatur directè ex eo quod procedit per intelligere: ergo tenet conclusio. Prob. min. Conceptio intellectus, quia talis, habet esse similitudo rei intellectæ, ut docet D. Thom. & explicavimus: sed quia secunda persona procedit per intellectum, habet esse conceptio, & verbum mentis; ergo ex vi suæ processionis per intellectum habet esse similis Patri in natura. Nunc sic. Id quod procedit per operationem intellectus in tantum potest deficere à ratione stricta generationis in quantum non sit ejusdem naturæ, cum eo à quo procedit, licèt habeat similitudinem cum re intellecta; ut patet in verbo mentis nostræ, quod non est per veram, sed tantum metaphoricam generationem, quia non est ejusdem naturæ cum principio. Sed Verbum divinum ex eo quod procedit per intelligere habet formaliter & non tantum identicè identitatem cum natura Patris: ergo formaliter, & ex vi processionis habet quidquid requiritur ad veram generationem. Prob. min. Intelligere divinum est formaliter, metaphysicè, & non tantum realiter, natura divina, seu objectum primariò intellectum, ut *numer.* 12. monuimus: ergo. Ita arguit D. Thom. verbis datis *num.* 16. *in fine*, & 14. *in initio*, quæ oportet recolere.

19 Ex quibus deducitur, quod de ratione intellectus, ut sic tantum est assimilare intelli-

ligibiliter, & non realiter, seu substantialiter, quia hoc tantùm competit intellectui, cujus intelligere sit ipsa rei substantia, qualiter contingit in divinis. Sed ex his duobus, quod præcipuè attenditur ad rationem generationis est similitudo; propterea que ut D. Thom. ostendat processionem Spiritus S. non esse generationem, non recurrit ad hoc quod velle Dei non sit formaliter suum esse, quia hæc ratio identitatis potentiæ cum essentia tantum facit ad consubstantialitatem termini cum principio, quæ salvatur ex hoc quod identificentur realiter. Recurrit ergo ad hoc quod de ratione voluntatis, per quam Spiritus S. procedit, non est assimilari, seu habere in se similitudinem voliti: & probato; terminum productum per voluntatem non habere similitudinem formaliter, & ex vi processionis per talem potentiam cum principio, sed tantum materialiter; & identicè, in quantum illa potentia est idem realiter cum natura, non opus est recurrere ad hoc quod velle non sit formaliter natura; quia ut aliquid dicatur generari, non sufficit quod evadat simile in natura materialiter; sed requiritur quod hæc similitudo proveniat ex vi actionis generantis.

20 Quod probatur, quia si Petrus elevaretur ad producendum alium sibi omninò similem in natura per creationem, vel transubstantiationem, terminus productus non esset verè filius, nec ejus productio vera generatio, quia ex vi actionis non evaderet similis; cùm creatio v. g. ex propria ratione, & per se non magis respiciat terminum similem, quàm dissimilem in natura producenti. Ergo si Spiritus S. ex vi actionis, & modi procedendi per voluntatem non habet similitudinem cum principio, etiamsi realiter, & identicè illam habeat, non deberet dici Filius. Ita D. Thom. 4. *contra Gent.* 23. *Si res aliquam naturam alicujus ab eo acciperet, non per genituram, sed per alium quemcumque modum; natione filiationis careret, ut puta, si aliquis homo virtute sibi divinitus ad hoc concessa, hominem faceret ex aliqua sui corporis parte, vel etiam exterioni modo, sicut facit artificiata; productus homo producentis filius non diceretur, quia non procederet ab eo ut natus.* Et ideò asserit, quod quamvis Spiritus S. verus sit Deus, & veram naturam divinam habeat à Patre & Filio, non tamen oporteat quòd Filius sit.

21 Idem docet in 1. *dist.* 13. *ant.* 3. *ad* 3. & *ad* 4. ex quibus constat non sufficere, ut aliquid dicatur genitum, procedere ut simile realiter, & identicè, sed hæc similitudo debet haberi *ex vi ipsius generationis, seu modi*

procedendi, ac per consequens hoc addere non est invertere diffinitionem generationis, sed illam explicare, & hoc non voluntariè, sed fundamento desumpto ex D. Thom. *locis laud.* & 1. *ad Annib. dist.* 13. *art.* 3. ubi ait: *Spiritus S. procedit ut amor; processio autem amoris in quantum hujusmodi non est in conformitate naturæ: sic enim ubicumque esset amoris processio, inveniretur naturæ conformitas, quod patet in nobis esse falsum. Quod autem Spiritus S. processio sit in conformitate naturæ, hoc est in quantum procedit ut amor divinus, quia in Deo non potest esse aliquid diversum à sua natura. Sic ergo processio Spiritus S. EX RATIONE MODI PROCEDENDI, non dicit conformitatem naturæ, quam importat generatio Filij ex ratione generationis; Et ideò Spiritus S. processio non debet dici generatio.* Hoc explicatur in Eucharistia, ubi aliqua dicuntur esse *ex vi verborum*, alia verò *per concomitantiam*, ut in Hostia corpus est formaliter ex vi verborum; at divinitas, sanguis, &c. per concomitantiam. Sic licèt natura divina reipsa Filio, & Spiritui S. cum omnibus attributis communicetur, non tamen eodem modo communicatur utrique, sed Verbo ex vi processionis; Spiritui S. identicè, & materialiter, & ideò hic non est genitus, quia id quod habet *ex vi processionis suæ formaliter* non est similitudo, sed amor. Si autem ex vi processionis suæ non evadit similis, non potest dici genitus.

Imò ipse Vazquez, cui magnopere invisa fuit additio hujus particulæ *vi suæ processionis*, ad explicandam rationem generationis, velit nolit hoc tenetur admittere. Quod ex ipso sic probo. Per hoc salvatur juxta ipsum Verbum procedere ut Filium, non autem Spiritum S. quia Filius procedit ut imago, non autem Spiritus S. ergo quod requiritur ad veram & propriam rationem imaginis, requiritur ad veram & propriam generationem, aliàs non rectè salvatur, Verbum procedere ut genitum, quia procedit ut Patris imago, quod non concedet ipse. Nunc sic. Sed juxta ipsum, ut Verbum divinum procedat propriè ut imago, requiritur quod *vi suæ processionis* evadat similitudo expressa ad repræsentandum: ergo. Prob. min. ex ipso *hìc disp.* 145. *quæst.* 35. *cap.* 3. *num.* 6. *in fine* dicente: *Colligitur in divinis esse imaginem propriè absque ulla prorsùs imperfectione, hoc modo. In divinis est Verbum expressum VI SUÆ PROCESSIONIS ad repræsentandum: ergo est propriè, & abs-*

absque ulla imperfectione imago. En tandem tandem addit ipse particulam ad rationem imaginis, quam, ait, esse superfluam ad explicandam rationem generationis. Sed re vera requiritur, ut similitudo vi processionis habeatur, tàm ad generationem, quàm ad imaginem, vel sui immemor incidit in id ipsum quod vitare intendebat.

Ex his ritè perpensis, & ex dictis *tract.* 4. *quæst.* 3. *art.* 1. & 2. solvi possunt plures replicæ. Quæ autem concernunt constitutivum naturæ divinæ nos non urgent, cum ipsum intelligere actuale sit natura. Ut autem constet quid dicendum in sent. de intelligere radicale videatur Illust. Montalv. cujus solutionem omittimus, quia nimis latam.

§. III.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

122 ARg. 1. Intellectus in quantum hujusmodi non habet producere terminum similem in natura similitudine substantiali, sed in quantum contrahitur ad esse divinum: sed processio amoris in Deo, vel voluntas habet etiam quod sit divina: ergo ratio discriminis à nobis assignata, cur una processio sit generatio, non altera, non est sufficiens. Omissa solutione aliorum, *resp.* ex dictis *num.* 19. quod producere terminum similem substantialiter, & naturaliter competit intellectui formaliter quia divinus, ly *divinus* dicente rationem differentialem constitutivam naturæ divinæ, non verò dicente rationem transcendentalem ad omnia prædicata Dei, in quo tantum sensu dicitur voluntas *divina.* Intellectus ergo in communi habet producere terminum similem, & ipsi sic sumpto convenit permissivè, & per non repugnantiam producere terminum substantialiter similem in natura, ideoque contractus ad rationem perfectissimi intellectus debet habere positivè, & ex propriis producere terminum perfectissimè sibi similem in natura, ac per consequens substantialiter.

Voluntas verò, cùm ex sua ratione non sit assimilativa, non est productiva termini similis in natura, sed tantùm impulsûs, & inclinationis; ideòque contracta ad perfectissimam voluntatem, per se, & formaliter tantùm erit productiva impulsûs, & amoris infinitè perfecti. Unde quod Spiritus S. evadat similis suo principio in natura, id illi competit non ex vi processionis, seu ratione differentiæ intrinsecæ propriæ processionis per voluntatem, sed ratio-

tione differentiæ extraneæ desumptæ ab infinita perfectione subjecti, à qua habet identificare omnia prædicata, quæ non dicunt oppositionem, esse, intelligere, & velle, & ideò dicitur evadere similis tantum identicè, & materialiter.

23 Dices. Ergo Spiritus S. realiter, & identicè est Filius; ipsi enim realiter competit evadere ut similis in natura cum principio, ac per consequens competit diffinitio generationis. *Resp.* neg. conseq. quia Spiritui S. identicè, & realiter non communicatur quod dicit oppositionem relativam, qualem dicit filiatio cum spiratione passiva: communicatur verò identicè natura identificata cum voluntate, quia illa non opponitur spirationi passivæ, & per naturam salvatur similitudo. Hac ratione dicitur Spiritum S. procedere identicè ut Deum, quia identicè per voluntatem, identificatam realiter cum natura, ipsi communicatur deitas, quia hæc non dicit oppositionem relativam, quæ sola impedit communicationem. Sicut Filio communicatur identicè voluntas Patris, quia identificatur cum essentia, & Filio non opponitur: sed non communicatur ei Paternitas, quia ei opponitur; & ideò ait Concil. Flor. *Pater omnia dedit Filio præter esse Patrem.* Filiatio autem & generatio passiva opponitur Spiritui S. ergo nequit ipsi communicari adhuc identicè. Nec ipsi competit diffinitio generationis, quia hæc debet intelligi, & explicari de eo, quod evadit simile formaliter *ex vi processionis*, ut diximus à *num.* 20. Si ergo dicatur, id evadere simile tantum materialiter, & identicè, additur aliquid destruens rationem generationis.

24 Ex quibus obiter deducitur, Spiritum S. non procedere ut Deum formaliter ex vi suæ processionis, sed identicè, quia ut docet D. Thom. *in* 1. *dist.* 13. *art.* 3. *ad* 3. *Spiritus S. secundùm rationem processionis, communiter loquendo, non habet quod communicetur sibi natura, & ideò non potest dici generatio secundùm suam propriam rationem.* Et *ad* 4. *Dicendum, quod natura non est principium processionis Spiritus S. sub ratione naturæ, sed sub ratione voluntatis à qua procedit amor.* Si autem ipsi ex vi suæ processionis non communicatur natura divina, ex vi suæ processionis non procedit ut Deus, sed tantùm realiter.

25 Dices. Ergo Spiritus S. non est formaliter Deus, sed tantùm identicè. *Resp.* neg. conseq. quia verbum substantivum *est* alium sensum facit, quàm adjectivum *procedere*, vel *proce-*

cedens, substantivum enim *est* significat realem existentiam prædicati in subjecto, cumque Deitas formaliter existat in Spiritu S. est formaliter Deus. Adjectivum verò explicat modum procedendi: cum autem Spiritui S. non communicetur deitas formaliter, quia principium formale processionis illius non est deitas, sed voluntas; ideò formaliter communicatur ei solùm esse spiratum, cum quo identificatur deitas, & ideò identicè procedit ut Deus; nihil enim aliud per hoc intelligimus, quàm deitatem realiter communicari, non verò produci, quia hoc non est necesse, ut patet in Verbo quod procedit ut simile formaliter ex vi processionis, quin similitudo dicatur producta: ergo potest procedere ut Deus, quin deitas producatur.

26 Instabis. Spiritus S. procedit formaliter ut amor substantialis, nam amor dividitur in substantialem, & accidentalem, & differentia amoris divini à creato est substantialitas: ergo procedit formaliter ut substantia divina. Sed hęc non distinguitur à natura: ergo procedit formaliter ut Deus. *Conf.* Spiritus S. procedit ut persona divina: ergo formaliter procedit ut amans naturam divinam. Prob. ant. 1. quia ex vi suæ processionis procedit ut amor notionalis, distinctus realiter à procedente: sed hęc distinctio ipsi competit secundùm personalitatem: ergo. 2. Spiritus S. ex vi processionis habet quidquid habet: sed habet esse personam divinam: ergo.

27 Resp. neg. ant. Ad prob. insert. dic, amorem dividi in substantialem, & accidentalem materialiter, seu ratione subjecti, formaliter autem in amorem benevolentiæ, amicitię, &c. unde amor divinus formaliter non procedit ut substantialis, sed solùm identicè. *Ad confirm.* nego ant. quia ex vi suæ processionis solum procedit ut amor subsistens subsistentia relativa, & ideò solùm procedit formaliter ut subsistens in amore, quia verò hic amor identificatur cum natura, ideò tantum materialiter, & identicè procedit ut subsistens in natura. Ex hoc autem quod procedit ut amor modificatus per subsistentiam relativam, procedit ut realiter distinctus à Patre & Filio; hæc enim subsistentia relativa à subsistentia Patris & Filij distincta est.

Ad ult. nego maj. quia cùm dicitur aliquid communicari ex vi processionis, reduplicatur ratio formalis terminandi processionem: quod ergo non est ratio formalis terminandi non communicatur formaliter ex vi processionis, sed tantùm ma-

materialiter, si identificétur cum ratione formali terminandi. Cumque natura divina non sit ratio formalis terminandi processionem Spiritûs S. sed impulsus vel amor; licèt natura communicetur per processionem, non tamen formaliter ex vi processionis, sed materialiter, in quantum Amor identificatur cum natura. Si autem natura divina non communicatur Spiritui S. formaliter ex vi suæ processionis, ex vi illius non habet procedere ut persona divina, seu non habet subsistentiam relativam ut constituentem personam, quia hæc constituitur ex subsistentia relativa ut modificante naturam: ergo si natura non communicatur illi formaliter ex vi processionis, non habet formaliter subsistentiam relativam ut modificantem naturam, sed præcisè ut modificantem amorem.

28 Arg. 2. Spiritui S. formaliter ex vi processionis communicatur natura: ergo procedit formaliter in similitudinem naturæ. Prob. ant. Illi ex vi processionis communicatur impulsus: sed nec hic, nec aliquod aliud attributum potest communicari, quin natura per se primò communicetur, cùm omnia attributa in natura radicentur, & ab illa dimanent: ergo. *Resp.* cum Illust. Montalv. negando antec. & dist. insertam prob. minoris. Attributa *absoluta*, concedo: *relativa*, subdist. Radicantur in natura, *ut in omnibus personis*, nego: *ut in aliquibus*, conc. Igitur impulsus ille relativus, qui ex vi processionis formaliter communicatur Spiritui S. non radicatur in natura divina prout in Spiritu S. sed prout in Patre & Filio: in his enim habet divina natura, quod sit productiva amoris, ad modum quo diximus, naturam divinam habere esse productivam Verbi prout in Patre, non prout in Filio. Sufficit ergo naturam divinam supponi in Patre & Filio, ut per eorum reciprocum amorem possit producere Spiritum S. quin sit necesse, naturam communicari Spiritui S. antequam illi communicetur impulsus. Quod aliis terminis explicat N. Gerardus Senensis dicens, essentiam esse priorem spiratione passiva, si comparentur inter se, prout habent rationem radicis, & radicati, si verò comparentur ad tertium, scil. ad personam, quam constituunt, sic spiratio passiva, quæ constituit personam, formaliter est prior essentiâ.

29 Inst. Spiritui S. ex vi processionis communicatur existentia: ergo & essentia, quia in Deo omninò idem sunt essentia & existentia. *Resp.* existentiam communicari Spiritui S. ut est ge-

generalis conditio cujuslibet productionis; non autem tamquam quid pertinens per se primò ad rationem formalem processionis, eo modo quo terminus per se primò specificans substantialem generationem est forma substantialis: in hoc enim sensu tantùm Verbum respicit existentiam ex vi suæ processionis, quia recipit intelligere, quod formalissimè est esse.

30 Arg. 3. ad probandum voluntatem esse assimilativam, quia *omne agens intendit producere sibi simile*, ut docet Philosophus: sed agens per voluntatem est verum agens: ergo. 2. Voluntas de sua ratione est unitiva, amor enim est conjunctio duorum: ergo ex sua ratione intendit facere unum. Ergo & simile, similitudo enim fundatur in unitate. 3. Eo Verbum ex vi processionis per intellectum procedit ut simile objecto intellecto, quia intellectus constituitur in actu per hoc quod res intellecta est in intellectu, ut docet D. Thom. sed etiam voluntas constituitur in actu per hoc quod res amata est in voluntate, ut docet idem S. D. in præsenti, probans dari in divinis aliam processionem præter processionem Verbi, secundùm quam amatum est in amante: ergo.

31 Resp. ad 1. non esse de ratione omnis agentis producere sibi simile perfecta similitudine, aliàs nullum esset agens æquivocum; sed sufficit aliqua similitudo, vel secundum proportionem, vel secundùm convenientiam in forma. Similitudo proportionis consistit in eo, quod agens habeat virtutem proportionatam ad talis effectûs productionem, & hæc datur inter virtutem motivam, & motum, vel *ubi*. Sed hæc similitudo non sufficit ad rationem generationis, ad quam requiritur similitudo convenientiæ in natura, & hæc præstari nequit formaliter ex vi processionis per voluntatem, sed tantùm identicè.

32 Ratio est, quia illud agens intendit producere sibi simile, quod agit per virtutem proximam destinatam ad communicationem naturæ; tunc enim maximè intendit assimilare sibi in natura terminum actionis, ut dum homo agit per potentiam generativam, quę est virtus proxima destinata ad communicandam naturam. Quandò verò agit per alias virtutes, non intendit producere sibi simile similitudine formali, sed tantùm proportionis, ut patet in agente per augmentationem; terminus enim hujus, scil. quantitas major, nec est formaliter similis subjecto agenti in principio radicali, nec in principio proximo: non enim

ejusdem naturę, & quidditatis est quantitas, ac ipsa potentia augmentativa. Cum ergo intellectus divinus sit potentia per se primò destinata ad communicationem naturæ, non autem voluntas, ut ex dictis constat; dum Pater & Filius producunt Spiritum S. per voluntatem, non intenduht simile in natura formaliter ex vi talis productionis, benè verò Pater per intellectum producendo Filium.

33 Ad 2. dic, unionem, quam facit amor, esse inter amantem, & amatum, non inter amantem, & impulsum, per quem tendit in rem amatam. Sed hæc unio est tantum secundùm affectum, & sic non sufficit ad similitudinem formalem ad generationem requisitam, quæ debet esse similitudo in esse naturali; vel per identitatem in natura in generatione omnium perfectissima. Cumque voluntas & amor quantumvis in perfectione crescant intra ambitum suæ lineæ, non possint attingere unionem, & similitudinem naturalem formaliter, sed tantum perfectissimam unionem affectivam, quia ratio generica unionis & similitudinis affectivæ non est contrahibilis per aliquam differentiam suæ lineę, quæ faciat unionem realem & naturalem; ideò voluntas non potest causare unionem & assimilationem ad generationem requisitam.

Alia ratio. Sicut voluntas etiam perfectissima nequit ad lineam naturę pertinere formaliter, sed tantum materialiter, & tamquam proprietas ad naturam consecuta; ita similitudo, & unio quam efficit, nequit formaliter esse in linea naturæ; sed tantùm materialiter, & identicè, ex infinita perfectione subjecti. Ergo ex vi procedendi per voluntatem nequit dari similitudo ad generationem requisita. Similitudo autem per intellectum intenta, licèt ob limitationem intellectus creati sit tantùm intentionalis, est tamen vera & propria, & non metaphorica; adeoque est contrahibilis per aliquam differentiam perfectissimam intra ambitum suæ lineæ ad similitudinem veram & naturalem, ut contingit in divinis. Cumque aliàs intellectus ex sua ratione, utpotè gradus perfectissimus, possit ad lineam naturæ perfectissimæ essentialiter pertinere; unio & similitudo ab illo intenta potest ad eamdem naturæ lineam pertinere.

34 Ad ult. quo ampliùs dicta explicantur resp. ex D. Thom. 4. *contra Gent. cap.* 14. cum Mag. Carrasco, quod tribus modis contingit unum esse in alio, vel scil. secundùm essentiam & entitatem sicut forma est in subjecto, vel mediâ sui similitudine & imagine, ut Cæsar

sar dicitur esse, ubi est ejus imago; vel tandem media inclinatione & affectione convenienti, ut locus deorsum dicitur esse in gravi mediâ gravitate, quæ est ejus conveniens inclinatio. Et primo modo nec res intellecta est in intelligente, nec objectum amatum in amante; secundo autem modo res intellecta est in intelligente, quatenus unitur ei media similitudine impressa, & expressa; sed tertio modo res amata est in amante mediante termino producto per amorem. Verbum ergo per intellectum procedens ex vi talis processionis procedit ut simile objecto, non quia res intellecta est in intellectu utcumque, sed quia est in intellectu media sui similitudine, quod non contingit in modo, quo res amata est in voluntate, quia solum est in illa medio impulsu: impulsus autem non est formalis similitudo objecti, sed tendentia in illud, & ideò processio, quæ attenditur secundùm rationem intellectus, potest habere rationem generationis, non autem quę attenditur secundùm rationem voluntatis. Ita D. Thom. *in 2. dict. laudata num.* 14.

35 Sed nota quod, ut voluntas sit in actu completo, indiget determinari ab objecto mediâ sui similitudine expressa, quia aliàs non potiùs vellet hoc objectum, quàm illud: sed hoc non sufficit ad producendum simile, quia illa similitudo non informat intrinsecè voluntatem, sed solum intellectum; & se habet respectu voluntatis ut extrinsecè proposita, & ostensa: formæ autem intrinsecè informantis proprium est determinare subjectum ad producendum terminum sibi similem; sed formę purè cognitæ, & extrinsecè propositæ proprium est solum allicere, & attrahere ad amorem objecti per eam repræsentati: unde solum determinat ad producendum terminum per modum impulsus.

36 Arg. ult. Verbo divino formaliter communicatur cognitio possibilium: ergo & Spiritui S. divina natura, ac per consequens formaliter procedit in similitudinem naturæ. Prob. conseq. Ideò primum tenet, quia Verbo ex vi processionis communicatur cognitio comprehensiva essentiæ, quæ connectitur cum possibilium cognitione: sed etiam Spiritui S. formaliter communicatur amor divinus comprehensivus, qui formaliter connectitur cum divina essentia: ergo propter eamdem rationem formaliter debet ipsi communicari divina natura. *Resp.* ex hoc ad summum probari, naturam divinam communicari Spiritui S. ex consequenti, & secundario,

sicut ad communicationem cognitionis comprehensivæ essentiæ ex consequenti communicatur cognitio possibilium. Vel melius dic, cognitionem comprehensivam essentiæ connecti cum cognitione possibilium absque virtuali distinctione, & ideò utrumque formaliter debet Verbo communicari, seu cognitio comprehensiva essentiæ communicatur Verbo prout connexa cum cognitione possibilium. At amor virtualiter adæquatè ab essentia distinguitur, & ideò potest unum communicari altero formaliter, & ex vi processionis non communicato, seu communicari non prout connexum.

Hinc obiter nota rationem *Verbi*, & *Filij* esse formaliter idem absque virtuali discrimine, juxta illud August. *Eò Verbum, quò Filius, & eò Filius, quò Verbum*: & solum differunt ratione connotationis; Verbum enim connotat repræsentationem creaturarum, non ratio Filij; nam hæc solùm dicit respectum ad Patrem. Sed cum hoc ordine, quod respectus ad Patrem importatur principaliter & in recto, respectus autem ad creaturas minus principaliter & in obliquo, quia *Pater principaliter dicit se generando Verbum suum, & ex consequenti creaturas*, ut docet D. Thom. 4. *de Verit. art.* 5. *in corp.*

QUÆSTIO II.

DE DIVINIS RELATIONIBUS.

ARTICULUS I.

AN IN DEO DENTUR relationes? Quomodo differant ab essentia, & inter se? Et de illarum numero.

§. I.

RESOLVITUR PRIMA & secunda pars.

1 DIcimus 1. dari in Deo relationes realiter distinctas, & realiter distinguentes personas. De fide enim est personas divinas distingui realiter inter se: sed hæc distinctio nequit sumi ex substantia, aliàs essent tres dij; & unitas nequit sumi ex relatione; aliter non essent tres personæ: ergo sicut in Deo datur una essentia realis, per quam personæ sunt unum realiter; ita dantur relationes reales, quibus personæ realiter distinguuntur. Ita arguit August. 5. *Trin. cap.* 9. & *lib.* 7. *cap.* 6. *post med.* ubi ait: *Ego & Pater unum sumus, Joann.* 10. *Et unum dicit, & sumus.* Unum, *secundum essentiam, quod idem Deus*: sumus, *secundum relativum, quòd ille*

ille Pater, hic Filius. Aliquandò & tacetur unitas essentiæ, & sola pluraliter relativa commemorantur, Veniemus ad eum ego & Pater, & habitabimus apud eum *Joann.* 14. *Veniemus, & habitabimus pluralis numerus est, quia prædictum est*, Ego & Pater, *id est Filius & Pater; quæ relativè ad invicem dicuntur. Aliquando latenter omninò, sicut in Genes.* 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. *Et* faciamus, *&* nostram *pluraliter dictum est; & nisi ex relativis accipi non potest. Non enim ut facerent Dij, aut ad imaginem & similitudinem Deorum, sed ut facerent Pater, & Filius, & Spiritus S. ad imaginem Patris, & Filij, & Spiritus S. ut subsisteret homo imago Dei. Deus autem trinitas.*

2 Ex his constat, has divinas relationes non esse rationis tantùm, sed reales, & non esse extrinsecè affixas divinæ essentiæ, uti existimavit Gilbertus Porretanus, dicens non dari in Deo relationes secundùm conceptum *in*, sed tantùm penès conceptum *ad*. Pro hoc errore citatur ille à D. Bonavent. sed rejicitur ex D. Thom. *hìc quæst.* 28. *art.* 1. *in Sed contra*, quia Pater non dicitur nisi à paternitate, & Filius à filiatione: si igitur paternitas & filiatio non sunt in Deo realiter; sequitur quod Deus non sit realiter Pater, aut Filius, sed secundum rationem tantùm; quod est hæresis Sabelliana.

3 Dices. Relatio Dei ad creaturas est tantùm rationis, & advenit Deo ex tempore tantùm extrinsecè: & tamen Deus per illam distinguitur realiter à creatura: ergo licèt relationes divinæ non sint reales, & Deo intrinsecæ, tamen distinguunt realiter divinas personas. Tùm quia non minus generatio divina est fundamentum relationis paternitatis & filiationis, quàm actualis creatio est fundamentum relationis Creatoris, & Domini: sed creatio fundat relationem rationis: ergo & generatio divina.

4 Resp. relationem Dei ad creaturas esse tantùm rationis ex parte ipsius Dei, sed esse realem ex parte creaturæ. Denominatur tamen Deus realiter Dominus, quamvis non existat in eo relatio realis dominij, quia datur in eo reale fundamentum hujus denominationis, scil. realis productio creaturarum, subjectio activa illarum, & realis relatio servitutis ex parte illarum: posito autem quod in divinis dentur tantùm per rationem relationes paternitatis, &c. non datur reale fundamentum à quo Deus possit denominari realiter Pater: paternitas enim fundatur supra ge-

generationem, quæ realem exposcit distinctionem geniti à generante: sed in divinis sumitur distinctio à relationibus, quia secundum has tantum salvatur oppositio: ergo si illæ non sunt reales, nec dabitur realis generatio unius personæ ab alia; ideoque relationum realitate sublata nequit manere reale fundamentum à quo Deus possit realiter Pater denominari. *Ulterius.* Pater ideo dicitur realiter Pater per quod realiter differt à Filio: sed non differt realiter ab eo secundùm aliquid absolutum, quod sit fundamentum relationis, cum perfectiones absolutæ toti Trinitati sint communes: & aliàs à relatione, quæ sit rationis tantùm, nequit provenire denominatio realis paternitatis: ergo. Idem per hoc patet ad aliud.

5 Alia objici possunt pro Sabellio, quæ tantùm probant de relatione creata, quæ est accidens & minimè entitatis, secùs autem de divinis; istæ enim sunt actus purissimi, & substantiales, ut docet August. 5. *Trin. cap.* 5. *In Deo nihil secundùm accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est; nec tamen omne quod dicitur, secundùm substantiam* (intellige absolutè, contrapositivè ad relativè) *dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, quod non est accidens: quia & ille semper Pater, & ille semper Filius... quod si aliquando esse cœpisset, aut aliquando esse desineret, Filius secundùm accidens diceretur... quamobrem quamvis diversum sit Patrem esse, & Filium esse, non est tamen diversa substantia, quia hæc, non secundùm substantiam dicitur, sed secundùm relativum, quod tamen relativum non est accidens.* Ex quo sequitur relationem divinam non habere esse dependens, quia ejus esse non est aliud ab esse substantiæ, ut docet D. Thom. 4. *cont. Gent. cap.* 14. *ad* 9.

6 Dicimus 2. relationes & essentiam non distingui in Deo realiter entitativè. Contrarium tenuit idem Gilbertus, qui postea in Concil. Rhemen. *tam hæc, quàm cetera digna reprehensione inventa, proprio ore damnavit*, ut testatur D. Bernard. *Serm.* 80. *in Cantic. sub fin.* Ratio est, quia omnis res, quæ non est divina essentia, est creatura: sed relatio realiter competit Deo: ergo si non est divina essentia erit creatura, & ita ei non erit adoratio latriæ exhibenda, contra quod in Præf. cantatur: *Ut in personis proprietas, & in essentia unitas, & in Majestate adoretur æqualitas.* Ità D. Thom. *hìc art.* 2. *in Sed contra.*

7 Ex August. prob. *in* 7. *de Trin.*

Trin. cap. 6. Non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omninò idem... Neque in hac Trinitate, cùm dicimus personam Patris, aliud dicimus quàm substantiam Patris... Quocirca, ut substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est; ita & persona Patris non aliud, quàm ipse Pater est. Videantur dicta *tract. 3. quæst. 1. art. 1. num. 3.* ubi arguimus ex eo, quòd *omnia in divinis sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio*: sed inter essentiam & relationes non datur oppositio, cùm essentia ad relationes non referatur, nec è contra, sed una persona ad aliam: ergo essentia & relationes non differunt entitativè; nec formaliter ex natura rei, ut diximus *ibi à num. 5.* sed tantum virtualiter, ut ibid. explicuimus *à numer. 7.* ex Aug. & D. Thom. Unde concluditur, quod *relatio realiter existens in Deo est idem essentiæ secundum rem, & non differt nisi secundum intelligentiæ rationem, prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiæ*, ait D. Thom. *hic art. 2. in fin. corp.*

8. De hac dist. intelligendus est Aug. dum 7. *Trin. cap. 2.* ait de Filio: *Non eo Verbum quo Sapientia*: prosequitur enim, & explicat de qua distinctione loquatur, dicens: *Verbum enim relativè, sapientia verò essentialiter intelligitur.* Loquitur ergo de dist. non secundùm rem, sed secundùm intelligentiæ rationem ex distincto modo significandi, in quantum in sapientia non importatur respectus ad suum oppositum, secundùm quem intelligitur Verbum. Eodem modo intelligendus est, dum *ibi cap. 4. in fin.* ait: *Aliud est Deo esse, aliud Patrem esse, vel Dominum esse*; eodem enim modo se explicat dicens, *Quod enim est, ad se dicitur, Pater autem ad Filium, & Dominus ad servientem creaturam dicitur.* Ita exponit Augustinum D. Thom. *quæst. 8. de Pot. art. 2. ad 14.* cetera videantur loc. cit.

§. II.

RESOLVITUR TERTIA, & ultima pars.

9. DIcimus 3. ipsas relationes personarum constitutivas distingui realiter; quia fide certum est, tres divinas personas his relationibus, seu proprietatibus personalibus realiter distingui, ut habetur *cap. Firmiter de Summa Trinit.* Ergo à fortiori ipsæ relationes distinctivæ realiter debent distingui; quia *propter quod unumquodque tale, & illud*

illud magis. D. Thom. *hic quæst.* 28. *art.* 3.

10 Si opponas, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: relationes realiter identificantur cum essentia: ergo etiam inter se. *Resp.* illud axioma & argum. tantùm tenere in illis, quæ sunt eadem re & ratione uni tertio, non autem in his omnibus, quæ differunt re & tione à medio; talia enim possunt importare oppositionem relativam eo capite quo differunt: hac autem oppositione importata debent realiter, distingui inter se, licèt non à medio, quia oppositio relativa non est cum illo, sed cum termino respectus: relativa autem oppositio in sui ratione includit distinctionem. Ergo si cum identitate cum tertio stet relativa oppositio, salvari potest distinctio relationum, & personarum inter se.

11 Diximus non tenere in his *omnibus* quę differunt ratione vel virtualiter à medio, quia in aliquibus tenet, non in singulis, loquendo non solum in creatis, sed etiam in divinis: in istis enim, quæ sunt absoluta differre possunt virtualiter & ratione, ut intellectus, & justitia, &c. & tamen ex quo sunt idem uni tertio deduci potest esse eadem inter se. Sic etiam D. Thom. 2. *cont. Gent. cap.* 9. probat potentiam Dei non esse aliud ab actione, sed identificari inter se ex eo quod sunt idem cum substantia Dei: & tamen in plurium Thomistarum opinione potentia, & actio virtualiter ab essentia differunt. Ergo non in omnibus ratione distinctis à tertio dici debet non tenere præfatum argum.

12 Deficit ergo in istantùm quæ ita secundùm rationem differunt, ut importent oppositos respectus in suis propriis rationibus, propter rationem assignatam *num.* 10. Quæ explicatio & limitatio fulcitur auctorit. D. Thom. *hic art.* 3. *ad* 1, dicentis: *Argumentum illud tenet... in his quæ sunt idem re & ratione, sicut tunica & indumentum; non autem in his quæ differunt ratione. Unde ibid. dicit Phil. quod licèt actio sit idem motui, similiter & passio: non tamen sequitur, quod actio & passio sint idem: quia in actione importatur respectus, ut à quo est motus in mobili, in passione verò, ut qui est ab alio. Et similiter, licèt paternitas sit idem secundùm rem cum essentia divina, & similiter filiatio; tamen hæc duo in suis propriis rationibus important oppositos respectus. Unde distinguuntur ab invicem.*

Et cum sibi proposuisset hoc 2. argum. *Sicut paternitas & filiatio secundum nominis ratio-*

tionem distinguuntur ab essentia divina, ita & bonitas, & potentia: sed propter hujusmodi rationis distinctionem non est aliqua realis distinctio bonitatis, & potentiæ divinæ, ergo neque paternitatis, & filiationis. Resp. *Dicendum, quod potentia, & bonitas non important in suis rationibus aliquam oppositionem. Unde non est similis ratio.* Idem habet *in* 1. *d.* 2. *quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 4. ubi ait: *Licet sapientia secundùm suam rationem differat ab aliis attributis, non tamen opponitur ad aliquod aliud attributum, cùm sapientia bonitatum & alia attributa secum compatiatur in eodem subjecto, & ideò non habet rationem distinguendi suppositа divinæ naturæ, sicut habent relationes oppositæ, sed sicut sapientia divina realiter facit effectum sapientiæ, propter veritatem rationis ipsius, quæ manet: ita relatio facit veram distinctionem propter rationem relationis veram, quæ salvatur.* Videatur etiam *in* 1. *ad Annib. d.* 33. *art.* 1. *ad* 1. Et *quæst.* 8. *de Pot. art.* 4. *ad* 7. & 10.

13 Aliæ explicationes adhibentur huic axiomati, ut quæ sunt eadem uni tertio *sub ea ratione qua idem sunt in tertio*, sunt etiam idem inter se, non aliter; & ideò quia essentia, non ipsa relatio, est ratio in qua paternitas, & filiatio identificantur, sequitur Patrem & Filium esse idem in essentia, non verò in relatione. Vel ut alij exponunt, illud axioma tantùm tenet in his, quæ sunt idem cum tertio adæquatè & convertibiliter: secùs in his quæ illi sunt idem inadæquatè & inconvertibiliter. Relatio autem identificatur cum essentia tantùm ut modus inadæquatus & inconvertibilis.

14 Sed nota, quod ex quatuor divinis relationibus, scil. Paternitate, Filiatione, Spiratione activa, & Spiratione passiva, Paternitas & Filiatio opponuntur inter se, & similiter Spiratio activa, & Spiratio passiva. Cetertùm Paternitas & Filiatio non opponuntur realiter cum Spiratione activa, sed tantùm virtualiter & per rationem. Ita communiter Theologi contra Durandum. Pro quo nota, quod cùm Pater & Filius per paternitatem, & filiationem se invicem tantum respiciant, & non Spiritum S. ideò præter illas relationes debet dari alia, qua ipsum respiciant, eique relativè opponantur: aliàs Pater & Filius à Spiritu S. non differrent: distinctio enim realis in divinis ex relativa provenit oppositione. Hæc relatio qua Pater & Filius respiciunt Spiritum S. dicitur *Spiratio activa*, & de hac asserimus non distingui rea-

liter à Paternitate & Filiatione.

15 Prob. In divinis omnia sunt idem ubi non obviat relationis oppositio: sed Spiratio activa non opponitur, nec Paternitati, nec Filiationi, ut patet, sed tantùm opponitur cum Spiratione passiva: ergo est idem realiter cum illis. Idem intendit Aug. dum ait 5. *Trin. cap.* 14. *Fatendum est Patrem & Filium Principium esse Spiritus Sancti, non duo principia. Sed sicut Pater & Filius unus Deus, & ad creaturam relativè unus Creator, & unus Dominus, sic relativè ad Spiritum S. unum Principium. Ad creaturam verò Pater & Filius & Spiritus S. unum Principium, sicut unus Creator, & unus Dominus.*

16 2. Semel admissa distinctione reali inter Spirationem activam & Paternitatem, ac Filiationem, Spiratio activa constitueret quartam personam; quod est contra Fidem. Sequela autem prob. Ideò juxta Durandum non constitueret quartam personam, quia est communis Patri & Filio, & constitutivum personæ debet esse incommunicabile: sed admissa distinctione reali unius relationis ab aliis duabus, relatio Spiratoris esset formaliter incommunicabilis Patri & Filio: ergo. Prob. min. Non enim communicaretur illis per identitatem, ut patet: nec per realem unionem, alioquin Pater & Filius essent personæ realiter compositæ; realis enim compositio est unio realiter distinctorum; & tunc Pater v. gr. componeretur ex paternitate, & spiratione activa, realiter inter se distinctis, sibique realiter unitis: imò spiratio se haberet per modum actus determinantis paternitatem, cùm esset quid distinctum adveniens illi in suo esse personali constituto. Per hoc autem è medio tolleretur divina simplicitas. Restat igitur ut tantum communicaretur Patri (& idem de Filio) per circuminsessionem, seu per identitatem realem cum natura, quæ omnibus personis est communis. At talis communicabilitas non obstat quominus distinctam personam constituere possit, ut patet in paternitate & filiatione, quæ personas realiter distinctas constituunt, & tamen, hoc modo sibi invicem communicantur juxta illud Joan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Ergo ex opposita sent. sequitur dari quaternitatem in divinis.

17 Quod autem tantùm differant virtualiter & per rationem ratiocinatam prob. quia paternitas & filiatio fundantur in generatione, relatio autem Spiratoris in processione, quæ sunt

sunt de linea intellectus & voluntatis. Idque ulteriùs prob. ex dictis in remissione facta *hìc num. 7.*

18 Objicit Durandus. Si paternitas tantum per rationem differt à Spiratione activa, hæc erit absolutè vera, *Paternitas est Spiratio*, sicut hæc, *Justitia est misericordia*, quia realiter identificantur: sed illa est absolutè falsa, quia generare non est spirare: ergo. *Resp.* hoc non favere Durando, quia si illi propositioni addatur *realiter* ex parte copulæ, est vera, paternitas enim est realiter spiratio, & sic non differunt realiter, ut ipse putat. Dicendum ergo est, quod ea quæ realiter identificantur, & tantùm differunt per rationem, tunc possunt absolutè ad invicem prædicari, quando ratione propriæ significationis extrema propositionum non supponunt pro illis prædicatis secundùm quod differunt, ut contingit in his, *Intellectus Dei est voluntas Dei*, *Justitia est misericordia.* Quando verò extrema supponunt pro prædicatis secundùm propriam expressionem, penes quam differunt, absolutè est neganda propositio; & ita contingit in his, *Generare est spirare*, *Paternitas est spiratio*, in illis enim significatur ratio, & expressio respiciendi Spiritum S. quæ non est ratio respiciendi illum, seu quod *ratio & expressio respiciendi Filium est ratio & expressio respiciendi Spiritum S.* & ideò est falsa propositio.

19 Objic. 2. Paternitas & Spiratio activa sunt duæ relationes: ergo & duæ res, & ideò realiter distinctæ. Patet conseq. nam *relatio* est inferior ad *rem*: multiplicato autem inferiori debet multiplicari superius: ergo si sunt duæ relationes, &c. 2. Si sunt duæ relationes, cur non debent dici duæ res relativæ? *Resp.* Id. provenire ex modo significandi, nomen enim *relatio* simpliciter enunciatum exprimit relationem per modum puri respectus, seu in ordine ad correlativum: quando verò dicitur res relativa exprimitur per modum formæ. Non possumus autem dicere, in Patre esse duas veluti formas; benè verò in ipso esse duos respectus ad diversos terminos.

Ideò non tenet prima conseq. ex eo quod ly *duæ* in ant. appellat supra relationem: in conseq. verò appellat supra realitatem, & ideò hic non est admittenda dualitas, aliàs in Patre daretur dualitas rerum, seu aliqua distinctio realis sicut rei à re: admittitur autem, dum appellat supra relationem, quia distinctio harum non est in ordine ad subjectum, sed in ordine ad terminum, qui non est

unus in hac ratione, sed sunt duo termini, Filius scil. & Spiritus S. & ideò una res tantum potest esse paternitas & spiratio per diversas expressiones & æquivalentias. Unde Paternitas & Spiratio subjectivè acceptæ, seu in ordine ad Patrem non realiter, sed tantum virtualiter & æquivalenter distinguuntur, quia in ordine ad Patrem non opponuntur, & ideò sic realiter identificantur: terminativè autem denominantur realiter distinctæ, quia terminantur ad terminos realiter distinctos.

Superius potest multiplicari eo tantùm modo, quo multiplicatur inferius; cum autem multiplicatio inferioris, seu relationis non sit entitativa, seu cum relationes ille non sint duæ realiter subjectivè & intrinsecè, vel cum mutua distinctione reali per ordinem ad Patrem inter se, quia sic non dicunt oppositionem relativam; propterea non potest multiplicari ratio rei, quæ tantum datur ad multiplicationem entitatis, seu realitatis, non ad multiplicationem expressionis vel æquivalentiæ; propter quod dixit August. 15. *Trin. cap.* 5. de quatuor attributis loquens, *Nomina quatuor, res autem una est.* An relationes sint plures res dicemus *quæst. 3. art. 4. num. 3.*

20 Dicimus 4. dari in Deo quatuor relationes, scil. Paternitas, Filiatio, Spiratio, & Processio. Prob. Omnis relatio fundatur juxta Phil. 5. *Meth.* vel supra quantitatem, ut duplum & dimidium, vel supra actionem & passionem, ut faciens & factum, &c. Sed in Deo non datur quantitas; est enim sine quantitate magnus, ut dicit August. 1. *Trin. cap.* 1. ergo realis relatio in Deo esse non potest nisi super actionem fundatam. Sed non super actionem secundùm quam procedit aliquid extrinsecum à Deo; quia relatio Dei ad creaturam non est realiter in ipso: ergo debet attendi penes actiones secundùm quas est processio in Deo ad intra. Nunc sic. Sed hujusmodi processiones sunt tantum duæ, ut dixi *quæst. præced. art. 2. num. 3.* & secundùm quamliber processionem oportet duas accipere relationes oppositas, quarum una sit procedentis à principio, & alia ipsius principij: ergo dantur quatuor relationes.

Explicatur min. Processio, quæ accipitur secundum actionem intellectus, est processio Verbi, & hæc dicitur *generatio* secundùm propriam rationem quæ competit viventibus: relatio autem, quę secundùm hanc actionem consideratur ex parte procedentis respectu ad principium à quo procedit, dicitur *filiatio*: relatio autem prin-

principij generationis in viventibus perfectis dicitur *paternitas*: ergo in processione, quæ attenditur secundùm actionem intellectus, dantur duæ relationes. Et cum similiter philosophandum sit de processione, quæ est per voluntatem, cùm hìc etiam detur principium, & procedens à principio, quatuor tantum dantur relationes divinę, nec plures, nec pauciores.

21 Sed nota, in hoc differre processionem Verbi à processione Amoris, quod illa gaudet proprio nomine, & dicitur *generatio*: processio verò Amoris non habet nomen proprium, sed commune, scil. *processio*. Ratio est, quia in creatis invenimus aliquid in se subsistens procedere per modum naturæ: & hoc dicimus generari. Unde secundum hoc potuimus processionem Filij proprio nomine nominare, scil. *generationis*. Sed non invenimus aliquid in creatis per se subsistens procedere per modum amoris, sicut Spiritus S. procedit; & ideò istam processionem non potuimus nominare nomine proprio, sed tantum communi. Similiter neque relationes, quæ secundum processionem amoris accipiuntur, habent proprium nomen. Sed vocatur relatio principij hujus processionis *Spiratio*; relatio autem procedentis *Processio*: quamvis hæc duo nomina ad ipsas processiones, vel origines pertineant, & non ad relationes.

22 Si dicas, in Deo debere considerari relationes intelligentis ad intellectum, & volentis ad volitum, quæ videntur esse reales, & in prædictis non contineri. Resp. cum D. Thom. *hìc quæst.* 28. *art.* 4. *ad* 1. quod in his, in quibus differt intellectus & intellectum potest esse realis relatio scientiæ ad rem scitam, & similiter de voluntate. Sed in Deo idem est omninò intellectus & intellectum: unde in ipso tales relationes non sunt reales, sicut nec relatio ejusdem ad idem. Sed tamen relatio ad verbum est realis, quia verbum intelligitur ut procedens per actionem intelligibilem, non autem ut res intellecta. Cum enim intelligimus lapidem, id, quod ex re intellecta concipit intellectus, vocatur verbum.

23 Dices 2. Æqualitas & similitudo & identitas sunt relationes quædam; & sunt in Deo ab æterno: ergo plures relationes sunt ab æterno in Deo, quàm quæ dictæ sunt. Respondet D. Thom. *ibi ad* 4. quod æqualitas & similitudo in Deo non sunt relationes reales. Quod explicat *quæst.* 42. *art.* 1. ubi sibi opposuit hoc 4. argument. *Æqualitas relatio quædam est: sed*

sed nulla relatio est communis omnibus personis : non ergo æqualitas illis convenit. Dicendum, quod in divinis personis nihil est considerare, nisi essentiam, in qua communicant, & relationes, in quibus distinguuntur : æqualitas autem utrumque importat, scil. distinctionem personarum (quia nihil sibi ipsi dicitur æquale) & unitatem essentiæ : quia ex hoc personæ sunt sibi invicem æquales, quòd sunt unius magnitudinis & essentiæ. Manifestum est autem, quod idem ad se ipsum non refertur aliqua relatione reali. Nec iterum una relatio refertur ad aliam per aliquam aliam relationem. Cum enim dicimus, quòd paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem & filiationem ; quia utroque modo relatio multiplicaretur in infinitum. Et ideò æqualitas & similitudo in divinis personis non est aliqua realis relatio distincta à relationibus personalibus ; sed in suo intellectu includit & relationes distinguentes personas, & essentiæ unitatem.

24 Dices 3. Imago juxta Aug. 7. *Trin. cap.* 1. relativè dicitur : ergo relationes sunt plures. *Resp.* ex eodem, imaginem non esse distinctam relationem realem in Filio, à filiatione ; quia id ipsum & imago, & Filius.

4. Ad probandum, quòd sint pauciores objicies ex Phyl. 3. Physic. *Eadem via est de Athenis ad Thebas, & de Thebis ad Athenas* : ergo eadem relatio est de Patre ad Filium, ac de Filio ad Patrem. *Resp.* cum D. Thom. quod via est eadem ab uno termino ad alterum, & è converso ; tamen respectus sunt diversi : relationes autem attenduntur secundùm respectus.

ARTICULUS II.

AN ESSENTIA DIVINA sit de conceptu essentiali, & quidditativo relationum, & è converso.

§. I.

REFERUNTUR SENTENTIÆ, & nostra probatur.

1 PLura possunt identificari inter se, quin unum sit de conceptu essentiali alterius, ut patet in gradibus generico & differentiali, qui identificantur, absque eo quod unus sit de conceptu quidditativo alterius. Unde licèt essentia & relationes non differant realiter, nec formaliter ex natura rei, restat locus huic difficultati, quæ non procedit de essentia, & relationibus *physicè*, sed metaphysicè consideratis.

tis. Et diximus in titulo *Relationum*, quia non loquimur de personis in concreto; Pater enim essentialiter constituitur personalitate & natura: quærimus an essentia sit de conceptu metaphysico relationum, seu personalitatum *in abstracto* ita ut in se imbibant quidditativè & formaliter divinam naturam, & in ea similiter imbibantur?

2 Prima sent. negat utrumque; ita Vazquez, Scotus, & N. Gregorius *in* 1. *dist.* 33. *quæst.* 1. *art.* 2. Lusitanus, Alviz *disp.* 10. *sect.* 6. & apud Gavardi omnes Ægidiani. Secunda affirmat naturam esse de conceptu quidditativo relationum, non tamen è converso. Ita Suarez Zumel, & alij. Tertia affirmat utrumque; sed aliqui id defendunt loquendo tantum de essentia sub ratione entis increati, secùs loquendo de illa per modum radicis, & sub conceptu differentiali naturæ. Ita à S. Thoma, Salmanticenses, Gibbon cum Gamboa, & Cornexo, asserentibus essentiam divinam per modum transcendentis essentialiter implicitè includi in conceptu explicito relationum; relationes autem juxta Gibbon non sunt de conceptu essentiali essentiæ per modum differentiæ constitutivæ, quomodocunque sumatur essentia. Alij affirmant, essentiam sub utraque ratione accipiendo. Ita Godoy, & alij, quos ad concordiam reducere vult Illust. Montalv. dicens, conceptum differentialem naturæ includi in differentiali relationum inclusione mutua *ratione entis divini*, unde neuter excludit positive alium à suo conceptu differentiali: ceterùm natura per se formaliter ratione differentialis conceptus nec positive includit conceptum differentialem relationum, neque positivè includitur in conceptu differentiali relationum. N. Gavardi docet relationes secundùm esse *in* esse de conceptu essentiæ, non tamen prout dicunt *ad*.

Ceterùm in tanta varietate existimo cum Bancel, difficultatem non esse nisi de terminis, nec AA. Scholæ nostræ dissentire, nisi ferè in solo modo explicandi; id circò eam breviter resolvemus.

3 Dicimus 1. *Conceptus explicitus divinæ essentiæ non est de conceptu essentiali explicito relationum, nec è converso*, sivè essentia constituatur per hoc, sive per illud. Ita communiter Theologi. Prob. ex Aug. verbis datis *num.* 8. *præc.* Ratione. Quod ad conceptum explicitum alicujus rei spectat, est de ejus metaphysica constitutione: sed essentia nequit metaphysicè constitui per relationes; nam ratione nostra constitutivum illius

illius eas antecedit, nec illæ possunt constitui per illud prædicatum, quod se habet velut ratio primordialis, seu radix proprietatum & modorum: ergo nec essentia actu explicitè includit conceptum relationum, nec in illis actu explicitè involvitur.

4 Prob. ex D. Thom. *quæst. 8. de Pot. art. 2. ad 6. Cum dicitur* essentia Divina est paternitas *non prædicatur paternitas de essentia Divina propter identitatem rationis, sed propter identitatem rei, & similiter nec essentia de paternitate, ut jam dictum est: quia alia est ratio essentiæ & relationis.* Quænam autem sit hæc alietas explicavit S. D. *ibi ad* 4. dicens: *Relationes divinæ licèt significent id, quod est divina essentia, non tamen per modum essentiæ, quia non per modum inexistentis, sed per modum se habentis ad aliud. Unde distinctio, quæ attenditur secundùm relationes in divinis, non designat distinctionem in essentia, sed solum in hoc, quod est ad aliud se habere per modum originis.* En alietas rationis seu quidditatis relationis, & essentiæ tantùm salvatur in diversitate modi significandi in quantum essentia & attributa absoluta significant aliquid ut in Deo existens, seu *per modum inexistentis*, relatio autem *per modum se habentis ad aliud*: sed diversitas, quæ attenditur penès diversum modum significandi, pertinet ad diversitatem in conceptu explicito, & non ad diversitatem penès excludens & exclusum: ergo conceptus explicitus essentiæ non est de conceptu explicito relationis secundùm conceptum *ad*.

5 Item cùm D. Thom. sibi proposuisset auctoritatem Augustini *in* 5. *de Trin. cap.* 5. & 6. ubi ait relativum *non secundùm substantiam* dici de Deo, per quod videtur, relationem Dei non esse ipsam substantiam: respondet *Ad* 5. *dicendum, quod licèt relatio sit substantia divina, non tamen significat per modum substantiæ, ut supra expositum est, & ideò non dicuntur secundùm substantiam, quia dici secundùm substantiam pertinet ad modum significandi*, scil. absolutè; ait enim Augustin. *ibi cap.* 6. *Quidquid ad se dicitur, secundùm substantiam dicitur.* Ergo juxta utrumque S. D. in tantum unum non dicitur vel prædicatur de alio in quantum consideratur diversitas in ratione modi significandi.

6 Quod ait D. Thom. relationem non significari per modum substantiæ, licèt substantia sit, *ut supra expositum est*, intelligitur de his, quæ habet in corpore articuli, quorum notitia conducit ad intelligentiam

tiam sententiæ Porretani, & præsentis dubij. Cum enim ratio accidentis sit inesse, illud significatur per modum accidentis & non per modum substantiæ, quod significatur ut inhærens, v. gr. qualitas. *Ad aliquid* verò, seu relationem significatur secundùm rationem accidentis, quia non significatur ut *in* quo est, sed ut *ad* id, quod extra est. Ex quo quidam dixerunt, relativa non esse inhærentia substantiis, seu non esse accidentia etiam in creatis, considerantes modum significandi relationis. Quod ad divinam relationem extendentes, qui Gilberti Porretani sententiæ adhæserunt, docuerunt relationes non esse *in* personis, & sic nec in essentia, sed eis quasi assistere. Ex quo sequitur, quod relatio non est res aliqua nisi secundùm rationem; quidquid enim realiter est, vel substantia vel accidens est: si ergo juxta illos divina relatio nec substantia, nec accidens est, quia *in* personis non est, non erit in Deo relatio realiter; ac per consequens distinctio personarum non erit realis, quod est hæreticum.

Contra hoc concludit D. Thom. quòd licèt relatio non significetur ut inhærens, potest tamen esse *in* subjecto, sicut actio non significatur ut in agente, sed ut ab agente, & tamen constat actionem esse in agente. Similiter licèt *ad aliquid* non significetur ut inhærens, tamen oportet ut sit inhærens: & hoc quoniam relatio est res aliqua, ac per consequens oportet, ut sit in Deo; quòd non contingeret si esset res aliqua secundùm rationem tantum. Et sicut in rebus creatis oportet quod sit accidens, ita oportet quòd sit in Deo substantia, quia quidquid est in Deo Deus est, ut Aug. dicit: oportet ergo relationes secundùm rem esse divinam substantiam, quæ tamen non habent modum substantiæ, sed alium modum prædicandi ab his, quæ substantialiter dicuntur de Deo; alius enim est modus inexistentis, & modus ad alterum se habentis. Idem habet hic art. 2. q. 7. Ex hac Angelici D. doctrina constat, relationes tantùm secundùm rem esse de conceptu divinæ substantiæ, quia si essent diversæ res paternitas & essentia, persona Patris esset composita, ut arguit in *sed contra*: si verò attendatur modus significandi relationis, attributorum, & essentiæ, in quantum relationes non significant aliquid per modum inexistentis, sicut illa alia significant; sub hac ratione ratio essentiæ non est ratio relationis, ac per consequens una non est de conceptu alterius. Unde

si hoc tantum intendant AA. 1. sententiæ, illis subscribimus, & similiter si dum asserunt, relationes non esse de intrinseco conceptu essentiæ, nec essentiam esse de intrinseco conceptu relationum, per *conceptum intrinsecum* utriusque intelligant quidditatem formalem, & prædicata metaphysicè constitutiva essentiæ ut essentiæ, & relationis ut relationis, seu ut ad aliquid: Quia nec in conceptu formali relationis ingreditur ratio essentiæ, tamquam prędicatum intrinsecum & differentiale, nec è converso, nisi tantum realiter, & identicè.

8 Quod si contrarium intendant RR. Thomistæ contra ipsos probatur ex D. Thom. ibi ad 6. dicente quod in hac propositione, *essentia divina est paternitas*, non datur prædicatio *per se*; tunc enim per se prædicatur aliquid de aliquo, quando prædicatur de eo secundum propriam rationem: cùm verò non prædicatur secundum propriam rationem, sed propter identitatem rei, non prædicatur per se: sed *cum dicitur* essentia divina est paternitas, *non prædicatur paternitas de essentia divina propter identitatem rationis, sed propter identitatem rei, & similiter nec essentia de paternitate, quia alia est ratio essentiæ, & relationis*: ergo quia prædicatum non est de essentia subjecti secundum propriam rationem consideratì (aliàs utraque propositio esset per se) ergo paternitas non est de conceptu intrinseco, & quidditativo essentiæ, nec è contra, nisi realiter, & propter identitatem rei.

9 2. *In intellectu personæ patris intelligitur Deus, sed non convertitur*; ait S. D. *hic quæst. 33. art. 3. ad 1.* ergo in intellectu deitatis vel Dei non intelligitur paternitas, quia ut ait ibidem *communia includuntur in intellectu propriorum, sed non è converso*: ergo in communibus non includuntur propria, aliàs valeret è converso: essentia est communis, paternitas propria: ergo paternitas non includitur in intellectu essentiæ. Ait autem quod communia includuntur in intellectu propriorum, *in intellectu enim personæ Patris intelligitur Deus*, sumendo propria *in concreto*: in quo sensu dixit hic *q. 39. art. 6. ad 2.* quod *sicut est* PER SE *ista*, Pater est Deus; *ita & ista*, Deus est Pater, *& nullo modo per accidens*, si enim sermo sit de propriis *in abstracto* non datur prædicatio *per se*, ut docet expressè *num. præc.* loquens de *paternitate*; hic autem loquitur de *Patre*, qui est concretum; in quo sensu non procedit dubium, ut supposuimus *num. 1.*

Ra-

ro Ratione prob. Id quod est de conceptu formali alicujus prædicatur in concreto de omni eo, cui illud competit, sicut quia rationalitas est de conceptu naturæ humanæ, ideo in concreto dicitur de omni eo, cui competit talis natura: sed relationes non possunt prædicari etiam in concreto de omni persona divina, cui competit essentia: ergo relationes non sunt de conceptu formali essentiæ. Prob. min. Paternitas nequit prædicari in concreto de Filio; non enim valet *Filius est Pater*: ergo. E contra, quia bonitas, sapientia, &c. includuntur & sunt de conceptu formali essentiæ, prædicantur in concreto de quacumque persona; valet enim *Pater est bonus*, & sic de Filio, & Spiritu S.

11 Resp. hoc non tenere in eo quod est de conceptu alterius ut *ad aliquid*, tanquàm modus inadæquatus, sed tantum de eo quod est de conceptu ut *quid*. Sed contra, quia non ideò id prædicatur de alio, quia est de conceptu illius ut *quid*, ut patet in paternitate in concreto, quæ est ad aliquid & modus inadæquatus essentiæ, & tamen per se prædicatur de essentia, dum dicitur *Deus ist Pater*, & ideò non ex eo quod est *quid*, sed ex eo quod est de conceptu illius prædicatur: ergo si *ad aliquid* esset de conceptu essentiæ ut talis, prædicaretur de omni eo in quo est essentia, sicut quia paternitas est de conceptu essentiæ prout in Patre, in concreto prædicatur de illa. Nec ex eo, quod sit modus inadæquatus, sequitur quod non prædicetur; nam unitas supra ens addit tantum modum inadæquatum, & tamen prædicatur de omni ente.

12 Prob. 2. In tantum relationes essent de conceptu formali essentiæ, in quantum essentia est actus purissimus includens & identificans omne esse: sed relationes secundùm quod relationes sunt, seu prout dicunt *ad* (quæ est propria ratio relationis, ut docet D. Thom. *hic art. 2. in corp.* & constat ex dictis *num. 6.*) non important formaliter & quidditativè aliquod esse, sed tantum secundùm conceptum *in*: ergo non oportet rationem propriam relationis esse de conceptu formali & metaphysico essentiæ. Prob. min. Relatio secundùm conceptum *ad* nec perfectionem dicit, nec imperfectionem; si enim imperfectionem diceret, non esset in Deo: si perfectionem, una persona haberet perfectionem, quam altera non haberet, ut arguit Cajetanus hic ex verb. D. Th. *in solut. ad* 3. dicentis: *Non sequitur, si nomen relativum non significat aliquid perfectum,*

quod divina essentia habeat esse imperfectum; quia divina essentia comprehendit in se omnium generum perfectiones. En relatio *non significat aliquid perfectum*, nisi realiter & secundum conceptum *in* consideretur, in quo sensu habet esse divinæ essentiæ perfectissimæ: ergo relatio secundùm propriam rationem non importat aliquod esse.

13 Explicatur. In eo differt relatio ab aliis generibus, quæ continentur sub accidente, quod propria ratio uniuscujusque aliorum generum accipitur secundùm comparationem ad subjectum; *sed ratio propria relationis non accipitur secundùm comparationem ad illud in quo est, sed secundum comparationem ad aliquid extra. Si igitur consideremus etiam in rebus creatis relationes secundùm id quod relationes sunt, sic inveniuntur esse assistentes, non intrinsecùs affixæ*, ait D. Thom. *hic in corp.* Sed si ratio propria relationis in se includeret conceptum essentiæ, acciperetur secundum comparationem ad illud in quo est: ergo ratio propria relationis non includit in suo conceptu formali essentiam, nec essentiæ deficiet aliqua perfectio, vel aliquod esse, ex eo quod non includat conceptum relationis formaliter, & ut dicentis *ad*.

14 Ex his constat, quod relationes secundùm conceptum *in* includunt conceptum intrinsecum naturæ sub ratione entis divini; & è contra; quia hoc pertinet ad realitatem, & hanc tantum inclusionem assignat D. Thom. dum concludit in hoc art. *quod relatio realiter existens in Deo est idem essentiæ secundùm rem*, per ly *realiter* constat ipsum loqui de relatione secundùm conceptum *in*; per ly *secundùm rem* constat loqui de inclusione reali, ratione entis divini. Unde unius conceptus nequit à se positive excludere conceptum alterius. Sed loquendo de relatione & essentia prout substant nostris conceptibus, & de essentia per seipsam formaliter, ac de relatione secundum conceptum *ad*, vel ex modo significandi: neutra est de conceptu alterius, nec formaliter mutuò includuntur, quia ut loquitur D. Thom. *alia est ratio essentiæ, & alia relationis*, & ut ait Aug. *Non eò Verbum, quòd sapientia*. Et diversitas, quam D. Thom. assignat inter utrumque conceptum sumitur præcisè ex modo significandi relationis secundum conceptum *ad*. An autem hæc diversitas faciat distinctionem, vel non inclusionem quoad implicitum, vel quoad explicitum tantum, est litigium de terminis, nam aliqui dicunt

hoc

hod pertinere ad implicitum formaliter sumptum: alij ad explicitum tantùm, rem realiter & identicè considerantes. Si ergo per implicitum consideretur id quod res habent realiter in se, dicendum est conceptum unius includere pro implicito conceptum alterius: si verò considerentur quidditates cujuslibet ut subsant nostris conceptibus, conceptus unius non est de conceptu alterius, quia alia est ratio utriusque.

§. II.

SOLVUNTUR ARGUmenta.

15 PRæter dicta *num.* 9. Objic. ex D. Th. *hìc quæst. 27. art. 2. ad 3.* dicente: *In ipsa perfectione divini esse continetur, & Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, sicut & quæcumque ad ejus perfectionem pertinent.* Sed resp. S. Doctorem loqui de ratione Verbi secundùm rem, vel relatione secundum conceptum *in*; non autem secundùm propriam & formalem rationem relationis, quia sic alia est ratio utriusque, ut ipse docet. Ratio est, quia in divino esse continetur quidquid ad ejus perfectionem pertinet: relatio autem secundum propriam quidditatem ad alterum, non dicit perfectionem, sed tantùm secundùm conceptum *in*.

16 Arg. 2. ex Gibbon, qui in 2. *assert.* docet essentiam per modum transcendentis essentialiter implicitè includi in conceptu explicito relationum. Modi contrahentes ens ut sic, includunt implicitè rationem entis; aliter essent nihil: sed relationes sunt veluti modi contrahentes divinam essentiam: ergo illam includunt in suo conceptu formali. 2. Quidquid est intrinsecum Deo, est formaliter Deus, ut definitum est *in Concil. Rhem.* sed quod est formaliter Deus, includitur in conceptu formali Deitatis: ergo relationes, quæ sunt intra Deum, includuntur in conceptu formali Deitatis. 3. Si relationes non essent de conceptu essentiæ, sequeretur dari in Deo compositionem rationis cum fundamento: sed cons. est falsum: ergo.

17 Resp. illa probare de relationibus secundum *in*, non secundum *ad*. Ad 1. dist. min. Relationes prout dicunt esse *in*, conc. Prout dicunt *ad*, nego: sic enim respiciunt terminum oppositum, non essentiam; aliàs ab illa distinguerentur realiter, quod est erroneum; ait enim D. Thom. ubi supra, *Ratio propria relationis non accipitur secundum comparationem ad illud in*

in quo est. Ad 2. conc. similiter de relatione secundum *in*, non secundum *ad*. Ad 3. nego seq. compositio enim est unio plurium entitatum: relationes autem secundum *ad* non important aliquod esse, sed tantum secundùm *in*: & ideò secundùm *ad* non componunt. Sed nec secundùm *in*, quia sic non habent distinctum esse ab esse essentiæ.

18 Arg. 3. Essentia divina est actus purissimus in omni genere: ergo identificat sibi omne esse: sed relationes ut dicunt *ad* important aliquod esse; aliter essent nihil: ergo sunt de conceptu essentiæ. *Resp.* quod licet natura divina sit omne esse, non tamen est omne referri, quia referri secundum suam quidditatem non dicit esse, nec aliquid, sed ad aliquid, ut docet Aug. 7. *Trin. cap.* 1. *Omnis essentia, quæ relativè dicitur, est etiam aliquid excepto relativo.* Ita N. Ægid. *in* 1. *dist.* 34. *q.* 1. *art.* 2. Et dist. subs. Relationes, ut dicunt *ad* important aliquod esse, ratione ipsius *ad*, & præcisivè ab esse *in*, nego; nullum enim aliud habent esse, quàm esse fundamenti, quod est esse *in*: copulativè cum esse *in*, conc. ex conceptu enim *in* ostendit D. Thom. relationem esse aliquid *in quæst. laud. de Pot. Licèt ad aliquid non significetur ut inhærens, tamen oportet ut sit inhærens; & hoc quoniam relatio est res aliqua.* Ratio, quia in tantum relatio est aliquid; in quantum est alicujus subjecti; est enim *ordo unius ad aliud*; unde si præscindatur illud unum, cujus est ordo, relatio non erit alicujus, sed nihil, unde non erit aliquid.

19 Ex hoc patet disparitas inter attributa & relationes respectu essentiæ, quia licèt nec attributa, nec relationes differant ab essentia realiter, vel formaliter ante operationem intellectus, sed tantùm virtualiter, & per rationem; si tamen illa non includerentur implicitè in conceptu essentiæ, essentia non esset omne esse. Ratio, quia attributa important aliquod esse, cùm illa se habeat ad modum accidentis absoluti; important enim habitudinem ad id, de quo dicuntur tàm secundùm suum esse, quàm secundum proprij generis rationem, ut docet D. Thom. *hìc art.* 2. *in corp. & ad* 1. Relatio autem de formali non importat aliquod esse, quia sic non dicit inhærentiam, nec habet modum substantiæ, ut docet S. D. *in quæst. laud. de Pot. in fin. corp.* & ideò etiamsi non includatur in conceptu essentiæ, non sequitur hanc non esse omne esse.

Audiatur D. Thom. *in quæst. laud. de Pot. Ad* 4. *dicendum, quod attributa essentialia non solum significant id quod est essentia divina, sed etiam signi-*

nificant per talem modum, quia significant aliquid ut in Deo existens. Et propter hoc differentia, quæ esset secundùm absoluta, redundaret in diversitatem essentiæ. Relationes autem divinę licèt significent id quod est divina essentia, non tamen per modum essentiæ, quia non per modum inexistentis, sed per modum se habentis ad aliud. Unde distinctio, quæ attenditur secundùm relationes in divinis, non designat distinctionem in essentia, sed solum in hoc quod est ad aliud se habere per modum originis.

Imo AA. probantes inclusionem formalem unius conceptus in alio ex infinitate essentiæ, seu quia debet identificare essentialiter omne esse, si loquantur de relatione ut tali, in quo sensu habet aliam rationem à ratione essentiæ juxta D. Thom. non satis sibi constant, dum plures eorum ex alia parte asserunt relationes non dicere perfectionem relativam: si enim illam non dicunt, qua ratione ex non inclusione unius conceptus formalis in alio, deficiet essentiæ ut tali aliqua perfectio & esse?

20 Alia argumenta, quibus probare intendunt, quod si essentia sub ratione entis divini non includitur in relationibus, relatio in Deo non erit increata & infinita, tantùm probant de essentia, & relationibus physicè consideratis, secùs de illis metaphysicè, & per rationem: vel de ratione éntis divini, ut transcendentis, quod essentialiter includitur in relatione secundum conceptum *in*, aliàs non essent divinæ, & increatæ: sed non probant, quod ratio essentiæ ut prædicati primordialis, & per modum radicis, quomodocumque constituatur, includatur essentialiter in relationibus formaliter & secundùm conceptum *ad* considerantis, quia sic nec dicunt perfectionem, nec imperfectionem. Sed tamen relatio, quæ essentialiter dicit *ad*, est realiter in Deo ratione conceptus *in*, qui realiter inter se identificantur. Unde esse relationis adæquatè est *esse hujus secundùm quod est, ad aliquid*, quod realiter est in Deo, & ideò distinctio personarum est realis.



ARTI-

ARTICULUS III.

AN RELATIONES DIVINE importent perfectionem relativam?

§. I.

REFERUNTUR DD. placita.

1 QUærimus, an relationes divinæ, quæ etiam ut virtualiter distinctæ à natura, sunt quid perfectum perfectione infinita ratione entis divini transcendentis, quod in ipsis realiter implicitè includitur, importent in suo conceptu formali perfectionem virtualiter distinctam à perfectione essentiæ, quæ cum debeat ipsis convenire ex propriis, dicitur perfectio strictè relativa. Ad modum quo attributa in suo conceptu peculiari important propriam perfectionem virtualiter ab essentiæ perfectione distinctam, licèt utraque sit absoluta?

2 Prima sent. est negativa. Ita Scotus & Scotistæ apud Mastrium. Valentia, Molina, Bellarminus, & alij ex Jesuitis. Ex Thomistis Cajetanus 1. *part. quæst.* 28. *art.* 2. ubi concludit, relationem formaliter nec importare perfectionem, nec perfectionem dicere. Salmanticenses, Gonet, Carrasco, Lardito, & alij plures. Ex nostris Gregorius *in* 1. *dist.* 19. *art.* 1. Argentinas *in* 1. *dist.* 4. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 11. Gamboa in M. S. *Secunda* est affirmativa, sed aliqui propugnant, tres divinas relationes realiter inter se distinctas, esse tres perfectiones, tres bonitates, tres infinitates, non absolutè, sed addendo *relativas*. Ita ex Thomistis Lezana, Ledesma, & alij. Affirmant etiam magis frequenter PP. Societatis. Ex nostris Basilius Legion. *in tract. de Trin. & de Grat. Christi* M. S. ubi concedit tres perfectiones, & tres entitates relativas, Gavardi, Gibbon, Lusitanus *lib.* 5. *Beatitud. quæst.* 4. *art.* 6. Comitibus, & à S. Jacobo, affirmat etiam Alviz *disp.* 10. *sect.* 4. sed Deo, ait, esse unicam indivisibilem perfectionem totalem, tres divinas personalitates, licèt ipsæ sint tres relativæ perfectiones. Ruteanus docet esse plures perfectiones relativas, & relationem secundùm intellectum non dicere perfectionem simpliciter simplicem, sed tantùm secundùm quid. Arpe cum suo Mag. Gasti etiam Augustiniano eam problematicè defendit tamquàm rem incertam in Ægidiana schola, licèt magis inclinetur in sent. negativam.

3 Alij incedunt mediâ viâ; Bancel enim negat relationes di-

dicere perfectionem, si perfectio strictè sumatur, secus si largè. Joannes à S. Thoma, & N. Cornexo docent, illas dicere perfectionem, sed non explicare illam per ordinem ad terminum, seu secundùm *ad*, sed per ordinem ad subjectum, & fundamentum, seu secundùm *in*: cumque fundamentum non multiplicetur, nec multiplicantur perfectiones in tribus relationibus, seu personis; unde juxta hos AA. perfectio relationum est una tantum realiter in omnibus, quod etiam docet Illust. Montalv. *hic* §. 4. Displiget autem aliis distinctio illius duplicis muneris, seu expressionis *in* & *ad* prout ad præsens, quia, si perfectio sumitur per ordinem ad *esse*, & non per ordinem ad terminum, non apparet qualiter sit strictè relativa.

4 Ex his variis opinandi modis constat quàm anceps sit hæc res in Thomistica Schola, & facilius esset singulos opinandi modos rejicere, quàm unum in particulari propugnare. Sed in re dubia placet illi sententiæ subscribere, cui magis Magni P. Aug. locutiones favent. Ea autem est sententia negativa, sed priùs quod magis ab Aug. mente alienum putamus rejiciendum est; & ideò

*** *** ***
*** *** ***

§. II.

STATUITUR PRIMA conclusio.

5 DIcimus 1. *Si relationes dicant perfectionem relativam, non unam tantùm, sed plures esse debet statui.* Ratio est, quia si illa bonitas est relativa, non *ad se*, seu absolutè, sed *relativè* de Deo dici debet; aliàs erit bonitas absoluta: sed quod de Deo non dicitur ad se, si distinctè ad singulas Personas pertineat, non dicitur singulariter: ergo non datur una tantum perfectio in tribus Personis, si relatio importat perfectionem. Prob. min. ex Aug. 5. *Trin. cap.* 8. dicente: *Illud præcipuè teneamus, quidquid ad se dicitur præstantissima illa & divina sublimitas, substantialiter dici; quod autem ad aliquid, non substantialiter, sed relativè: tantamque vim esse ejusdem substantiæ in Patre & Filio & Spiritu S. ut quidquid de singulis ad se ipsos dicitur, non pluraliter in summa, sed singulariter accipiatur.*

Et *lib.* 8. in ipsomet exordio sic ait: *Diximus alibi ea dici propriè in illa Trinitate distinctè ad singulas Personas pertinentia, quæ relativè dicuntur ad invicem, sicut Pater & Filius*

lius, & utriusque Donum Spiritus Sanctus: non enim Pater Trinitas, aut Filius Trinitas, aut Trinitas Donum. Quod verò ad se dicuntur singuli, non dici pluraliter tres, sed unum (aliàs unam) *ipsam Trinitatem.* Ex quibus constat tantùm dici singulariter id, quod de tribus Personis ad se dicitur: ergò si perfectio relationum non est absoluta, sed relativa, nequit esse una. Quod enim de Patre & Filio & Spiritu S. relativè dicitur, pluraliter dicitur: & ideò dicuntur tres Personæ, tres subsistentiæ relativæ, quia Persona & subsistentia Patri & Filio & Spiritui S. conveniunt ratione relationis. Quia verò ratio Filij non dicitur de tribus Personis, licet Filius relativè dicatur, non dicuntur pluraliter tres Filij. Si igitur Patri & Filio & Spiritui S. convenit perfectio relativa ex proprio genere relationis, illa non potest esse unica.

6 Secundò ex D. Thom. *quæst. 7. de Pot. art. 9.* quo utuntur adversi. *Perfectio*, inquit, *& bonum quæ sunt in rebus extra animam, non solùm attenditur secundùm aliquid absolutè inhærens rebus, sed etiam secundùm ordinem unius rei ad aliam.* Sed hic ordo, seu relatio non est una tantum: ergo si relationi ut tali correspondet propria bonitas, seu perfectio relativa, non datur una tantùm perfectio; vel relationes nullâ gaudent bonitate, nisi absoluta essentiæ, quia hæc tantùm non multiplicatur realiter in divinis. *Rursus* contra ipsos faciunt, quæ adversus sent. negativam adducunt, ut probent, bonum non solum dici *in eo quod quid est, & in quali*, sed etiam *in ad aliquid*, ut docet D. Thom. cum Aristot. 1. *Ethic. lect. 6.* Si enim quidquid est *ad aliquid* est formaliter intrinsecè bonum & perfectum, multiplicato *ad aliquid* multiplicabitur etiàm bonitas & perfectio; sicut, quia attributa in suo conceptu formali important perfectionem aliquam absolutam virtualiter ab essentia distinctam, attributis multiplicatis, oportet multiplicari illas perfectiones, quæ sub ipsorum expresionibus includuntur, ut sic sit verum, quod *multa sunt, quæ Deus habet.*

7 Si dicas cum Illust. Montalv. relationem intra propriam lineam duplicem comparationem importare; unam ad subjectum, quod afficit & à quo habet esse; aliam ad terminum, ad quem refert; & quod per comparationem ad subjectum non multiplicatur realiter perfectio relativa, licèt multiplicetur sub expresione referentis ad terminum: quia non oportet quod relativa perfectio sub omni expresione multiplicetur,

sed

sed satis est quod multiplicetur sub expressione referentis ad terminum. Quomodo autem sic multiplicata non multiplicetur perfectio relativa salvatur juxta ipsum, quia relatio non explicat perfectionem, nec illam exercet comparativè ad terminum, sed ad subjectum à quo accipit existentiam: unde perfectio non convertitur cum relatione sub omni realitatis expressione, sed sub ea tantum secundùm quam dicit ordinem ad existentiam. Ita à *num.* 49. *usque ad* 51. Et *num.* 30. §. *Sed contra* docet realitates relationum consideratas in ordine ad proprios terminos realiter & specificè differre, & hac ratione non sunt inter se æquales, sed inæquales; consideratas verò per ordinem ad subjectum non importare inæqualitatem.

8 Plura hic involvuntur, quæ displicent. 1. quia hoc est expressè affirmare, relationem secundùm conceptum *ad* non dicere perfectionem relativam: unde potius potuit statuere pro 1. concluſ. *relationes divinas ex proprio & differentiali conceptu non importare perfectionem relativam ab omni absoluto virtualiter distinctam*, nam AA. 1. sententiæ frequenter quæstionem instituunt de relatione secundùm *ad*, ut videre est apud Gonet, Mastrium *hic num.* 14. & omnes Augustinianos laud. pro 2. sent.

9 2. Si perfectio relativa *satis est quod multiplicetur sub expressione referentis ad terminum*: ergo secundùm talem expressionem multiplicatur perfectio relativa: ergo implicat quod una tantum detur perfectio relativa: ergo licet considerata relatione per comparationem ad subjectum non possint dici plures perfectiones relativæ; considerata tamen penès conceptum *ad* oportet admittere plures perfectiones relativas.

3. Impropriè loquitur dum asserit, perfectionem relativam multiplicari secundum omnia quę illi secundum talem expressionem conveniunt, si conceptui *ad* comparativè ad terminum non competit esse perfectionem relativam: sicut si *res* non competit relationi sub expressione referentis ad terminum, impropriè diceretur, quod res sive realitas multiplicaretur ad multiplicationem relationis sub expressione referentis ad terminum: unde juxta ipsum *num.* 49. quia *res* transcendit relativa non solum per ordinem ad subjectum, sed etiam ea ratione, qua referuntur ad terminos; ideò realitas multiplicatur in relationibus: ergo si perfectio relativa non transcendit relationes sub conceptu ad terminos, nequit dici perfectionem relativam multiplicari *sub*

expreſsione referentis ad terminum; vel ſi hoc admittitur cum ipſo, debet dici eſſe multiplicem perfectionem relativam.

10 4. Relationes prout perſonálitates ſunt, ſeu conſtitutivæ perſonarum, ſunt relationes ſecundùm conceptum *ad* comparativè ad ſubjectum juxta ipſum Illuſt. *pag.* 427. ſed in hoc ſenſu multiplicantur, ut eſt de fide; & ratio perſonalitatis prout ab omni abſoluto diſtinctæ importat juxta ipſum hìc *num.* 8. perfectionem relativam: ergo relatio in eo ſenſu in quo importat perfectionem, multiplicatur realiter in divinis. Ergo relatio comparativè ad ſubjectum multiplicatur, & non præcisè ſub expreſsione ad terminum, quia ſic non conſtituit perſonam, ſed in priori acceptione. Omittimus pro nunc examinare proprietatem locutionis ſumendi *ad* comparativè ad ſubjectum.

11 5. Relationes ſecundùm comparationem ad eſſentiam participant eſſe, & perfectionem ab ea, ut docet ipſe *hìc num.* 49. *in fine*, & ideò in eſſe perfectionum non diſtinguuntur realiter ad invicem, ſed eſt una tantum perfectio in omnibus: ſed hoc nequit ſtare, ſi perfectio relationum dicatur perfectio relativa: ergo relationes nec per comparationem ad ſubjectum gaudent unica perfectione, ſi illa dicitur relativa. Prob. min. Perfectio eſſentiæ eſt perfectio abſoluta: ergo ſi relationes participant eſſe & perfectionem ab eſſentia, non gaudent perfectione relativa. *Aliter.* Perfectio relativa nequit deſumi ex ordine ad eſſe abſolutum eſſentiæ, ſed ex quidditate relationis: ſed hæc nequit non multiplicari multiplicatis relationibus: ergo. *6.* Perfectio realis per comparationem ad ſubjectum eſſet trium relationum: ergo illis tribus eſſet realiter communis: ergo non eſſet relativa, ſed abſoluta: ſola enim abſoluta ſunt realiter divinis Perſonis communia.

12 Quod dicitur de æqualitate relationum conſiderata-rum per ordinem ad ſubjectum, probat etiam relationem ſub nullo conceptu dicere perfectionem relativam, nam ut docet D. Thom. *hìc quæſt.* 42. *art.* 1. *ad* 3. *Filius eſt æqualis Patri, & è converſo. Et hoc ideò, quia eſſentia divina non magis eſt Patris, quàm Filij: unde ſicut Filius habet magnitudinem Patris, quod eſt eſſe eum æqualem Patri; ita Pater habet magnitudinem Filij, quod eſt eſſe eum æqualem Filio.* En ex æqualitate, & identitate perfectionis eſſentiæ, & ex æqualitate magnitudinis, probat D. Thom. æqualitatem in divinis perſonis: ſed perfectio, & æqualitas in mag-

magnitudine, est perfectio non relativa, sed absoluta, quia ut ait S. D. *ibi art.* 4. *Necesse est dicere Filium esse æqualem Patri in magnitudine. Magnitudo enim Dei non est aliud quàm perfectio naturæ ipsius.* Ergo perfectio & magnitudo, secundùm quam personæ sunt æquales, non est nisi essentia Dei vel perfectio naturæ ipsius. Sed perfectio naturæ non est perfectio relativa, sed absoluta: ergo perfectio, quæ dicitur una tantum in divinis, & secundùm quam personę dicuntur æquales, non est perfectio relativa.

13 Urgeo ex D. Thom. *hìc quæst.* 42. *art.* 4. *ad* 2. *Æqualitas attenditur secundùm magnitudinem. Magnitudo autem in divinis significat perfectionem naturæ, & ad essentiam pertinet.* Ergo æqualitas attenditur secundum perfectionem tantum absolutam, quę sola est perfectio naturæ; non iautem attenditur secundum perfectionem aliquam relativam. *Rursus.* Juxta D. Thom. ibi *Nec potest secundùm distinctionem relationum inæqualitas, vel dissimilitudo dici.* Sed juxta hunc A. si realitates relationum in ordine ad proprios terminos considerentur sunt inæquales: ergo secundùm distinctionem relationum inæqualitas dici potest, quod expressè contrariatur testimonio D. Thom.

14 Ult. Vel realitates relationum in ordine ad proprios terminos important perfectionem relativam vel non? Si primum: ergo cùm secundùm illam rationem realiter differant, & sint inæquales, aliquid sub ratione qua dicit perfectionem dicetur inæqualiter in divinis personis, quod est contra D. Thom. *ibi art.* 1. Si secundum: ergo relatio secundùm propriam rationem non dicit perfectionem. Prob. cons. quia *ratio propria relationis non accipitur secundùm comparationem ad illud* in *quo est*, *sed secundùm comparationem* ad *aliquid extra*, ut ait D. Thom. *hic quæst.* 28. *art.* 2. ergo ratio propria relationis salvatur in respectu ad terminum, non in comparatione ad subjectum. Ergo si relatio penès respectum ad terminum non importat perfectionem relativam, propriùs dici debet, relationem ex proprio, & differentiali conceptu non importare talem perfectionem, quam illam importare. Ratio est, quia propriùs dicitur de relatione absolutè, vel ex differentiali conceptu id quod ipsi competit ex ratione propria relationis, quàm id quod ipsi ad summum potest competere ex conceptu penes quem non attenditur ratio propria relationis: ergo si secundùm respectum ad terminum non impor-

portat perfectionem, potius dicitur, &c.

15 Sed ut hæc amplius percipiantur, placet adducere præcipuum fundamentum quod ex D. Thom. desumpsit prælaud. Illust. Ait enim D. Thom. *hic quæst. 42. art. 4. ad 2. Sicut igitur eadem essentia, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio; ita & eadem dignitas, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio.* Ex quibus hunc efformat discursum. Paternitas in Patre est dignitas, utique relativa: sed hæc eadem dignitas est in Filio, imo est ipsa Filiatio: ergo Paternitas & Filiatio licèt importent dignitatem; tamen non important dignitatem distinctam, sed omnino eamdem. At constat quod dignitas ad perfectionem spectat: ergo Paternitas & Filiatio omnino eamdem perfectionem important. Ergo ipsæ relationes per se perfectionem afferunt, & non multiplicant perfectionem. Hoc testimonium satis efficax, inquit, judicamus ad convincendam istam fuisse S. D. mentem.

16 Longè aliter judicandum est attenta littera D. Thom. quam integrè placet apponere, ut appareat aliam fuisse S. D. mentem. Igitur in ipsomet loco hæc habet: *Paternitas est dignitas Patris, sicut & essentia Patris. Nam N. B. dignitas est absoluta, & ad essentiam pertinet. Sicut igitur eadem essentia, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio: Ita eadem dignitas, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio. Verè ergo dicitur, quod, quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius: Nec sequitur, Paternitatem habet Pater; ergo Paternitatem habet Filius. Mutatur enim quid in ad aliquid. Eadem enim est essentia, & dignitas Patris, & Filij. Sed in Patre est secundùm relationem dantis, in Filio secundùm relationem accipientis.*

En dignitas *est absoluta & ad essentiam pertinens*, & quia eadem est essentia in Patre & Filio, ideò quidquid dignitatis habet Pater, habet etiam Filius: quod non teneret, si relatio ex sua ratione formali esset dignitas relativa, quia in Filio non est eadem relatio, quæ in Patre. Unde non possumus non mirari, hunc A. ex prædictis verbis D. Thom. judicasse se desumere illam majorem, *Paternitas in Patre est dignitas, utique relativa vel ipsius Patris*, nam ly *utique relativa* non video ex qua testimonij particula desumatur; imo oppositum ostendo ex D. Thom. Paternitas est dignitas Patris: sed *dignitas est absoluta,*

ta, & in absolutis conveniunt Pater & Filius: ergo est eadem dignitas in utroque; quæ consequentia non teneret, si dignitas esset relativa, quia relativa non sunt eadem in utroque: unde ait D. Thom. *Non sequitur, Paternitatem habet Pater: ergo paternitatem habet Filius.*

Et ratio D. Thom. id ipsum probat, *Mutatur enim*, inquit, *quid in ad aliquid*, hoc est dum arguitur de dignitate, quæ est eadem in Patre & Filio, ad Paternitatem, ut concludatur hanc esse eamdem in utroque, ex eo quod Paternitas est dignitas, mutatur absolutum in relativum: sed si dignitas est relativa, sicut Paternitas, non mutatur quid in ad aliquid, sed arguitur à relativo in relativum; ergo quia dignitas est prædicatum utique absolutum.

Quod paternitas in Patre sit dignitas ipsius Patris, non probat esse dignitatem relativam, quia juxta D. Thom. sicut paternitas est dignitas Patris, ita etiam paternitas est essentia Patris, quod præcipuè tenet in sent. hujus A. de qua *art. præc.* Sed ex eo quod essentia in Patre sit essentia ipsius Patris, non probatur, essentiam esse quid relativum: ergo ex eo quod dignitas in Patre sit ipsius Patris, non sequitur quod sit dignitas utique relativa.

§. III.

PROBATUR SECUNDA conclusio.

17 Dicimus 2. *Non dari in Deo tres perfectiones relativas.* Prob. ex M. P. August. 5. *de Trin. cap.* 8. *Magnus Pater, Magnus Filius, Magnus Spiritus Sanct. non tamen tres magni, sed unus magnus... Nec tres boni, sed unus est bonus.* Et infrà, *Quoniam non aliud est Deo esse, & aliud magnum esse, sed hoc idem illi est esse, quod magnum esse: propterea sicut non dicimus tres essentias, sic non dicimus tres magnitudines, sed unam essentiam, & unam magnitudinem.* En non dantur in divinis tres magnitudines, quia aliàs darentur tres magni: sed *magnitudo Dei non est aliud quam perfectio naturæ ipsius*, ut docet D. Thom. *hìc quæst.* 42. *art.* 4. ergo non dantur tres perfectiones relativæ. Idem dicendum est de bonitate, quia bonum idem est, ac perfectum.

18 Si dicas, S. D. tantùm excludere pluralitatem perfectionis, seu magnitudinis absolutæ, non autem relativæ: *contra est*, quia eâdem ratione dum asserit non esse tres omni-

nipotentes, nec tres essentias, seu tres divinitates, dici posset, tantum excludere tres omnipotentias, vel divinitates absolutè, non autem relativè, in eodem enim sensu negat unum, quo aliud. 2. juxta S. D. verbis datis *num.* 5. quidquid ad se de Deo dicitur *non pluraliter, sed singulariter dicitur*: sed asserit magnum & bonum non dici pluraliter, sed singulariter: ergo quia nullam agnoscit bonitatem vel magnitudinem, quæ sit tribus personis communis & relativa, sed tantùm bonitatem ad se, vel absolutam.

19 Confirm. *ex lib. 6. Trin. cap.* 2. ubi docet filiationem non dici de Filio cum Patre, benè verò magnitudinem: *Filius*, inquit, *sicut in seipso dicitur Filius, quod non cum Patre dicitur, sed ad Patrem; non sic & in seipso magnus, sed cum Patre.* Sed si daretur magnitudo relativa, sicut de Filio dicitur filiatio non cum Patre, ita Filius posset dici magnus in seipso, non cum Patre: ergo quia juxta Aug. non datur magnitudo relativa. *Ult.* Si essent tres magnitudines, bonitates, & perfectiones relativæ, sicut sunt tres personalitates, tresque subsistentiæ relativæ, dicerentur tres magni & tres boni, sicut dicuntur tres prsonæ: ergo cùm Aug. negat posse dici tres magnos, &c. signum est non admittere tres perfectiones relativas.

20 Ex D. Thom. prob. *verbis dat. num* 16. ubi non admittit, paternitatem esse distinctam dignitatem in Patre & in Filio, sed unicam & eamdem: ergo relatio paternitatis non importat perfectionem distinctam à filiatione, aliàs importaret distinctam dignitatem, cum perfectio paternitatis sit dignitas paternitatis. *Rursus* ex dictis *num.* 12. & 13. ubi concludit Filium esse æqualem Patri, quia sunt æquales in perfectione naturæ: sed si dantur perfectiones relativæ à perfectione naturæ distinctæ ex æqualitate in una perfectione non rectè infertur omnimoda æqualitas, quia restat probare æqualitatem quantum ad perfectionem relativam: ergo quia juxta ipsum non datur nisi perfectio absoluta, & de linea naturæ. Et *quæst.* 2. *de Pot. art.* 4. *ad* 14. *Sicut paternitas in Patre, & filiatio in Filio sunt una essentia, ita & sunt una dignitas, & una bonitas.* Sed si filiatio importaret distinctam perfectionem & bonitatem, ac paternitas, non essent una bonitas, sed plures: ergo.

21 Ratio est, quia divinæ relationes non dicunt oppositionem in ratione perfectionis: ergo una tantum est illarum per-

perfectio, quia omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Prob. ant. Si illæ opponerentur in ratione perfectionis, vel si perfectio illis competeret in sensu, in quo opponuntur, non deberent dici tres perfectiones, sed quatuor, quia quatuor dantur relationes, & totidem respectus oppositi Patris ad Filium, hujus ad Patrem, Patris & Filij ad Spiritum S. & hujus ad Patrem & Filium. Sicut ergo spiratio activa non distinguitur realiter à paternitate & filiatione, quia cum illis non habet oppositionem (& idem de paternitate respectu essentiæ Patris) sed tantum cum termino; ita nec relationes in ratione perfectionis. Ratio. Tota perfectio & esse relationis sumitur, teste D. Thom. ab essentia, seu per comparationem ad subjectum: sed in comparatione ad essentiam non opponuntur relationes, aliâs distinguerentur realiter ab ea: ergo perfectio relationum est unica & eadem.

22 Ab inconvenienti rejicitur 1. Si dantur plures perfectiones relativæ, illæ sunt infinitæ, non enim possunt esse finitæ, nec ab utroque præscindere, si dicunt perfectionem; & sic erunt tres infinitates relativæ, ac per consequens tres divinitates relativæ; perfectio enim infinita & divina idem est ac divinitas: ergo si dantur perfectiones relativæ divinæ in ratione perfectionis distinctæ, dabuntur etiam tres divinitates cum addito *relativi*: & exinde tres dij cum tali addito: quia enim absolutè dantur tres relationes realiter inter se distinctæ, quæ sunt personarum constitutivæ, dantur etiam realiter, & absolutè tres personæ distinctæ: & tres etiam dij absolutè darentur, si personę in ratione essentię differrent: ergo si differunt in ratione perfectionis infinitæ relativę, ac per consequens in ratione divinitatis relativę (si licet ita loqui) erunt etiam, &c.

23 2. Sequeretur, quod aliqua perfectio esset in Patre, quæ non esset in Filio, scil. perfectio relativa paternitatis: unde Filius non esset summè perfectus; de ratione enim entis summè perfecti est continere omnem perfectionem, quæ imperfectionem non dicit: talis esset perfectio relativa, aliàs non daretur in Deo: ergo. Idcircò ut Aug. salvet omnimodam æqualitatem in divinis negat dari tres magnitudines, seu bonitates: ergo si, &c.

24 Respondet Suarez, perfectionem paternitatis esse in Filio non formaliter, sed eminenter ratione divinæ essentiæ, & hęc eminentialis continentia

 suffi-

sufficit ad rationem entis summè perfecti. Sed contra. Habere non solum eminenter, sed etiam formaliter perfectionem vel simpliciter simplicem, vel quæ in suo conceptu formali non importat imperfectionem, perfectio quædam est, cujus defectus defectum perfectionis poneret; & ideò si in Deo sapientia non reperiretur formaliter, aliquis defectus perfectionis esset in Deo: ergo si in Filio non reperitur formaliter, sed tantum eminenter perfectio relativa paternitatis,&c.

25 Respondent alij perfectionem relativam paternitatis etiam formaliter contineri in Filio non relativè, sed terminativè, quatenus per circuminsessionem Filius est in Patre, ut terminus actionis immanentis in principio, & Pater in Filio ut principium in termino; & hęc reciproca existentia unius personæ in alia sufficit ut in eis simpliciter salvetur ratio entis infinitè perfecti. *Sed contra*; quia circuminsessio non facit Filium esse Patrem, nec Patrem esse Filium, quia licèt paternitas sit in Filio ut principium in termino, non est tamen in Filio per modum formæ intrinsecè & formaliter, aliàs Filius esset formaliter Pater. Nunc sic. Paternitatem esse in Patre formaliter constitutivè vel relative debet dicere juxta Adversˇ. aliquam perfectionem relativam: sed circuminsessio non facit paternitatem esse in Filio formaliter constitutivè: ergo. *Rursus.* Si hæc solutio teneret, in hac conseq. *Quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius: paternitatem habet Pater: ergo paternitatem habet Filius*, non mutaretur *quid* in *ad aliquid*, quod est contra D. Thom. *num.* 16.

26 Respondent alij, quod licèt perfectio relativa unius personæ non sit in alia formaliter, est tamen æquivalenter, quia tam infinitam perfectionem dicit paternitas in suo genere, quàm filiatio in suo. *Sed contra*, quia eâdem ratione possent dici tres boni & tres omnipotentes, quia omnipotentia unius æquivaleret omnipotentiæ alterius. Et similiter posset defendi Filium esse æqualem Patri, etsi non esset sapiens ea sapientia, qua Pater sapiens est, sed tantum bonus eadem bonitate, & sapiens per distinctam sapientiam, quia illa bonitas in suo genere æquivaleret perfectioni sapientiæ Patris, & similiter sapientia distincta. Item. Ideò probatur esse unicum Deum tantùm, quia si essent duo dij aliqua perfectio deesset uni, quæ esset in alio: sed hæc ratio non urget si admittatur præsens solutio: responderet enim gentilis, uni Deo deficere

re

re formaliter perfectionem alterius, sed non æquivalenter, quia tam infinita esset perfectio unius, quàm perfectio alterius: ergo.

§. IV.

STATUITUR TERTIA *conclusio.*

27 DIcimus 3. *Relationes divinas importare perfectionem, non ratione conceptus* ad, *sed conceptus* in: *illa tamen perfectio importata licet conveniat relationi intra lineam relationis, non tamen ex vi suæ lineæ; & ideò non est strictè relativa.*

Explicatur utraque pars. Perfectio essentiæ communicata relationi reddit relationem perfectam: & quia id, cui perfectio communicatur, est relatio, & intra lineam generis relativi, ideò potest dici, relationes divinas gaudere perfectione relativa, participativè scil. & ut ita dicam, adjectivè, & idcircò admitti potest perfectio intra lineam relativam, quæ dicatur relativa per appropriationem, & adjectivè seu latè. Sed quia hæc perfectio per relationem importata non convenit relationi ex propriis, seu ex vi suæ lineæ; ideò perfectio, quam importat relatio, non est propriè & strictè relativa.

Quod patet in communi sententia omnium Thomistarum, qui non admittunt tres existentias relativas in divinis Personis; non quia divinæ relationes non existant, sed quia talis actualitas in existendo non est propria relationis ut talis, quia ipsi non competit ex vi suæ lineæ, sed ex vi existentiæ essentię; idcircò non datur triplex existentia, quæ strictè & substantivè dicatur relativa. Sed quia per existentiam essentiæ id quod existit est etiam relatio, ideò existentia relationum potest dici relativa adjectivè, & denominativè, attenta re cui communicatur existentia. Unde admittunt tres entitates actuales adjectivè. Similiter dicimus, quòd cùm omnes admittant, relationes esse perfectas, admitti debet ipsas importare perfectionem relativam in sensu dicto; sed quia dum absolutè profertur *perfectio relativa*, intelligitur perfectio ex propria linea relationis, ideò communiter AA. nostræ sent. non admittunt similem locutionem.

28 Quod relationes secundùm conceptum *in* importent perfectionem, constat ex illo Præfationis. *Ut in personis proprietas, & in essentia unitas, & in Majestate adoretur æqualitas.* Sed si relatio vel proprietas non diceret perfectionem, non posset adorari: ergo. Rursus.

ſus. Juxta Auguſt. variis in locis. Quidquid eſt, in quantum eſt, bonum eſt: ſed relationibus competit *eſſe* ratione *in*: ergo & bonitas, ac per conſequens perfectio.

29 Quòd non importent perfectionem ſecundùm *ad* prob. contra Gavardi, & alios, quia apud Auguſt. numquam reperitur, magnitudinem, aut perfectionem dici ad aliud, ſed tantùm ad ſe, ut conſtat ex dictis præcipue *num.* 19. Ergo relatio ſecundùm *ad* non importat magnitudinem aut perfectionem. Prob. ex D. Thom. *in* 1. *diſt.* 26. *quæſt.* 2. *art.* 2. *ad* 3. dicente, quod *quamvis relationi, ex hoc quod ad alterum dicitur, non debeatur, quod ſit res quædam: eſt tamen res aliqua ſecundùm quod habet fundamentum in eo, quod refertur; & ex hoc ulterius habet, in quantum eſt divina, quod ſit hypoſtatis vel ſubſtantia.* Idem habet *in* 1. *ad Annib. diſt.* 26. *quæſt.* 2. *art.* 1. Et 2. *de Pot. art.* 5. *in corp. Nec tamen ſequitur, quod quamvis paternitatem Filius non habeat, quam Pater habet, aliquid habeat Pater, quod non habet Filius. Nam ipſa relatio ſecundùm rationem ſui generis in quantum eſt relatio non habet quod ſit aliquid, ſed ſolum quod ſit ad aliquid. Quod ſit vero aliquid ſecundùm rem, habet ex illa parte qua ineſt, vel ut idem ſecundùm rem, ut in divinis, vel ut habens cauſam in ſubjecto, ſicut in creaturis, unde cùm id quod eſt abſolutum, communiter ſit in Patre & Filio, non diſtinguuntur ſecundùm aliquid, ſed ſecundùm ad aliquid tantùm; unde non poteſt dici quod aliquid habet Pater, quod non habet Filius, ſed quod aliquid ſecundùm unum reſpectum convenit Patri, & ſecundùm alium aliquid Filio.* Idem habet *in* 1. *diſt.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 1. *in corp.* Ex quibus conſtat, quod relatio ſolum habet eſſe aliquid ex ea parte, qua ineſt, non verò ex conceptu *ad*: vel quod tantum habet eſſe, & perfectionem eſſentiæ.

30 Quod autem ex vi propriæ lineæ relationibus non competat perfectio, ſeu quod non dicant perfectionem relativam, conſtat 1. quia vel eſſet unica, vel triplex: non unica, ut diximus §. 2. nec multiplex, ut diximus §. 3. ergo, 2. ex eodem teſtimonio; nam ſi id quod eſt ad aliquid importat perfectionem ab eſſentia diſtinctam, Pater & Filius qui ſecundùm ad aliquid diſtinguuntur, diſtinguerentur ſecundum aliquam perfectionem relativam, ac per conſequens ſecundùm aliquid, quod eſt contra D. Thom. Ratio ſequelæ eſt, quia Pater & Filius diſtinguuntur ſecun-

cundùm relationes penes conceptum *ad*: sed hic conceptus vel expressio in filiatione identificatur cum *in* filiationis, quæ dicit perfectionem stricte relativam juxta Advers. ergo distinguuntur secundùm aliquam perfectionem relativam. Pat. cons. quia quoties duo identificàntur inter se, & unum eorum distinguitur ab alio, etiam differt ab eo illud aliud: sed *in* & *ad* identificantur, & filiatio penes *ad* distinguitur à paternitate: ergo etiam penes *in*; & ideò relationes differunt secundùm quod important perfectionem, & non erit unica perfectio illarum, & sic dici poterit, quod aliquid habet Pater, quod non habet Filius.

31 Rursus. Ut D. Thom. probet, Patrem & Filium non differre secundùm aliquid, quamvis relatio, quam unus habet & non alter, sit aliquid secundùm rem; recurrit ad hoc quod relatio est aliquid in quantum identificatur cum absolutis, quæ communiter conveniunt personis: sed hic recursus non sufficit; si relationes dicunt perfectionem relativam & multiplicem; nam in hac sententia relatio erit aliquid importans perfectionem, non præcisè ut est idem cum absolutis, sed precisivè, & ex sua ratione formali; ergo cum mente D. Thom. non cohæret dari perfectionem relativam, vel unicam, ut constat ex *num. præc.* vel multiplicem.

32 Ult. Juxtà S. D. relationem esse rem aliquam competit ipsi per ordinem ad *esse*, seu fundamentum, non per ordinem ad alterum, seu terminum, ut constat ex *num.* 29. 1. loc. ergo solum per ordinem ad esse desumi potest perfectio relationis. Sed implicat hanc esse perfectionem stricte relativam: ergo perfectio importata per *in* relationis non est relativa; in hoc enim distinxit Aug. absoluta à relativis, quod illa dicuntur ad se; ista per ordinem ad aliud.

33 2. Probatur ratione tradita ex Ang. Præcept. *art. præc. num.* 6. & 13. Perfectio debet sumi per respectum ad subjectum per se & formaliter, seu ratione sui inspectum: sed relatio secundùm propriam rationem non sic respicit subjectum, sed materialiter, & ratione termini, seu propter terminum: ergo non importat perfectionem ab essentia distinctam. Min. patet, quia ideò relatio diffinitur per ordinem ad terminum, nam totum suum esse est ad aliud se habere, unde ait D. Thom. *quæst.* 8. *de Pot. art.* 2. *ad.* 12. *Esse hujus secundùm quod ad aliquid est ad aliud se habere.* Prob. maj. Perfectio formalis consistit in convenienția

tia ad alterum : sed hoc ipso debet dicere ordinem ad subjectum perfectibile per commensurationem cum illo, tamquam quid ei consonum & convenieus: ergo. De his plura *tract. 6. quæst.* 1. *art.* 4. *à num.* 4.

§. V.

SOLVUNTUR ARGUmenta ab auctoritate.

34 ARg. 1. *ex 6. Syn. Gen. act.* 18. *Credimus in Patrem & Filium & Spiritum S. Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate, unam substantiam in tribus subsistentiis : unitatem quidem propter naturalem unionem; trinitatem verò propter subsistentiarum perfectionem.* Et infra: *Trinitas simplex, & imperita, atque incomposita, ex tribus perfectis.* Idem habetur in Conc. I. Constantinop. *in Epist. ad Damasum.* Ergo quælibet subsistentia, seu relatio dicit perfectionem, aliàs non essent tres perfectæ subsistentiæ.

35 Resp. hoc argum. probare contra Montalvan, quia ex ultimis verbis (si Concil. loquitur de perfectione relativa) infertur, tres esse perfectiones, contra ipsum. Dico ergo, quod *perfectum* sumitur in his *adjectivè*, ita ut sensus sit quamlibet subsistentiam esse perfectam, quod verum est, licèt non sint perfectæ perfectione distincta, sed unâ sola perfectione essentiæ in eis transcendentaliter inclusa. Sed non sumitur *substantivè*, ita ut sint tres perfectiones ipsæ subsistentiæ. Sicut licèt una tantùm sit trium personarum omnipotentia, potest pluraliter enuntiari adjectivè ratio omnipotentis, assumendo personas pro subjecto ; quia enim quælibet persona est omnipotens, dicuntur tres personæ omnipotentes, sed non tres omnipotentiæ. Dum autem ait Conc. *propter subsistentiarum perfectionem*, non excludit, sed assignat perfectionem essentiæ, quæ propter sui infinitam fœcunditatem petit tribus ad intra personis communicari, tribusque subsistentiis terminari. Hæc solutio ait Illust. Montalv. non facilè ex testimoniis adductis refelli potest.

36 Propterea arguit ipse ex Præfat. Trin. *Ut in personis proprietas, & in essentia unitas, & in majestate adoretur æqualitas* : sed adoratio non exhibetur nisi excellenti bono: ergo cùm relationes adorentur, sunt bonæ. Non bonitate essentiæ ; nam Ecclesia ibi adorationis motiva exprimens, contraponit proprietates personarum ab unitate essentiæ: sentit ergo, Deum esse adorandum non solum propter unitatem essen-

essentiæ, sed etiam propter proprietates personarum ; & sic illæ important bonitatem, & perfectionem relativam.

37 Sed hæc doctrina & instantia solutionis nostræ præventæ, æquè procedit contra Aug. Præcept. *hìc quæst.* 28. *art.* 2. *in Sed contra*, ubi probat, divinis relationibus exhibendam esse adorationem latriæ, quia sunt ipsa divina essentia, & pro hoc adducit verba nobis objecta. At si instantia nobis facta teneret, eodem modo redarguere possemus D. Thomam, per hoc quod Ecclesia ibi contraponit proprietates personarum ab unitate essentię : non ergo rectè exponit D. Thom. relationes esse adorandas, quia sunt idem cum divina essentia.

38 Rursus. Sicut Ecclesia contraponit adorationem debitam essentiæ & relationibus personalibus, ita etiam præter adorationem debitam talibus relationibus exponit adorationem esse præstandam æqualitati : & tamen æqualitas non est aliqua realis relatio distincta à relationibus personalibus, ut docent Thomistę cum D. Thom. verbis datis *hìc art.* 1. *num.* 23. sed tantùm distinguitur ab illis per rationem : ergo licèt non sola essentiæ unitas, sed etiam personarum proprietas adoratione digna prædicetur, hæc dici poterit adorabilis in quantum est idem realiter cum essentia. Totum igitur adorabile est, unitas, proprietas, æqualitas, quia omnia sunt objecta adoratione digna, vel terminus adorationis, sed ratio formalis adorationis est excellentia bonitatis essentiæ, quæ una & eadem est in omnibus.

39 Tertiò arguit ex D. Epiphan. *in Anchorato*, *cap.* 6. dicente : *Honoratur Pater secundùm quod Pater est.* Et Cyrill. *lib.* 1. *Thesaur. cap.* 6. ubi de Patris persona loquens, ait: *Perfectus est non solùm qua Deus, sed etiam qua Pater.* Et Damasc. *lib.* 1. *de Fide*, *cap.* 11. *Unum*, inquit, *agnoscimus Deum in solis proprietatibus personalibus : secundùm personalem perfectionem differentiam intelligimus.* Ubi non solum concedit perfectionem personarum : sed & perfectionem personalem, quæ est perfectio relativa.

40 Ad hæc respondet Paulus à Concept. in persona divina includi naturam, & per modum *transcendentis*, & per modum *naturæ* ; quia persona diffinitur, *Rationalis naturę individua substantia.* Duplici ergo titulo perfectionem importat, quia includit naturam per modum transcendentis, & per modum naturæ, & ideò dicitur perfectum esse non solum quia

Deum,

Deum, sed etiam quia Patrem, ex quo non sequitur, quod ratione relationis importet perfectionem relativam.

41 Meliùs resp. Patrem qua Patrem (& idem de aliis personis) honorari, & adorari, sumendo ly *qua Patrem* prout reduplicat adorationis terminum, sed non quatenus reduplicat rationem adorandi. Constatque solutio ex intentione SS. PP. qui & Arium impugnant dividentem naturam personarum, & Sabellium personas confundentem; & ideò asserunt Patrem qua Patrem, Filium qua Filium, & Spiritum S. qua Spiritus S. est, honorari debere, non autem unam tantum personam, nec unam præ alia: nec in adoratione separandam esse Trinitatem ab unitate essentiæ, vel è contra: undè dicitur in festo SS. Trinitatis, *Deum verum, unum in Trinitate, & Trinitatem in unitate venite adoremus*: & idem in Symb. S. Athan. Et in Missæ Præfat. copulativè adorabiles prædicantur, & essentia, & proprietates, id est, omnia simul.

42 Quod Damasc. ait de perfectione, quam appellat personalem, & secundum quam differentiam admittit, non intelligitur de perfectione relationis, quæ sit perfectio relativa, sed de perfectione essentiæ, quæ ut inclusa in personis, & diversimodè ab ipsis modificata, personalis appellatur, undè post ly *personalem perfectionem* additur in parenthesi, *id est existentis modum*, nam illa perfectio absoluta, quæ in solo Patre est à se, meritò personalis appellatur. Sed non potest intelligi de perfectione relativa, aliàs essent tres perfectiones relativæ, (quod non admittit ipse Illust. Montalv.) auctoritates enim omnes supra adductæ, si perfectionem probant relativam, & ab essentia distinctam, clarè indicant tres esse perfectiones relativas.

43 Aliæ sunt auctorit. in quibus dicitur Deum futurum imperfectum, si careret relationibus filiationis, &c. quod quidem verum est, quia nisi Pater Æternus Filium haberet, natura divina fœcunda non esset, & ideò imperfecta. Unde Cyrillus ubi supra post illa verba, *Perfectus est non solùm qua Deus, sed etiam qua Pater*, immediatè subjungit, *Quare qui Deum negat Patrem esse, is fœcunditatem aufert à divina natura, ut jam perfecta non sit, cùm generandi virtute careat.* Ex hoc tamen non probatur relationes importare perfectionem propriam, sed tantum esse terminos necessarios, & modos intrinsecos, ad quos illa naturæ perfectio se extendit, & in quibus essentialiter modificata subsis-

sistit. Sic si possibilia deficerent, deficeret omnipotentia, quin propterea arguatur possibilia importare propriam perfectionem, vel bonitatem (Obiter adverte, Illustrissimum Montalv. nullam pro se ex Augustino nobis objicere auctoritatem, quod non obscurè innuit, talem sententiam conformem non esse illius menti)

44 In hoc sensu dixit D. Thom. *quæst.9. de Potentia, art. 5. ad 23. Quod licèt tota & perfecta divinitas sit in qualibet trium personarum secundùm proprium modum existendi, tamen ad perfectionem divinitatis pertinet, ut sint plures modi existendi in divinis... Non enim esset omnimoda perfectio in divinis, nisi esset ibi processio Verbi & amoris.* Et *Opusc. 1. cont. err. Græc. cap. 7.* ait Patrem sine Filio non esse perfectum. Quę omnia verificantur ex hoc, quod illi modi diversi existendi personarum, licèt non dicant perfectionem relativam, ad perfectionem tamen pertinent divinitatis, quam in se imbibunt; ad modum quo verum ut tale dicitur pertinere ad rationem entis, quia licèt non superaddat perfectioni entis, eam tamen imbibit. Vel quia, ut diximus, sunt termini necessarij divinæ fœcunditatis. Sic diximus, voluntatem divinam non potuisse manere suspensam ab omni actu libero; quia ad ipsius libertatis perfectionem pertinet, quod terminetur ad creaturas secundùm fore vel non fore illarum, quin ex eis ulla perfectio accrescat divinæ voluntati.

45 Secundùm istos diversos modos habendi perfectionem naturæ, intelligendi etiam sunt PP. si quando asserunt, *Dignitates personarum esse tres*, quia, ut diximus ex August. & Thoma, eadem dignitas & perfectio est in tribus personis: sed in Patre ut à se & non ab alio, in Filio ut à Patre, in Spiritu S. ut à Patre & Filio. Sed non possunt intelligi secundùm perfectionem relativam, ita ut relatio filiationis v. gr. superaddat perfectionem ad essentiam; aliàs majorem perfectionem importarent duę personæ, quàm una, quod est contra August. 6. *Trinit. cap. ult.* dicentem: *In illa Summa Trinitate tantum est una, quantum tres simul, nec plus aliquid sunt duæ quàm una.*

46 Arg. 4. ex D. Thom. *quæst.8. de Pot. art. 2. ad 1.* dicente: *Essentia divina non est in genere substantiæ, sed est supra omne genus, comprehendens in se omnium generum perfectiones. Unde nihil prohibet, id quod est relationis in ea inveniri.* Et *hìc quæst.27. art.2. ad 3. In ipsa perfectione divini*

esse continetur & Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, sicut & quæcumque ad ejus perfectionem pertinent. Et *in* 1. *ad Annib. dist.* 20. *art.* 3. *in corp.* Ordo, ait, *reperitur in divinis personis quantum ad illud, quod supponit, scil. distinctionem, & quantam ad rationem suæ speciei, scil. ordinis & originis; cum utrumque sit perfectionis in eo.* Ex quibus constat relationes ex suo genere perfectionem importare; aliàs non tenent locutiones D. Thom.

47 Resp. quòd cùm perfectio sequatur ad esse, ut sæpè docet D. Thom. & esse sit unicum in divinis, quod est proprium essentiæ, nequit dari in Deo perfectio distincta à perfectione essentiæ. Debet quidem in eo reperiri perfectio relationis, quia essentia divina utpotè infinita, & suprà omne genus debet omnium generum perfectiones complecti: cumque unum ex generibus sit relatio, perfectio relationis debet in Deo reperiri, aliàs non esset omni modo perfectus, sed ad hoc non opus est, relationem importare perfectionem ab essentia distinctam, sed sufficit importare perfectionem essentiæ. Ratio est, quia in omni genere, seu prædicamento reperitur ens, & consequenter realitas, bonitas, & perfectio: ergo in genere relationis etiam reperitur perfectio entis divisi. Cumque esse rem, vel ens non debeatur relationi in quantum est ad alterum, ut docet D. Thom. verbis dat. *num.* 29. sub tali expressione nequit relatio dicere perfectionem, sed tantùm penès *esse* & *in*, vel secundùm quod habet fundamentum in eo quod refertur: relatio autem sic considerata nequit importare perfectionem relativam ab essentiæ perfectione distinctam, quia perfectio, quam sic importat, est perfectio essentiæ, seu divini entis in ipsa realiter imbibiti.

48 Ratio. Omnis perfectio sequitur ad esse: sed esse relationis non est ad aliud se habere, quia ad aliud se habere est ejus quidditas, seu ratio; *ratio autem non significat esse*, ut docet D. Thom. 8. *de Pot. art.* 2. *ad* 11. & 12. & solum penès *ad aliud* salvatur conceptus relativus: ergo relatio ut talis non importat perfectionem ab essentia distinctam. *Rursus.* Juxta D. Thom. ibi: *Esse hujus secundùm quod ad aliquid, est ad aliud se habere*: ergo relatio paternitatis in divinis est esse essentiæ secundùm quod ad Filium: sed esse essentiæ non importat perfectionem ab essentia distinctam: ergo relatio nullo modo superaddit essentiæ perfectionem. Stat ergo relationem non importare perfectionem re-

la-

lativam, & tamen in ipsa divina essentia debere reperiri relationes, quia essentia utpote infinitè perfecta in omni genere debet ex vi suæ perfectionis continere talem modum existendi in se.

49 Divinam essentiam esse perfectissimam, etsi relationes non importent perfectionem, non obscurè deducitur ex D. Thom. *hìc quæst.* 28. *art.* 2. *ad* 3. dicente: *Non sequitur, si nomen relativum... non significat aliquid perfectum, quod divina essentia habeat. esse imperfectum; quia divina essentia comprehendit in se omnium generum perfectionem.* Ergo perfectio essentiæ est perfectio omnis generis. Ergo etiam generis relativi. Ergo perfectio relationis non distinguitur à perfectione essentiæ. Quod etiam significat S. D. in 2. auctorit. nobis objecta: si enim in perfectione divini esse continetur Verbum & principium Verbi: ergo una & eadem est perfectio divini esse & Verbi. Ergo una non est absoluta, & altera relativa. Nec adversus dicta sumi potest instantia ex attributis absolutis, quæ important perfectionem in sua ratione formali: datur enim disparitas, quam D. Thom. assignat *num.* 6. *art. præced.* per hoc quod alia prædicamenta important habitudinem ad id de quo dicuntur, tàm secundùm suum esse, quàm secundum proprij generis rationem; relatio non sic. Igitur licet sit perfectio, & ideò constituenda sit in Deo; tamen est perfectio ratione essentiæ intimè in ipsa inclusæ, & sic non est perfectio relativa.

50 Arg. 5. ex eodem *hìc quæst.* 29. *art.* 3. *Dicendum, quod persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura, scil. subsistens in rationali natura. Unde cùm omne illud, quod est perfectionis Deo sit attribuendum eo quod ejus essentia continet in se omnem perfectionem, conveniens est, ut hoc nomen persona de Deo dicatur.* Ex quibus. Persona prout talis est perfectissima: sed relationes constituunt personas in suo esse formali: ergo relatio importat perfectionem. Prob. conseq. Nequit non esse perfectio constitutivum perfectissimi constituti: sed persona est perfectissimum constitutum, relatio constitutivum: ergo.

51 Confirm. ex *Opusc.* 9. *quæst.* 5. ubi cùm sibi fuisset propositus hic articulus ex opere Petri de Tarantasio, *In Deo producere personas non est de ratione perfectionis, sed in creaturis esset*, respondet S. D. *Simpliciter intellectum falsum est, nisi addatur, quod non est de ratione perfectionis absolutæ, vel ad se dictæ*: ergo produce-

re personas dicit perfectionem in divinis, quia oppositum falsum est. Sed D.Thom. declarat, esse verum quod producere personas non est de ratione perfectionis absolutę, & ad se dictæ; ergo sentit esse de ratione perfectionis relativæ.

52 Resp. ad 1. disting. maj. Persona prout talis, ly *prout* reduplicante solam relationem, neg. maj. reduplicante cum relatione naturam, subd. est perfectissima à sola relatione, neg. à natura vel in recto vel in obliquo, conc. Igitur Persona importat relationem & naturam : ratio autem perfectionis nequit à relatione desumi, sed à natura, quia perfectio & bonitas dicunt ex sua ratione diffusionem sui & communicabilitatem; à relatione autem implicat provenire communicabilitatem, & diffusionem, cùm ab illa constituatur persona incommunicabilis : incommunicabilitas autem ex hoc pugnat cum perfectione & bonitate, quia pugnat cum communicabilitate. Idcircò ab eo à quo provenit incommunicabilitas personæ, nequit desumi illius bonitas & perfectio; sed debet provenire à natura, quæ est de proprio conceptu personæ, & in recto quatenus transcendens, & in obliquo quatenus terminata: unde persona significat id quod perfectissimum est in tota natura, esto non dicat perfectionem relativam, & à perfectione essentię condistinctam.

Aliud enim est, relationes personas constituentes pertinere ad Divinitatis perfectionem, & aliud quod perfectionem importent relativam. Primum est verum, & hoc est quod docet D. Thom. in objecta auct. & *9. de Potent. art. 5. ad 23. Ad perfectionem divinitatis pertinet, ut sint plures modi existendi in divinis.* Sed non secundum : Nam ad perfectionem naturæ perfectissimæ potest pertinere se communicare alicui rationi, quæ ex sua linea non afferat perfectionem, dummodo sit capax accipiendi perfectionem naturæ, eam in se intimè includendo. Licet igitur relatio ex sua linea non importet perfectionem, quia tamen in se imbibit naturam superintellectualem perfectissimam, dicitur ad perfectionem divinitatis pertinere, & significare id quod perfectissimum est in tota natura, scil. subsistens in natura rationali. Vide *num.35.* Sic licèt verum ut tale secundum quod superaddit enti, non dicat perfectionem virtualiter ab ente distinctam, significat tamen perfectionem ab ente in actu communicatam, quia ens in ipso vero transcendentaliter includitur, & ad entis perfectionem pertinet vero communicari.

Ad

53 Ad conf. resp. D. Thomam solùm intendere, quod producere personas in divinis non est de ratione perfectionis absolutæ præcisivè consideratæ, scil. excluso respectu & modificatione, seu quatenus communis tribus personis: benè verò de ratione illius quatenus connotat relationem modificantem perfectionem naturę; principium enim *quo* processionum divinarum ex perfectione absoluta in recto, & relatione in obliquo conflatur. Unde sensus D. Th. est, *producere personas non est de ratione perfectionis absolutæ præcisè* & secundùm se, quod & nos fatemur; quin teneamur admittere perfectionem relativam ab essentia distinctam, quia ut verum sit, quod producere personas non est de ratione perfectionis absolutæ, sufficit quod ad productionem debeat ingredi conceptus relationis, ut modificans principium proximum processionum. Qui sensus constat, quia si producere personas esset de ratione perfectionis relativæ, sequeretur productionem personarum & vim activam illius competere relationi, quod non admittunt Thomistæ hìc arguentes, ut vidimus *quæst. præc. art.* 2. *num.* 10. Sequela patet, quia D. Thom. ait, talem productionem non esse de ratione perfectionis naturæ.

§. VI.

SOLVUNTUR ARGUmenta à ratione.

54 ARg. 1. Relatio secundùm proprium conceptum est entitas relativa: sed ad ens sequitur bonitas & perfectio transcendentalis: ergo relatio dicit perfectionem relativam. Prob. min. Nam bonum inter passiones entis numeratur, & bonum & perfectum idem sunt. *Confirm.* Paternitas v. g. est integra in proprio genere, cùm integrè ratione sui Patrem constituat & referat ad Filium: ergo gaudet perfectione transcendentali, quia *perfectum est illud cui nihil deest in proprio genere.* 2. Perfectio formalis consistit in convenientia formæ ad subjectum: sed personalitas divina ut talis est conveniens personæ constitutæ, cum omne constitutivum sit conveniens constituto: ergo.

55 Resp. omittendo pro nunc an relationes dici possint tres entitates (de quo infra *quæst.* 3. *art.* 4. *à num.* 3.) neg. min. ad illius probationem dici potest 1. bonitatem, quæ consequitur ad ens, esse bonitatem materialem, qua res dicitur integra in suis prædicatis essentialibus, non autem bonitatem, quæ

quæ sita est in dignitate & excellentia rei, de qua in præsenti: hæc enim perfectio non subsequitur ad ens utcumque, vel ad ens purè sub conceptu entitatis, sed ad illud prout existens vel connotans existentiam: perfectio enim & bonitas in actualitate consistit, quæ non datur nisi saltim connotata existentia, ut diximus *tract. 6. quæst.* 1. *art.* 4. *à num.* 7. *&* 17. Relatio autem secundùm conceptum relativum nec existit proprjâ relativa existentiâ, nec ut talis potest existentiam connotare.

Unde secundùm conceptum relativum nec concipitur expressè ut in potentia, nec ut in actu: non ut in potentia, quia implicitè includit existentiam, sicut & transcendentaliter essentiam: non ut in actu, quia explicitè non connotat existentiam, sed purè concipitur ut entitas se habens ad aliud. Nec hoc inconvenit, quia licèt inter esse actu, & esse in potentia absolutè & in re, non detur medium; datur tamen inter esse actu, & esse in potentia ratione sui, ut patet in ratione albi & non albi, ubi non datur medium, si consideretur, illa ratio absolutè in re, benè vero si consideretur homo secundùm se, quia sic nec est albus, nec non albus. Sic considerata relatione in re est actualis actualitate essentiæ: considerata verò secundùm conceptum relativum nec concipitur ut in actu, nec ut in potentia.

56 Per hoc patet ad 1. confirm. quia cùm perfectio stet in actualitate, & respectui prout tali repugnet propria & expressa actualitas, quoniam respectus formaliter est ad aliud, & actualitas propriæ existentiæ est ad se, hinc relationi nequit competere ex vi suæ lineæ perfectio & bonitas. Est quidem relatio Paternitatis actualis respectus ad Filium, sed ad hoc sufficit actualitas essentiæ implicita: & ut actu Patrem constituat & distinguat à Filio, sufficit, quod sit actualitas entitativa; actualitas enim existentiæ non est ratio constituendi, sed solum conditio. Similiter patet *ad ult.* quia perfectio consistit in convenientia, ut est in actu existentiæ, vel ut exprimit ordinem ad illam non sine tali connotatione, qualiter se habet relatio ratione sui præcisè considerata.

57 Dices. Divina relatio ut forma hypostatica, seu constituens personam, connotat divinam existentiam: ergo prout sic dicit perfectionem relativam. Prob. ant. Relatio in illa ratione connotat naturam divinam, quia illam terminat: ergo & existentiam, quia natura divina ratione sui est formaliter sui existentia.

Resp.

58 Resp. Godoy, divinam naturam distingui virtualiter saltim inadæquatè ab existentia, & ratione hujus distinctionis potest relatio ut est forma hypostatica naturam sub conceptu naturæ connotare, & non sub existentiæ: ratione enim similis distinctionis in relatione sub munere referendi, & supponendi unitur relatio humanitati Christi ut hypostasis, & non ut relatio. *Resp.* 2. cum Carrasco, quod cum natura divina quatenus transcendens sit in recto de conceptu divinæ relationis, & in obliquo quatenus terminata; relatio existit ratione essentiæ transcendentaliter imbibitæ: unde licèt ut forma hypostatica connotet existentiam, non dicit propriam perfectionem, quia non connotat existentiam ut sibi subjectam, seu ut per eam in actu constitutam, sed purè quatenus naturam divinam constituit in actu; ex quo tantum deduci potest connotare perfectionem absolutam naturæ, quod non negamus, non autem perfectionem relativam.

59 Nec desunt qui asserant relationem in ratione formæ hypostaticæ dicere perfectionem, licèt non sub expresso conceptu relationis, quod communiter rejicitur, quia relatio nequit esse forma hypostatica, vel constitutiva personæ ratione alicujus absoluti, cùm personam constituat in quantum constituit subsistens incommunicabile & distinctum, quod ratione absoluti præstari nequit, quia istud est commune. Debet ergo id habere ratione relativi: non sub respectu ad terminum, qui dicitur conceptus *ad*; sed sub respectu ad subjectum qui dicitur *in*, seu formæ hypostaticæ, qui etiam est conceptus relationis, quia illa formaliter ut relatio adæquatè considerata utrumque respicit, munus enim illius adæquatum est subjectum ad terminum ordinare, ut respicit subjectum & terminum.

60 Illi autem respectus solum distinguuntur penes nostrum modum concipiendi, seu penes diversam significationem terminorum: ut docet D. Thom. 9. *de Pot. art.* 4. *in fine corp.* de quo art. seq. à num. 8. Igitur relatio adhuc ut forma hypostatica nequit dicere perfectionem ab essentia distinctam, quia illud habet sub conceptu *in*. Et si sub tali ratione constituentis Personam diceret perfectionem relativam, multiplicaretur perfectio in divinis, cùm relatio in ratione formæ hypostaticæ, multiplicetur.

61 Arg. 2. Relationi competit quod sit *melior ipsa*, *quàm non ipsa*, seu quàm carentia ipsius: ergo est perfectio simpliciter simplex: Resp. Divinam rela-

lationem ratione sui esse meliorem carentiâ illius respectu divinæ Personæ negativè, non verò positivè *ut quo*, sed ut quod, quia ratio conveniendi & perfectionis est sola perfectio absoluta in ea inclusa.

62 Arg. 3. Personalitas divina secundùm relativum sanctificat humanitatem Christi in sententia plurium Thomist. sed sanctitas est perfectio: ergo relatio prout ab essentia distincta perfectionem importat. Maj. suaderi potest 1. Humanitatem esse Deo summè conjunctam, est maxima bonitas & perfectio: sed sic est unita ratione Personalitatis secundùm conceptum relativum: ergo. 2. Forma, quæ ratione sui pugnat essentialiter cum peccato, ratione sui est bona, sancta, & perfecta: sed talis est Personalitas divina: ergo.

63 Variè hìc discurrunt AA. plures enim concedunt Personalitatem Verbi sanctificare formaliter humanitatem: & tamen propugnant nostram præsentem concluſ. docentes relationes non dicere perfectionem ad intra, quia aliàs darentur tres perfectiones in divinis formaliter distinctę, sed ad extra: quod non est inconveniens, quia in perficiendo ad extra non opponuntur inter se. Alij è contra docent, Personalitatem Verbi secundùm conceptum relativum non sanctificare humanitatem, ratione illius quod explicat & superaddit essentiæ: difficile enim apparet, qualiter Personalitas ratione conceptus explicitè ad essentiam superadditi non dicat perfectionem; & tamen quod ratione talis conceptus exprimat sanctitatem etiam ad extra. Si enim id admittitur, quia non sequitur multiplicatio perfectionis, ex eo quod in perficiendo ad extra non opponantur; etiam admitti potest, relationem dicere perfectionem ad intra, quia non sequitur multiplicatio, cum licèt inter se opponantur, non opponantur tamen in perficiendo naturam divinam, ut fatentur qui nobis in præsenti adversantur, propugnantes relationes esse unicam perfectionem & perficientem ad intra, ut docet Illust. Montalvan.

64 Resp. negat. maj. Ad 1. prob. resp. quod licet humanitas uniatur Deo ratione Personalitatis Verbi, & hoc sit maxima perfectio, hęc tamen non præstatur per Personalitatem ratione sui, sed perfectio præstatur ratione Deitatis essentialiter inclusæ, esto maximam illam perfectionem non communicęt, nisi ut applicata ratione Personalitatis Verbi. Unde quidquid perfectionis, sanctitatis, & excellentiæ relucet in mysterio Incarnationis & in humanitate ex mysterio totum tribuendum est di-

divinitati unitæ, quæ est fons totius perfectionis: relatio tantum facit, hanc Personam Filij, & non aliam esse incarnatam. Incompatibilitas cum peccato convenit Personalitati, etsi ratione sui non sit bona perfectione relativa, quia habet infallibiliter annexam naturam divinam, quæ est puritas per essentiam: per quod patet ad 2.

65 Arg. 4. Subsistentia divina personalis ratione sui continet eminenter subsistentiam creatam: ergo ratione sui dicit perfectionem. Prob. ant. Continet eminenter subsistentiam creatam secundum quod supplet & præstat effectum illius; v. gr. terminationem humanitatis Christi: sed terminat ratione sui, & non ratione essentiæ, aliàs terminatio esset communis tribus personis: ergo. Prob. conf. princ. Subsistentia creata est perfectio naturę humanæ; sed eminentialis continentia perfectionis dicit perfectionem in continente: ergo.

66 Resp. dist. ant. continet subsistentiam creatam secundùm perseitatem indepen-dentiæ ab altero ut sustentante, neg. secundùm perseitatem incommunicabilitatis alterì, conc. Subsistentia creata primo modo considerata est perfectio, non secundo modo: sub qua tantum ratione continet divina subsistentia creatam. Sed ex hac ratione incommunicabilitatis nequit provenire perfectio ut dix. *num.* 52. Continentia subsistentiæ creatæ secundùm perseitatem independentiæ ab altero ut sustentante convenit subsistentiæ divinæ personali ratione essentiæ in ea implicitæ, quia talis perseitas est absoluta: & ratione hujus implicationis potest perfectionem subsistentiæ creatę continere & effectum ejus præstare, licèt ratione sui non explicet perfectionem; sicut quamvis Personalitas divina absoluta non sit, sed relativa, continet tamen eminenter subsistentiam creatam, quæ absoluta est; ex eo quod licèt non explicet rationem absolutam, implicat tamen illam. Hæc amplius constabunt ex *tract. de Incarnat.* ubi probatur, humanitatem Christi non fuisse primo & per se verbo unitam ratione divinę naturæ, sed ratione proprietatis personalis.

67 Dices, divinam Personalitatem non dicere perfectionem est imperfectio; nam dicere explicitè perfectionem perfectio est: ergo oppositum est imperfectio. Relationibus autem divinis non debemus attribuere imperfectionem. *Resp.* quod cum dicere perfectionem ratione sui, & illam ratione sui non dicere opponantur contradictoriè, si primum est perfectio, secundum erit non positivè

tivè imperfectio, ſed præcisè non perfectio. Sic ſi eſſentiam divinam exiſtere propriâ exiſtentia eſt perfectio, non ſequitur eſſe imperfectionem, attributa non exiſtere propriâ exiſtentia: ſed præcisè infertur, non eſſe perfectionem, attributa non exiſtere propriâ exiſtentia. Ad ſummum ergo erit imperfectio negativa, non privativa, quia Perſonalitas non eſt apta dicere ratione ſui perfectionem, ſed ſolum includere perfectionem eſſentiæ, quam de facto includit.

68 Arg. 5. Relatio divina ratione ſui exigit identitatem cum eſſentia divina, & inclusionem illius: ergo ratione ſui eſt apta dicere perfectionem, nam exigentia perfectionis in aptitudine ad illam fundatur: & identitas cum eſſentia, quam relatio exigit, perfectio eſt. *Reſp.* ex hoc non probari, relationes dicere explicitè & ratione ſui perfectionem, ſicut ex eo quòd ratione ſui exigant exiſtentiam eſſentiæ, ut exiſtant, non probatur eſſe ratione ſui exiſtentes, ſed potius contrarium. Exigentia ergo perfectionis terminatur ad perfectionem implicitam: aptitudo verò ut ratione ſui dicant perfectionem reſpicit perfectionem explicitam: unde poſſunt ratione ſui exigere perfectionem, licèt non habeant aptitudinem exprimendi perfectionem ratione ſui, quia ratione ſui ſunt aptæ eam implicitè includendi, & non eam exprimendi ratione ſui. Exigentia perfectionis fundatur in aptitudine implicandi perfectionem eſſentiæ: at talis exigentia perfectionis non eſt perfectio formaliter talis, quia non dicit actualitatem, ſed eſt perfectio exactivè ſeu illativè: perfectio autem exacta pertinet ad lineam abſolutam.

69 Arg. 6. Quod præponderat ſuo contradictorio, reddens illud impoſsibile, debet eſſe perfectio; erit enim æſtimabilius quàm contradictorium, & æſtimabilitas rei aliquam dicit perfectionem: ſed talis eſt quælibet divina relatio, quia trinitas relationum ita neceſſariò exiſtit in Deo, ut reddat impoſsibilem ſuam carentiam: & æſtimabilior eſt Patri paternitas, quàm ejus carentia; aliàs non magis æſtimaret ſe eſſe Patrem, quàm non eſſe Patrem: ergo quælibet divina relatio eſt perfectio.

70 Reſp. diſt. maj. Eſt perfectio vel poſitiva vel negativa, conc. præcisè poſitiva, neg. & admiſſa min. diſt. conſ. Ergo eſt perfectio negativa, conc. poſitiva, ſubdiſt. ratione ſui, neg. ratione eſſentiæ, conc. Et hoc ſufficit ut reddat impoſsibile ſuum contradictorium. Sic verum ſecundùm proprium

priùm conceptum reddit sui contradictorium impossibile, quin secundùm proprium conceptum, & secundùm id, quod superaddit enti, dicat perfectionem virtualiter ab ente distinctam; p. hoc quod ratione sui non dicit imperfectionem, ut patet in vero divino, & quia exigit perfectionem & entitatem in ipso transcendentaliter imbibitam, & ratione hujus entitatis, quam implicat, connotat existentiam, estque perfectio positiva.

71. Instabis. Relatio in quantum perfectio negativa nequit præponderare suo contradictorio, siquidem illud etiam gaudet simili perfectione negativa: & nihil præponderat alio sub eo in quo convenit: sed relatio ratione sui est perfectio negativa: ergo ratione sui non præponderat suo contradictorio. Resp. neg. maj. ad prob. implic. neg. maj. quia si relatio est perfectio negativa, carentia illius nequit esse eadem perfectio negativa, sed debet esse carentia perfectionis negativæ. Differunt in hoc, quod relatio est perfectio negativa affirmans ipsum respectum: carentia relationis esset perfectio negativa negans respectum ad terminum: prima est æstimabilior ratione entis divini quod essentialiter involvit.

72. Hoc argumento probari posset relationes ratione sui dicere ordinem ad existentiam, quia si reddunt impossibile suum contradictorium, reddunt illud repugnans ad existendum: quod ipsis competere non posset, nisi ipsæ dicerent ordinem ad existentiam. *Sed resp.* relationem divinam ratione sui non reddere suum contradictorium impossibile secundùm quod istud explicat repugnantiam ad existendum, quia relatio Paternitatis ratione essentiæ, quam imbibit, & secundùm existentiam illius reddit suum contradictorium repugnans ad existendum, non autem ratione sui & secundùm id quod explicat, quia sic non importat propriam existentiam: & solum datur contradictio inter negationem relationis sub expresso conceptu repugnantis ad existendum, & relationem sub expresso conceptu relationis existentem. Cum autem existentia non competat relationi sub expresso illius conceptu & muneris ad terminum; hinc illa ratione sui & secundùm id quod explicat, nequit reddere chimericum suum contradictorium sub expresso conceptu repugnantis ad existendum, quia negatio relationis sub hac expressione repugnantiæ ad existendum non est contradictorium relationis ratione sui præcisè & sub tali expressione consideratæ, sed relationis, ut

existentis ratione existentię essentiæ.

73 Arg.7. Eò relatio creata secundum conceptum *ad* non dicit per nos perfectionem formalem, quia prout sic non respicit subjectum formaliter & ratione sui, nec connotat existentiam: sed hoc est falsum: ergo relatio creata, & potiori jure divina debet dicere perfectionem. Prob. min. Ratio accidentis reperitur determinata in relatione per proprium conceptum relativum: sed de ratione accidentis est respicere subjectum, & connotare existentiam: ergo.

Si dicas, id non competere relationi penes conceptum *ad*, sed secundum *in*; ac per consequens talem perfectionem non esse relativam, sed absolutam: *Contra est.* Formalis ratio accidentis in relatione nequit esse absoluta, sed relativa: ergo si ut accidens dicit perfectionem, talis perfectio debet esse relativa. Prob. ant. quia id quod est commune rationi communicatæ per modum transcendentis, non constituit peculiarem lineam distinctam ab eo quod transcendit; ut patet in ente imbibito in relatione creata, quod non constituit peculiarem lineam à linea relativa, sed ibi inclusum est formaliter relativum, sicut inclusum in absoluto est formaliter absolutum: ergo cum ratio accidentis sit communis relationi & reliquis prædicamentis, ut inclusa in relatione nequit ab illa distingui, nec ad aliam lineam pertinere: & sic relatio creata, si ut accidens dicit perfectionem, non dicet perfectionem absolutam, sed relativam.

74 Resp. rationem accidentis non transcendere relationem creatam secundum conceptum *ad*, sed solum secundum conceptum *in*: cujus ratio est, quia ut docet D. Thom. hoc est speciale in relatione præ aliis generibus accidentis, quod in illa sola ratio accidentis accipitur secundum comparationem ad subjectum, ejus vero *ratio propria non accipitur secundum comparationem ad illud, sed secundum comparationem ad aliquid extra.* Et sub hac comparatione ad terminum relationibus creatis consideratis *inveniuntur esse assistentes, non intrinsecus affixæ. In aliis* verò *generibus à relatione, etiam propria ratio generis*, & non sola ratio accidentis, *accipitur secundum comparationem ad subjectum.* Hìc *quæst.28. art.2.*

75 Ex quibus infero, rationem accidentis in relatione repertam non esse relativam, sed absolutam: si enim relatio accipitur secundum quod est accidens, sic præcisè consideratur per comparationem ad subjectum,

tum, accidentis enim esse est inesse : quod autem accipitur secundum comparationem ad subjectum præcisè, non accipitur secundum rationem propriam relationis; & sic ratio accidentis in relatione non erit stricte relativa. Rursus *relatio* juxta D. Thom. *ibi ad* 1. *non prædicatur ut existens in eo de quo dicitur*, nec secundum *ad* consideratur ut intrinsecus affixa subjecto : sed si ratio accidentis in relatione reperta transcenderet relationem secundum *ad*, prædicaretur ut existens in subjecto, quia hic modus prædicandi est proprius accidentis ut talis : ergo ratio accidentis communis relationi creatæ, & aliis predicamentis non transcendit relationem secundum *ad*. Cujus alia ratio est, quia illa ratio communis est positivè absoluta, cum desumatur per ordinem ad subjectum ut sui causam materialem : positivè autem absolutum non includitur formaliter in formaliter relativo. Ex quo deduco, relationem secundum propriam rationem, seu *ad*, non dicere perfectionem, nam prout sic non respicit per se & formaliter subjectum, nec connotat existentiam, cùm non consideretur ut accidens.

76 Dicit quidem perfectionem secundum conceptum *in* proprium & speciale relationis, sed non ex eo dicit perfectionem relativam. Pro quo nota, in relatione dari conceptum communem *in* seu accidentis, quo convenit cum aliis prædicamentis accidentium, & *hoc communiter in omnibus est inesse subjecto* ait D. Thom. *ubi sup.* Consideratur etiam *in* speciale & athomum, per quod differt relatio ab aliis rationibus absolutis in aliis prædicamentis accidentis repertis; & hujus ratio propria est illud *in* absolutum cum exigentia respectus & conceptus *ad*, ita ut illud indispensabiliter inferat: & ratione hujus relatio est quædam res; & subjectum constituitur realiter relatum ad terminum.

Hoc *in* speciale, licèt sit formaliter absolutum, & ideò transcendatur ab accidente, est tamen proprium relationis, quia exactivè seu initiativè est relativum : unde ab aliis primum *in* vocatur absolutum, secundum relativum, & postea consideratur ipsum *ad*, vel exercicium referendi : & hic est conceptus proprius relationis seu propriè & formaliter relativus, de quo asserimus, nullam dicere perfectionem.

Illud *in* exactivè seu initiativè relativum est quod dicit perfectionem, quia secundùm illud connotat existentiam relatio, illudque transcendit ratio accidentis; sed quia ratio communis

munis accidentis determinatur per aliquam rationem propriam & ſpecialem de linea relationis, ideò dicitur pertinere ad prædicamentum relationis; & ineo includi tranſcendentaliter ratio communis accidentis. Specialis modus, quo contrahitur ad lineam relationis, eſt vi illius exigentiæ alterius poſterioris reſpectus, qui dicitur *ad*: quod non competit aliis prædicamentis à relatione; illorum enim propria ratio adæquatè conſiderata accipitur juxta D. Thom. *ſup.* ſecundùm comparationem ad ſubjectum: genus autem relationis adæquatè conſideratæ non deſumitur præcisè ſecundùm comparationem ad ſubjectum, ſed per ordinem ad terminum, vel formaliter actualiter, conſiderato *ad*, vel exactivè & initiativè, conſiderato *in*, vel ratione accidentis, ut contracta ad prædicamentum relationis. Unde accidens tranſcendens & imbibitum in prædicamento relationis eſt in aliquo ſenſu relativum, & in aliquo ſenſu abſolutum: eſt abſolutum, quia ſolum tranſcendit & verificatur penes *in*; in autem nequit eſſe purè relativum: eſt aliqualiter relativum, in quantum per contractionem ad determinatam lineam relationis indiſpenſabiliter infert & exigit poſteriorem reſpectum *ad*.

77 Dices. Si præter *in* relativum conveniat relationi *in* abſolutum, totum eſſe relationis non erit ad aliud ſe habere. 2. Sequitur, prædicamentum relationis eſſe compoſitum ex illo duplici *in*, relativo & abſoluto. *Reſp.* hoc non eſſe inconveniens, ſed eſſe ſpeciale in prædicamento relationis, quia ejus propria & adæquata ratio debet coaleſcere ex illa duplici formalitate, vel conſideratione, qua reſpicit ſubjectum, & exiſtentiam connotat; & qua dicitur ad terminum. Primum patet ex eo, quod principale argumentum ſupponit, rationem accidentis tranſcendere prædicamentum relationis: conceptus accidentis eſt conceptus *in*: datur ergo in relatione conceptus qui connotet exiſtentiam & ſubjectum: & hoc eſt quid commune novem generibus accidentium. Aliàs ratio propria relationis ſalvatur penes *ad* juxta D. Thom. ergo.

Genus igitur relationis erit ſimplex quoad *ad*; & in tantum genus cujuslibet prædicamenti dicitur ſimpliciſsimum, in quantum excludit compoſitionem ex genere & differentia: hæc autem non datur in relatione, quia illud duplex *in* non ſe habet per modum rationis ſuperioris & inferioris, ſed per modum duplicis differentiæ inadæquatæ, eo ferè modo quo in Deo diſ-

distinguitur intelligere radicale & actuale, nam actuale est vel ipsi ultimæ differentiæ formalizans priorem. Sic *ad* se habet in relatione per modum constitutivi formalis & ultimati, secundum quod relatio est simplicissima.

Quia verò hoc essentialiter exigitur ab *in* ipsius relationis, & ideò istud dicitur initiativè relativum, idcircò totum esse relationis est ad aliud, & quia ex conceptu *ad* per modum ultimæ differentiæ ultimo & formaliter constituitur. Dici etiam potest, totum suum esse esse in ordine ad aliud, ut denotetur, perpendendo ly *suum*, esse quidditativum proprium relationis salvari in conceptu *ad*, non in *in*, quia *esse* seu existere, quod dicit *in* relationis non est suum, sed est esse subjecti. Unde D. Thom. 8. *de Pot. art.* 2. *ad* 11. *In divinis*, ait, *nullo modo est esse nisi essentiæ... & ideò nullo modo concedendum est, quòd aliud sit esse relationis in divinis, & aliud essentiæ.* Addit quidem relatio supra essentiam non aliquam rem, sed solum rationem (ait ad 3.) *Ratio autem non significat esse.* (Ad 11.) Et ad 12. *Esse hujus secundum quod ad aliquid est ad aliud se habere.* En ad aliud se habere, seu relatio non habet esse nisi *hujus*, subjecti, vel fundamenti: ergo esse hujus quod est ad aliud se habere, non est relationis, sed subjecti, non quia relationi nullum esse respondeat, sed quia non habet esse distinctum ab esse subjecti, ut de divina relat. docet D. Thom. in illa quæst. *& hìc art.* 2. *ad* 2.

Hinc pro complemento solutionis princip. argum. dicimus, *in* relationis, penes quod dicit perfectionem, esse absolutum formaliter, quia sic consideratur ut accidens, & prædicatur ut existens, & habet esse absolutum essentiæ, & per consequens perfectionem absolutam ejusdem. Et est relativum initiativè, seu exactivè.

78 Arg. ult. Omnipotentia secundum proprium conceptum non dicit ordinem ad subjectum, quia virtus productiva creaturarum, in qua formaliter consistit, solùm dicit connexionem, & connotationem ad creaturas: & tamen dicit perfectionem, ut patet: ergo similiter divina relatio esto non dicat ordinem ad subjectum.

79 Resp. omissa solutione Godoy, omnipotentiam, & quælibet alia attributa, respicere formaliter subjectum, quia ut cum August. docet D. Thom. in divinis duo tantum dicuntur esse prædicamenta, substantiæ, scil. & relationis, quia quæ ad modum qualitatis vel quantitatis de Deo dicuntur, de eo secundùm modum substantiæ prædi-

dicantur. *Et propter hoc* (ait D. Thom. *hìc quæst. 28. art. 2. ad 1.*) *dicuntur duo tantum esse prædicamenta in divinis; quia alia prædicamenta important habitudinem ad id, de quo dicuntur tàm secundum suum esse, quàm secundum proprij generis rationem.* Ergo præter id, quod de Deo dicitur relativè, quidquid de ipso prædicatur, importat secundum propriam rationem ordinem ad subjectum.

Connexio igitur omnipotentiæ cum creaturis est absoluta, & ipsa ratio virtutis productivæ creaturarum; licèt secundùm nostrum imperfectum modum concipiendi, connexionem & connotationem illam concipiamus per modum cujusdam respectus ad creaturas. Sed ex parte rei conceptæ est omninò absoluta propter dicta.

80 Colliges (ut alia minoris momenti dissolvantur) discrimen esse inter personalitatem creatam & divinam, ex hoc quod illa est quid absolutum, cui non repugnat perfectio: ista verò est quid relativum ex quo capite nequit dicere perfectionem. Sed non ex hoc creata perfectior erit divinâ: quia quod personalitas creata dicat perfectionem, provenit ex eo, quod nedum præstet perfeitatem incommunicabilitatis, sed etiam independentiæ, quia natura, quam terminat ex sua limitatione nullam perfeitatem habet: & ex hac limitatione refunditur imperfectio in ipsa personalitate creata, scil. realis ipsius distinctio à natura terminata. E contra, divinam personalitatem formaliter non dicere perfectionem provenit ex quo naturæ solùm præstet perfeitatem incommunicabilitatis; & hoc oritur ex infinitate divinæ naturæ, quæ ratione sui habet independentiæ perfeitatem. Unde excessus & differentia inter personalitatem creatam & increatam non arguit imperfectionem in personalitate divina, sed potius oppositum.

81 Colliges etiam, quod si in Deo esset unica tantum subsistentia, qua natura divina redderetur ultimò completa & terminata; illa non diceret ratione sui perfectionem, si esset ejusdem rationis cum subsistentia, quæ de facto datur. At non esset ejusdem rationis, cùm in illo casu esset absoluta: si autem esset relativa, ex hoc ipso, quamvis unica, non diceret perfectionem. Cumque in præsenti natura divina non possit per aliquid absolutum ultimò terminari ac reddi incommunicabilis, sed potius ex summa ipsius naturæ perfectione & fœcunditate petat tribus personis communicari; debet ita terminari per relationes inter se oppositas: illæ autem ut puri respec-

pec-

pectus ad terminum nequeunt dicere perfectionem.

QUÆSTIO III.

DE PERSONIS DIVINIS.

ARTICULUS I.

QUID SIT PERSONA? An Deo conveniat? Et quodnam sit significatum talis nominis?

§. I.

DEO CONVENIT RATIO Personæ, & illius diffinitio explicatur.

DIcimus 1. Personam rectè diffiniri à Boëtio per hoc quod sit, *Rationalis naturæ individua substantia.* Dicitur *rationalis naturæ* ad differentiam suppositi, quod convenit etiam naturis ratione carentibus. Per ly autem *rationalis* non denotatur principium discurrendi, (quod in Deo non admittitur) sed sumitur secundùm quod ratio importat communiter intelligibilem naturam. D. Thom. *hic quæst.* 29. *art.* 3. *ad* 4.

Dicitur *individua* ad differentiam generum & specierum, quæ sunt divisibilia in sua inferiora, & ut denotetur non solùm singularis, sed etiam specialis modus incommunicabiliter existendi: individuum enim dicit incommunicabilitatem simpliciter. Undè excluditur à ratione personæ anima rationalis separata, quæ licèt sit subsistens, non tamen est incommunicabilis, & similiter excluditur quævis substantia singularis partialis. Et ideò individuum solùm potest Deo competere in quantum importat incommunicabilitatem, non quantum ad hoc quod individuationis principium est materia. D. Thom. *ibi.*

Propterea Ricardus de S. Vict. rationem personæ prout in divinis explicare volens, illam sic diffinivit, *Divinæ naturæ incommunicabilis existentia.* Per ly *incommunicabilis* non tantum excluditur communicabilitas universalis ad inferiora, & partis ad totum, sed etiam naturę ad suppositum, seu assumptibilis ad aliquid dignius; (D. Thom. *hìc art.* 1. *ad* 2.) & idcirco humanitas Christi licèt sit substantia individua, non tamen dici potest persona, quia est assumptibilis & communicatur alteri ut supposito sustentanti, scil. Verbo divino. Similiter natura divina, estò secundùm se gaudeat subsistentiâ absoluta; quia communis est tribus suppositis à quibus terminatur: ratio autem personæ importat rationem ultimi ter-

mini in se contenti, & nulli communicabilis. Dicitur tandem *substantia* ad differentiam accidentium, & convenit Deo secundùm quod substantia significat existere per se.

2 Hoc nomen *Persona* videtur traductum (ait Boëtius *lib. de Dua. Nat.*) *ex his personis, quæ in comœdiis, tragœdiisque homines repræsentabant*: unde etymologicè apud Græcos significat idem ac *Larva*, & apud Latinos *personatus* sumitur ut est idem ac *Larvatus*. Ceterùm etymologia, quam habet apud Latinos, est idem ac *per se sonans*, *per se stans*, seu *per se ens*; & hoc significatur apud Græcos per nomen *hypostasis*.

3 Attentâ illa prima significatione nominis quantum ad id â quo impositum est, non convenit Deo persona, benè verò quantum ad id ad quod significandum imponitur. *Quia enim in comœdiis repræsentabantur aliqui homines famosi, impositum est hoc nomen, persona, ad significandum aliquos dignitatem habentes. Unde consueverunt dici Personæ in Ecclesiis, quæ habent aliquam dignitatem.* Sed Laurentius Valla Grammaticus, & Budæus in Pandectis primævæ significationi hujus nominis innitentes acriter invehebantur in Theologos & Patres, quòd hac voce utantur ad significandam hypostasim, seu primam substantiam, cùm potius significet qualitatem, seu dignitatem, sicut dicere solemus, quempiam agere Personam Regis, in quo regia dignitas repræsentatur. Et dùm fides docet, in Deo esse tres Personas, tres ipsi qualitates intelligebant, veram & strictam rationem personæ non admittentes. In eo sensu Sabellius in Deo tres personas admittere non renuebat.

4 Fide tamen catholica certum est dari in divinis rationem personæ verè & propriè. Ita constat ex Conciliis Toletano XI. & Lateranensi *cap. Firmiter*, & ex communi usu Ecclesiæ & Patrum, præcipuè ex August. *lib. 7. de Trin. cap. 6. & lib. 5, cap. 9.* Et ex Symbolo Athanasij dicentis: *Alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus S.*

Ex D. Thom. *hìc quæst. 29. art. 3. ad 2.* prob. nam Persona est nomen impositum ad significandam aliquam dignitatem: & quia magnæ dignitatis est in rationali natura subsistere, ideo omne individuum rationalis naturæ dicitur persona: sed dignitas divinæ naturæ excedit omnem dignitatem: ergo etiam quantum ad id ad quod significandum impositum est tale nomen, convenit Deo ratio personæ. 2. Cui verè competit diffi-

fi-

finito rei; verè competit ratio diffiniti: sed Deo verè competit diffinitio personæ, ut diximus *num.* 1. ergo.

5 Tertio prob à S.D. *quæst. 9. de Pot. art. 3. sic.* Persona significat quamdam naturam cum quodam modo existendi. Natura autem, quam persona in sua significatione includit, est omnium naturarum dignissima, scilicet, natura intellectualis secundùm genus suum. Similiter etiam modus existendi, quem importat persona, est dignissimus, ut scilicet aliquid sit per se existens. Cum ergo omne, quod est dignissimum in creaturis, Deo sit attribuendum, convenienter nomen personæ Deo attribui potest, sicut & alia nomina, quæ propriè dicuntur de Deo.

6 Sed advertendum est, non exiguam olim extitisse controversiam in Ecclesia circa nomen *hypostasis*, quod contractum ad naturam rationalem idem significat ac persona, suppositum, res naturæ, substantia. Cum enim illud nomen usurparetur à Græcis, & anceps videretur ad significandam essentiam seu substantiam, (quæ dicitur *usia* apud Græcos) à tali voce refugiebant Latini, ne admittendo tres hypostases, viderentur admittere tres usias (ut ait Nazianzenus in *Orat. de laud. D. Athan.*) seu tres essentias, vel substantias, ut Ariani dicebant. Latini verò qui rejecto nomine hypostasis, tres Personas dicebant, Græcis videbantur cum Sabellio consentire, non realem distinctionem inter divinas subsistentias, sed muneralem seu ratione officij concedere existimantes, quòd personæ vocabulum ad qualitatem seu auctoritatem officij tantùm pertinere credebant.

Litèm hanc in Concil. Alexandrino excitatam composuit Magnus Athanasius, & Nazianzenus Constantinopoli in Oratione quæ est 32. probantes, nullam de rebus esse inter utrosque differentiam. Unde effecit Athanasius, ut Græci Personæ vocabulum pro hypostasi acceptarent: & vicissim D. Hieronymus apud Damasum Pont. Epist. 57. curavit, ut Latini hypostasim pro persona dicerent. De hac nominum varietate agit etiam August. 5. *Trin. cap. 9. &* 7. *Trin. cap. 6.* Et D. Thom. *hic art. 2. ad 2.*

§. II.

RESOLVITUR ULTIMA pars quæsiti.

7 Sciendum est (ait D. Thom. 9. *de Pot. art. 4.*) quòd aliquid significat dupliciter, uno modo formaliter, & alio modo materialiter.

Formaliter quidem significatur per nomen id, ad quod significandum nomen est principaliter impositum, quod est ratio nominis, sicut hoc nomen homo, significat aliquid compositum ex corpore & anima rationali: materialiter verò significatur per nomen illud, in quo talis ratio salvatur, sicut hoc nomen homo, significat aliquid habens cor & cerebrum, & hujusmodi partes, sine quibus non potest esse corpus animatum animâ rationali.

8 Secundùm hoc, ergo dicendum est, quod hoc nomen Persona divina *significet subsistens distinctum in natura divina: & hæc est formalis significatio illius.* Et quia distinctum incommunicabile in natura divina, non potest esse nisi relatio (quia omne absolutum est commune & indistinctum in divinis) *ideò materiali significatione significat relationem vel relativum.* D. Thom. ibi.

9 Sed nota, quod si relatio sumatur in concreto, tunc est significatum formale & directum hujus nominis *Persona divina*; quia sola relatio in concreto est subsistens distinctum & incommunicabile in natura divina: sed significatum formale & directum personæ ut sic, est subsistens incommunicabile in natura intellectuali, ut constat ex definitione personæ: ergo relatio in concreto significatur directè & in recto. Unde D. Thom. *ibi in fine corp. Potest dici, quod significat relationem per modum substantiæ, non quæ est essentia, sed quæ est hypostasis; sicut & relationem significat non ut relationem, sed ut relativum,* in concreto, scil. non in abstracto.

10 Si enim relatio sumatur in abstracto, seu *ut significatur hoc nomine Paternitas, sic includitur obliquè in significatione Personæ divinæ*, ait D. Thom. *ibi.* Et *hìc art.* 4. loquens de relatione in abstracto seu per modum relationis, docet cadere in obliquo in ratione personæ. Et loquens de illa ut constitutiva personæ docet, quod hoc nomen Persona significat relationem in recto, & *essentiam in obliquo, non tamen relationem in quantum est relatio*, seu respectus ad terminum, *sed in quantum significatur per modum hypostasis*, seu quatenus est substantialiter subsistens.

11 Ratio hujus est, quia Persona divina juxta August. dicitur ad se, & ad aliud non refertur attentâ formali significatione, ut exponit D. Thom. *in loco ex disp. ad* 3. Ergo non significat relationem per modum relationis; sed per modum substantiæ, quæ est hypostasis. Ita etiam hìc ad 1. Persona ergo divina formaliter & explicitè

te significat relationes sub conceptu subsistentium incommunicabiliter: implicitè verò & de materiali significat illas sub conceptu relationum & prout exercent munus referendi ad terminum.

12 Quod relatio sumpta in abstracto solum indirectè & obliquè importetur in significatione personæ, constat, quia hoc est proprium constitutivi respectu nominis significantis constitutum: relatio significatur ut constituens; Persona est nomen significans constitutum: ergo relatio solùm in obliquo importatur in significatione personæ.

13 Quod Persona divina non significet directè essentiam, sed tantum de connotato, prob. contra aliquos à D. Th. relatos, ex diffinitione personæ, ubi natura non ponitur in recto. 2. Nam si natura divina significaretur in recto, personâ dicta pluraliter, ut dum dicuntur tres Personæ, pluraliter diceretur natura: dumque dicimus: *Alia est persona Patris, alia Filij*, sensus esset, quod alia est essentia Patris, alia Filij: numerus enim pluralis dividit significatum directum & in recto termini, supra quem fertur, sicut multiplicat personalitatem, quæ per nomen persona directè significatur. Sequela autem est contra Fidem.

14 Ex his constat contra Scotum *Personam* non dicere puram negationem, licèt importet incommunicabilitatem. Quia persona dicit subsistens incommunicabiliter; subsistere autem nequit competere negationi. 2. Dum dicitur, humanitatem Christi assumptam esse ad personalitatem Verbi, non est sensus, assumptam esse ad aliquod purè negativum, sed in effectum positivum. 3. Quia dum Ecclesia tres divinas personas confitetur, non confitetur tres tantum negationes. Oportet ergo quamlibet divinam personam habere aliquid positivum & proprium, per quod realiter ab aliis distinguatur, & supra quod negatio communicationis fundetur.

15 *Incommunicabile* igitur appositum in definitione personæ non est accipiendum pro incommunicabilitate formaliter ut est negatio, sed fundamentaliter, ita ut modus ille positivus subsistendi, quem dicit in recto, sit fundamentum negationis communicabilitatis. Sic immateriale ex quo demonstratur intellectivum non accipitur negativè formaliter, sed positivè pro spiritualitate, vel elevatione à materia.

16 Ultimò infertur contra Durandum, *Personam* non significare de formali secundam intentionem rationis, quia personæ divinæ non distinguuntur

per

per aliquid rationis tantum, ſed reale : ſed ſignificat de formali id, per quod perſonę conſtituuntur & diſtinguuntur. Rurſus, Trinitas perſonarum eſt vera & realis, & non per rationem tantum: ergo.

ARTICULUS II.

UTRUM PRÆTER EXISTENTIAM abſolutam & communem, dentur in divinis tres exiſtentiæ relativæ?

§. I.

PROBATUR CONCLUSIO negativa.

1 OMnibus ſententiis abſolutum eſt, dari in Deo, præintellecto relationibus, exiſtentiam abſolutam, juxta illud: *Ego ſum qui ſum*, ubi non ſignificatur aliquid Perſonas diſcernens, ſed illis commune: ergo datur *exiſtere* abſolutum & commune; per ly enim *qui ſum*, vel *qui eſt* ſignificatur exiſtentia. Dubium eſt de exiſtentia relativa. Affirmat Suarez, Medina, & Gibbon, pro ſe allegans Scotum, Gamboam, & alios. Negant Auguſtiniani, & Thomiſtæ, cum quibus breviter.

2 Dicimus, *Non dari in Deo tres exiſtentias relativas, ſi exiſtentia in ſua ſtricta ſignificatione ſumatur, ut diſtincta à ſubſiſtentia.* Prob. ex Athanaſio, & Auguſtino non admittentibus tres æternos: ergo nec tres exiſtentias. Prob. conſeq. quia æternitas nihil aliud eſt, quàm permanentia rei in ſuo *eſſe*: ergo ſi permanet in pluribus exiſtentiis, forent plures æternitates. Conf. juxta Auguſt. 7. *Trin.* 4. *in fine*: *Quod eſt, ad ſe dicitur*: ergo juxta ipſum exiſtentia tantum eſt abſoluta, & nulla relativa; aliàs quod eſt, etiam relativè diceretur, quod non reperitur apud Auguſt.

3 Prob. ex D. Thom. *quæſt.* 8. *de Pot. art.* 2. *ad* 11. dicente: *In divinis nullo modo eſt eſſe niſi eſſentiæ, ſicut nec intelligere niſi intellectus; & propter hoc ſicut in Deo eſt tantum unum intelligere, ita etiam unum eſſe: & ideò nullo modo concedendum eſt, quod aliud ſit eſſe relationis in divinis, & aliud eſſentiæ.* Idem conſtat ex dictis *art.* 3. *præc. num.* 64. & 3. *p. quæſt.* 17. *art.* 2. *ad.* 3. *Quia Perſona divina eſt idem cum natura, in perſonis divinis non eſt aliud eſſe perſonæ, & aliud eſſe naturæ: & ideò tres perſonæ non habent niſi unum eſſe.* Et in 1. *diſt.* 33. *quæſt.* 1. *art.* 1. *ad* 1. docet: *Quod illud eſſe, in quo Paternitas & eſſentia uniuntur ſignificatur ut eſſe, quod eſt actus eſſentiæ: non autem unitur*

tur in esse, quod significat definitio rei, quia alia est ratio Paternitatis, qua ad aliud refertur, & alia ratio essentiæ: ergo existentia Personarum non est virtualiter distincta ab existentia essentiæ, quia D. Thom. negat distinctionem inter existentiam Paternitatis & essentiæ, quam admittit inter rationem relationis & essentiæ: inter rationem autem utriusque solùm admittenda est distinctio virtualis: hanc ergo relegare debemus inter existentiam Paternitatis & essentiæ.

4 Prob. ratione. Quod convenit relationibus per ordinem ad subjectam, non multiplicatur; quia relationes non opponuntur comparativè ad subjectum: sed existentia competit illis comparativè ad subjectum, & non per ordinem ad terminum: ergo. Prob. min. ex paritate relationis creatę, cujus existentia est inexistentia, & secundùm hanc expressionem significat comparationem ad subjectum. Relationes autem divinæ, licèt non insint, quia sunt substantiales, habent esse per se, in quo non exprimitur comparatio ad terminum, sed ad subjectum: nam existere competit relationi, in quantum ipsi convenit expressio realitatis; hæc non competit ex præciso conceptu *ad aliud*, sed ex conceptu *in*, ut sæpe diximus ex D. Thom. præcipuè *art.* 3. *præc. num.* 29. ergo.

5 Deinde. Existentia divinarum personarum & relationum est prædicatum absolutum: ergo non multiplicatur in divinis. Prob. ant. Ratio actus puri est absoluta & una in omnibus prædicatis divinis: sed existentia divina importat rationem actus puri, cùm ex proprio conceptu dicat actualitatem, & nullum sit ens, quod per eam non reducatur ad actum: ergo existere quod nullam habet potentiam, unde limitetur, erit pura actualitas, seu actus purus. Sed tale est existere divinum: ergo est absolutum.

§. II.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

6 ARg. 1. ex Aug. 7. *Trin. cap.* 4. *in fine* dicente: *Aliud est Deo esse, aliud Patrem esse.* Ergo esse Dei & esse Patris distinguuntur saltim per rationem. *Resp.* ex D. Thom. *laud. num.* 4. M. Parentem loqui de alietate rationis existentiæ, & relationis, non de alietate ipsius esse existentialis Deitatis, & relationis. Quod patet ex eo quod S. D. non ait, *aliud* esse *Deum esse* (ut Gibbon & alij ipsum laudant) sed

aliud

aliud esse *Deo esse*, *aliud Patrem esse*, quod facit hunc sensum: aliud est quod Deus sit, aliud quod Pater sit, quia alia est ratio existentiæ, alia ratio Paternitatis: in quo non involvitur, ut patet, quod sit duplex existentia, alia absoluta Deitatis, alia relativa Paternitatis; sed quod sit alia ratio existentiæ, & alia ratio Paternitatis. *Ratio autem*, ait D. Thom. *quæst.* 8. *de Pot. art.* 2. *ad* 11. *non significat esse* seu existere: *Sed esse quid, id est quid aliquid est. Unde duæ rationes unius rei non demonstrant duplex esse ejus, sed demonstrant, quod dupliciter de illa re potest dici quid est; sicut de puncto potest dici quid est, sicut principium, & ut finis; propter diversam rationem principij & finis.*

7 Aliæ sunt auctoritates, in quibus pluraliter dicitur existentia divina. Sed in his sumitur existentia latè ut coincidit cum subsistentia, quandoque enim existentia accipitur in hoc sensu, ut patet ex D. Thom. *hìc quæst.* 29. *art.* 3. *ad* 4. ubi diffiniens rationem personæ ut in divinis, adducit hanc definitionem ex Richardo de S. Vict. *Est divinæ naturæ incommunicabilis existentia.* Ex quibus constat, tres admitti posse existentias: si enim multiplicatur persona, multiplicari etiam debet illius diffinitio: ergo cùm in hac includatur existentia, necesse est dicere, quod in aliquo sensu etiam existentia multiplicatur.

8 Quod patet: ex eo enim quod personæ sunt tres, admitti possunt in Deo tres individuæ substantiæ, semel quod persona diffiniatur, *Rationalis naturæ individua substantia*: sunt tres personæ: ergo tres individuæ substantiæ, non prout substantia significat essentiam, sed prout significat *existere per se* incommunicabiliter, ut docet D. Thom. *hìc quæst.* 29. *art.* 3. *ad* 4. Et in hoc sensu intelligendus est August. dum *lib.* 7. *Trin. cap.* 4. *circa finem*, ait: *Cum conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum sensus, quod in secretario mentis pro captu tenet de Domino Deo Creatore suo... timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa æqualitate ulla diversitas. Rursus non esse tria quædam, non poterat dicere... Quæsivit quid tria diceret: & dixit substantias, sive personas. Ne omninò taceremus*, ut ait cap. seq. in princ. *interrogati, quid tres, cùm tres esse fateremur.* En admittit tres substantias juxta locutionem Græcorum, licèt concludat *cap.* 5. *Fortassis commodiùs dicuntur tres personæ, quàm tres substantiæ*: quando autem dixit *subs-*

substantias, si substantiam accipit pro subsistentia, ait enim ibi *in cap. 5. circa finem*: *Ab eo quod est subsistere, substantiam dicimus*. Ergo similiter dum *existentia* reperitur pluraliter dicta de Deo, dici potest sumi latè, prout est idem ac subsistentia relativa; quia hoc indicat ly *incommunicabilis* appositum ante existentiam in diffin. Personæ ex Ricardo.

10 Arg. 2. Dantur in divinis tres realitates in actu: ergo & tres existentiæ. Patet conf. quia existentia est entitas actualis, vel realitas actualis. Prob. ant. Tres personalitates important tres realitates: non in potentia: ergo in actu. *Resp.* inst. In divinis dantur tres realitates æternæ, infinitæ, &c. ergo tres æternitates, &c. quod dici nequit, quia una æternitas sufficit, ut tres personalitates reddantur æternæ: ergo & una existentia, ut reddantur existentes. Dist. ergo ant. sunt tres realitates, vel entitates numero cadente supra actualitatem, neg. supra realitatem, vel entitatem, conc. Sicut dum dicimus dari tres personas sapientes, numerus ternarius non cadit supra formam, vel sapientiam, quæ est unica in omnibus, sed supra subjectum, vel personam.

11 Inst. Relationes per se ipsas sunt extra nihil, aliàs per se non essent aliquid: ergo per se sunt actuales. 2. Relationes prout ab essentia distinctæ constituunt personas, distinguunt, & actu referunt ad invicem: ergo eis prout sic competit ratio entis actualis. *Resp.* Aquòd ut Paternitas v. g. ut distincta ab essentia non sit potentialis, & ut sit extra nihil, sat est, ut implicet actualitatem essentiæ, ratione cujus est in actu: & ratione talis actualitatis verificatur, quòd actu referat Patrem ad Filium, & unum ab alio actu distinguat; quin sit necesse, ut pro hoc ipsi competat actualitas ratione expliciti. Vide *art. 3. præc. à n. 55.* Et instatur argum. *Relationes secundum proprium conceptum non sunt æternæ: ergo secundum illum sunt temporales*, quod non tenet, quia datur medium, ut ibi diximus. Sic relationi non competit ratione sui, ut sit potentialis, vel ut sit extra nihil, vel ut habeat actualitatem referendi: nec item ipsi competit per se esse nihil; quia datur medium, scil. quòd sit actualis ratione existentiæ essentiæ, quam implicitè includit, sicut est increata ratione entis increati, quod implicitè involvit. Et ratione talis existentiæ ponitur completè extra nihil ipsa relatio, & in hoc non differunt essentia & relatio, nisi in quantum illi competit primariò & à

se, ista verò habet esse extra nihil completè, secundariò & ratione essentiæ. Relatio habet esse extra nihil incompletè ratione sui & per propriam entitatem.

12 Arg. 3. Existentia naturæ solùm communicatur relationibus & personis per quamdam transcendentiam: sed sic communicata nequit reddere Personas existentes: ergo. Prob. min. Existentia est ultima actualitas rei supponens illam in sua specie constitutam; sed prædicata transcendentia conveniunt rei non ultimatè, sed antè differentias specificas: ergo. *Resp.* neg. min. & ad ejus probat. dist. min. Prędicata transcendentia, quæ sunt aliquomodo potentialia, conc. quæ transcendunt per modum actus puri, neg. quia hæc non possunt intelligi convenire rei usque ad ultimam differentiam; si enim pro priori ad illam convenirent, essent in potentia ad illam, ac per consequens non transcenderent per modum actus puri. Sic autem transcendit omnia prædicata Dei illius existentia.

13 Arg. 4. Existentia relationis est relativa: ergo multiplicatur realiter. Prob. ant. 1. Quia si esset absoluta, Pater esset ad se: sed hoc est contra rationem relativi, cujus totum suum esse est ad aliud se habere: ergo. 2. Existentia debet proportionari cum entitate, cujus est: existentia: ergo existentia relationis divinæ debet esse relativa. 3. à paritate relationis creatæ, quæ habet existentiam distinctam ab existentia fundamenti. 4. Dum filiatio producitur, etiam producitur existentia illius, quia actio productiva terminatur ad dandum existentiam: sed in divinis non producitur aliquid absolutum: ergo existentia filiationis est relativa.

14 Resp. 1. quòd licèt existentia divinæ naturæ dici posset relativa, in quantum id quod per eam existit est relatio, non ideò debet multiplicari, quia prædicata relativa non multiplicantur secundùm quod conveniunt in comparatione ad subjectum; & ita illis convenit existentia. 2. resp. neg. ant. Ad 1. probat. dic Patrem posse dici ad se, quantum ad existentiam, licèt non reduplicata ratione relativa, & quoad quidditatem relationis. Esse, quod ponitur in diffinitione relationis, dum dicitur, quod *totum suum esse est in ordine ad aliud*, non sumitur pro existentia, sed pro esse, quod significat quidditatem. De esse enim sumpto pro existentia, ait D. Thom. 8. *de Pot. art.* 2. *ad* 12. *Cum relatio sit accidens in creaturis, esse suum est inesse.*

Un-

Unde esse suum non est ad aliud se habere. Vide *num.* 3. verba ult. D. Thom. ergo existentia relationis non est ad aliud.

15 Ad 2. resp. quod cùm existentia conveniat relationi comparative ad subjectum, sufficientem proportionem habet, ut existat per existentiam absolutam, quia sub illa comparatione ad subjectum non convenit relationi explicare munus referendi, seu ut ait D. Thom. *Ratio propria relationis non accipitur secundum comparationem ad illud in quo est.* Unde licèt existentia absoluta non proportionetur cum relatione secundùm rationem propriam, seu secundùm *ad*; hoc non facit contra nos, qui non tribuimus rationem existentiæ relationi secundum *ad*. Sed non tollit, quòd existentia absoluta proportionetur cum relatione secundum *in*, in quo tantum sensu existentiam absolutam concedimus relationi, quia quod hoc tolleret, esset munus respectûs ad terminum, quod non exprimitur sub formalitate existentiæ, & comparationis ad subjectum.

16 Ad 3. dic relationem creatam posse gaudere existentiâ propriâ, quia limitata: ratione enim limitationis nequit cum subjecto & fundamento identificari: relatio verò divina secum identificat quidquid absolutum est in Deo, & ideò non indiget existentiâ propriâ relativâ. Ad ult. dic actionem productivam terminari ad existentiam, vel producendam, vel communicandam. Sic in sententia plurium ex adversatiis natura divina est terminus formalis productionis personalis: & tamen divina essentia non producitur, sed communicatur; ergo potiori jure sufficiet, existentiam communicari; cùm minus principaliter tendat productio ad eam, quàm ad terminum formalem.

17 Arg. ult. In divinis, ut statim dicemus, dantur tres subsistentiæ relativæ præter absolutam: ergo etiam præter existentiam absolutam debent admitti tres aliæ relativæ, quia si non obstante transcendentia subsistentiæ absolutæ in relationes, sunt necessariæ aliæ relativæ, ut subsistant, similiter non obstante existentia absoluta, &c. *Resp.* disparitatem stare in eo, quod prædicatum absolutum nequit constituere Personas principium *quod* operationum notionalium, sed tantum essentialium: unde opus est alio prædicato, & subsistentia, quæ constituat Personas principium *quod* operandi, & hæc debet esse subsistentia relativa. Existentia autem nequit esse formale personæ constitutivum. Nec nomine Personæ directè sig-

significatur existens; sed subsistens: unde si persona multiplicatur, debet etiam subsistentia multiplicari, non existentia. Et ad id adest locus, quia subsistentia dupliciter, existentia verò tantum dicitur uno modo.

ARTICULUS III.

AN DETUR IN DIVINIS una subsistentia absoluta, & tres relativæ?

§. I.

ASSIGNANTUR VARIÆ acceptiones subsistentiæ, & probatur dari subsistentiam absolutam.

1 EXistentia, & subsistentia conveniunt in ratione ultimæ actualitatis, & differunt in eo quod existentia diffinitur absolutè ultima rei actualitas: subsistentia verò stricte sumpta est ultima actualitas personæ, quatenus naturam personatam reddit, & in se sistentem, seu incommunicabiliter subsistentem: unde prima dicit habitudinem ad essentiam: secunda ad ipsam Personam.

2 Prima sent. admittit subsistentiam absolutam, sed negat relativam. Ita Scotus apud plures, Durandus, Capreolus, & Gavardi, qui docet, unam tantum subsistentiam absolutam ut modificatam tribus relationibus personalibus constituere tres Personas. Secunda sent. docet, dari in Deo tres subsistentias relativas, non tamen absolutam. Ita Alensis, Vazquez, D. Bonaventura, & alij. 3. absolutam propugnat, & relativas. Ita communiter Thomistæ, & ex NN. Gibbon, Benedictus à S. Jacobo, & alij. Quæstio est magnâ ex parte de voce; ut notavit Magnus P. Aug. *lib. 7. Trin. cap. 4. & 5.* quatenus, scil. in ea quæritur, an perfectio existendi divinæ essentiæ vocanda sit subsistentia, ut præter existentiam absolutam admittenda sit subsistentia relativa. Partim est de re, quatenus inquiritur, utrum Deitas, ut præintellecta relationibus sit per se, non solum ut id quo, sed etiam ut quod?

3 Et quod attinet ad dubium de subsistentia essentiæ non agitatur quatenus dicit rationem subsistendi incommunicabiliter, vel id quod incommunicabiliter subsistit: hoc enim modo certum est, essentiam præintellectam relationibus non subsistere per se, quia de facto Personis communicatur: & in Deo pro priori ad relationes non datur personalitas, (aliàs in divinis essent quatuor Personæ) daretur autem, si Deitas ut personis præintellecta gauderet subsistentiâ in tali ac-

acceptione, quia sic subsistentia idem est ac personalitas.

4 Pro quo ulterius nota, subsistentiam posse accipi 1. pro ratione existendi per se, & non in alio; ex eo enim *quod res aliqua per se existit, & non in alio, vocatur subsistentia*, ait D. Thom. *hìc quæst. 29. art. 2.* Secundò pro ratione existendi per se & independenter, quo pacto convenit animæ rationali separatæ: sicut ex adverso de illa dicitur *esse in alio*, etsi à materia non dependeat. Sed hoc non sufficit ad rationem Personæ, quia cum eo componitur ratio unibilitatis, vel communicabilitatis, ut docet D. Thom. *ibi art. 1. ad 5.* Tertiò pro ratione existendi per se & independenter & incommunicabiliter. In 1. sensu convenit omnibus substantiis, in 3. singulis suppositis: in 2. Deitati secundum se: unde dicimus

5 *Datur in Deo ut præintellecto relationibus existentia perfecta, quæ dici potest subsistentia, hac accepta pro ratione existendi per se & independenter.* Hoc nequit melius probari, quam ex usu loquendi SS. PP. Græcorum, & Latinorum. Nissenus enim *lib. de Vita Moys. col. 13.* Basilius *Homil. 27.* Nacianzenus *Orat. 36.* Athanasius *lib. de Incarnat.* divinam naturam subsistentem appellant. Latini similiter: Hieronym. *Epist. 57. ad Damas.* August. 7. *de Trin. cap. 4. in fine*, ubi ait: *Omnis res ad se ipsam subsistit; quanto magis Deus.* Div. Thom. *in 1. dist. 21. quæst. 2. art. 1.* ita loquitur: Natura divina *in se est habens esse subsistens, nulla Personarum distinctione intellecta.* Et *quæst. 9. de Pot. art. 5. ad 13. Ipsa divina essentia est secundum se subsistens: sed è converso proprietates personales habent quòd subsistant ab essentia.* Et pluribus aliis in locis.

6 Respondebis, hæc intelligenda esse de subsistentia sumpta pro substantia, non pro complemento & termino naturæ, quia si August. (de cujus mente præcipuè agendum est in præsenti) loqueretur de subsistentia strictè, & non prout coincidit cum substantia, non vereretur dicere, subsistentiam relative dici, sed tantum ad se dici: sola autem substantia est quę dicitur ad se: ergo loquitur de subsistentia sumpta pro substantia.

7 Sed contrà, quia si August. subsistentiam sumeret pro substantia, nullo modo admitteret tres subsistentias: sed has admittit: ergo. Min. prob. In eo capite 4. ubi admittit tres substantias, ut diximus *art. præced. num. 9.* testatur se pro eodem accipere substantiam,

ac subsistentiam : tum, quia expresse ait, quòd *ab eo quod est subsistere, substantiam dicimus* : ergo dum substantias admittit à subsistentia dictas, loquitur de subsistentia, ut est terminus & complementum naturæ. 2. Si illa testimonia exponantur de subsistentia sumpta pro existentia, aut pro substantia ut est per se existens, nullo modo probare poterunt adversarij contra Alensem, & alios, ex PP. & Concil. dari tres subsistentias relativas, respondebunt enim, subsistentiam sumi pro existentia; non autem strictè.

Nota igitur subsistentiam aliquando sumi pro Persona, vel hypostasi; & similiter substantiam accipi pro subsistentia, vel persona, ut cùm Augustinus admittit *in dicto cap.* 4. substantias sive Personas in divinis: ibi enim non accipitur substantia pro essentia, ut patet, sed pro Persona vel subsistentia, in ultima acceptione explicata, quia *ab eo quod est subsistere, substantiam dicimus.* Aliquando subsistentia latiùs patet, quàm Persona, ut cùm anima separata dicitur subsistens; imò juxta ipsum Vazquez, cujus est solutio, subsistentia totius compositi ex materia & forma nihil aliud est, quàm naturalis subsistentia partium ex partialibus subsistentiis: pars non dicitur Persona: si igitur dici potest subsistens, latiùs patet subsistentia, quàm hypostasis.

Et quia subsistentia quandoque sumitur pro Persona, ideò admitti possunt subsistentiæ relativè: quia verò aliquando sumitur pro substantia, ut est per se existens & non in alio, sed per exclusionem dependentiæ ab altero, præcisivè à ratione incommunicabilitatis (quod convenit Deitati ut præintellectæ relationibus) ideò admitti debet subsistentia absoluta in secundo sensu explicato: & sic intelligenda est auctoritas Aug. *num.* 5. & quod, *Absurdum est, ut substantia relativè dicatur*, ut ibidem ait.

Et quia subsistere aliquando dicitur à substando, quod Deo non competit, (*nefas est* enim *dicere, ut subsistat, & subsit Deus bonitati suæ*, ut ait Aug. *ibi cap.* 5.) ideò docet August. *Deum abusivè substantiam vocari*, si scil. substantia à substando dicatur. Quia verò substantia quandoque sumitur pro subsistentia relativa, ideò substantia in aliquo sensu dici potest relativè. Infertur igitur ex August. dari subsistentiam absolutam, & relativam; quia in dicto cap. sumit S. Doct. substantiam pro subsistentia: sed non loquitur de substantia pro essentia, nec prout dicitur à substando: ergo de illa prout

est

est per se existens, & Independenter ab alio: sed existere per se & independenter ab alio, potest accipi sub hac præcisa ratione: ergo cum hoc competat Deitati secundum se, illa erit subsistens absolutè; nisi sit contentio de voce. Et nisi variè istæ acceptiones admittantur, non video quomodo ad concordiam adduci possint Augustini laudatæ locutiones.

De vocibus Substantia, Essentia, Persona, & Subsistentia egregiam dissertationem dogmaticam reperies apud N. Fr. Christianum Lupum, *in fine tom.* 2. novissimæ editionis per Fr. Thomam Philippinum.

§. II.

OSTENDITUR, DARI *in Deo tres subsistentias relativas.*

8 DIcimus 2. *Dari in Deo præter subsistentiam absolutam tres subsistentias relativas, subsistentia sumpta pro perfectate incommunicabilitatis.* Prob. ex Conciliis Niceno, & Constantin. 3. ubi PP. confitentur *Trinitatem in tribus subsistentiis.* Idem & docent plures SS. PP, locis & testimoniis, quæ passim reperies apud AA.

Respondebis 1. subsistentiam ibi sumi in concreto pro re subsistenti, non in abstracto pro ratione subsistendi. *Sed contrà*, quia si non darentur tres subsistentiæ relativæ, non dicerent PP. *In tribus subsistentiis*, sed *in tribus subsistentibus*: in re enim tanti momenti locutiones constare debent magnâ nominum proprietate: præcipuè postquam in Ecclesia constat de propria nominum acceptione: unde D. Thom. *quæst. 9. de Pot. art. 2. ad 8. Quia nomen substantiæ, refertur etiam apud Latinos ad significationem essentiæ, ideò ad vitandum errorem non dicimus tres substantias, sicut tres subsistentias.*

9 Rursus. Admisso Concilia & PP. loqui de subsistentiis in concreto, adhuc est verum, dari tres subsistentias in divinis: quia ad multiplicationem concreti substantivi debet dari multiplicatio formæ, ut docet D. Thom. *hìc quæst. 39. art. 3.* ex hoc enim quod in tribus suppositis humanæ naturæ sunt tres humanitates, ideò dicimus Socratem, Platonem, & Ciceronem esse tres homines: Patrem autem, Filium & Spiritum S. non dicimus tres Deos, quia in illis est una essentia, quæ substantivè significatur per nomen Deus: sed nomen *subsistens* ita est substantivum, sicut Deus; ergo si dicuntur tres subsistentes, signum est, formam, id est subsistentiam, multiplicari.

Ita

Ita argumentantur Montalvan & Gonet; sed ratio non placet, quia D. Thom. *ibi* expresse admittit tres existentes, tres sapientes &c. si adjectivè sumantur: sed tres existentes dici possunt, quin multiplicetur existentia, quæ in divinis est unica, sicut & sapientia: ergo tres subsistentes dici possunt, quin multiplicetur subsistentia. Nec aliter significat existens, ac subsistens, prout ad præsens: imò si pluraliter dici potest existens, quia sumitur adjectivè, quin multiplicetur existentia, potiori jure adjectivè sumi potest subsistens, ut ad illius multiplicationem non sit necessarium, ut multiplicetur subsistentia. Falsum ergo est quod subsistens significet essentiam tantum substantivè, sicut Deus.

10 Propterea aliter impugnatur solutio dando adversariis, quòd subsistentia sumatur pro subsistente, & quod subsistens accipiatur adjectivè, ad modum quo divinus: quia etsi concretum adjectivum sumi possit in plurali, non tamen ejus abstractum: & idcirco nullus fateri potest tres esse divinitates, licèt dicantur tres personæ *divinæ*: si ergo non essent tres subsistentiæ, quibus quasi formis constituuntur personæ; dicerent Concilia, tres esse subsistentes. sed nullatenus dixissent, tres esse *subsistentias* absolutè & sine addito, quia hoc esset occasio erroris, si subsistentia tantum dicitur absolutè & singulariter, seu si non datur subsistentia relativa.

11 Ex quo 2. rejicitur solutio & conclusio roboratur, quia juxta Concilia debemus confiteri Deitatem in tribus subsistentiis: sed absoluta non multiplicantur in divinis, sed tantum relativa: ergo admittendæ sunt tres subsistentiæ relativæ. Rursus ex VI. *Syn. Gen. act.* 11. *Sanctissima Trinitas numerabilis facta est personalibus subsistentiis*: sed si non esset nisi una subsistentia absoluta, Trinitas non esset numerabilis ratione subsistentiæ; sicut quia non est nisi unica tantùm Deitas, Deus non est numerabilis: ergo dantur subsistentiæ relativæ præter absolutam. Et nota, quòd in hoc testimonio non congruè possunt accipi subsistentiæ in concreto, quia aliàs redderet hunc sensum, *Trinitas est numerabilis personis personalibus*, qui est sensus incongruus: accipitur ergo subsistentia in abstracto & pro ipsa relatione.

12 Si respondeas 2. in his esse sermonem de subsistentia pro personalitate accepta: Vel hæc acceptio est impropria, & hoc est inconveniens affirmare de diffinitionibus Conciliorum, sine urgente necessitate; vel est propria, & sic tenet conclusio nos-

nostra : sequitur enim subsistentiam in aliqua acceptione propria pluurificari : nam personalitas in recto est incommunicabilis subsistentia, ut constat ex diffinitione personæ.

13 Si respondeas 3. subsistentiam appellari triplicem in quantum absoluta in personis inclusa diversis incommunicabilitatis modis terminatur; contrà est, quia pari ratione possemus dicere, dari in Deo tres essentias, cùm *una & eadem sit essentia trium Personarum, non tamen sub eadem relatione, vel secundùm eumdem modum existendi in tribus Personis*, ut ait D. Thom. 2. *de Pot. art.* 5. *ad.* 5. Ergo si hoc non, nec illud.

14 Prob. ex Aug. doctrinâ data *hìc num.* 7. Ex D. Thom. *verbis datis num.* 8. & 4. *contra Gent. cap.* 14. *Dicimus unum Deum esse, quia est una essentia subsistens : & plures Personas propter distinctionem subsistentium relationum* : ergo de Deo dicitur pluraliter subsistentia in abstracto & relativè accepta.

15 Ratione prob. Dantur in Deo tres Personæ : ergo & tres subsistentiæ relativæ. Prob. conf. Personæ subsistunt incommunicabiliter juxta omnes; sed non subsistunt sic per subsistentiam absolutam, quæ est communis, sed per relativas : ergo. Prob. min. quia Personæ divinæ habent incommunicabilitatem ex ipsis relationibus, ut adversarij fatentur; in tantùm enim personæ divinæ sunt ad invicem incommunicabiles, in quantum realiter ad invicem distinguuntur, quod fit per relationes. Sed ipsæ relationes sunt subsistentiæ incommunicabiles: ergo sunt tres subsistentiæ relativæ subsistentiâ acceptâ pro perfectate incommunicabilitatis. Prob. min. Relationes quatenus distinguunt Personas non sunt accidentales, sed substantiales, vel substantiæ : ergo sunt subsistentiæ relativæ.

16 Respondebis, relationes etiam prout realiter ab invicem distinctas esse substantiales; sed hoc habere ex identitate cum essentia. *Sed contrà.* Illud positivum secundùm quod relativa distinguuntur ab absolutis non est accidens, quia hoc importat imperfectionem, sed est aliquid substantiale : ergo cùm aliunde sit incommunicabile, habet ex sua propria ratione quòd sit subsistentia incommunicabilis & relativa : subsistentia enim incommunicabilis nequit esse absoluta, quia Personæ communicant in absolutis : quælibet igitur Persona habet subsistentiam relativam sibi propriam & ab alterius Personæ subsistentia realiter distinctam. 2. Si quælibet Persona non haberet subsistentiam distinctam

ab absoluta, Filius non assumpsisset humanitatem in eo quod est proprium Filij, sed in quod commune toti Trinitati, scil. in subsistentia absoluta: ex quo sequeretur, tres divinas personas ex æquo fuisse unitas humanitati Christi: unio enim hujus immediatè facta est ad subsistentiam. Sequela non est admittenda: ergo datur subsistentia relativa in qualibet Persona divina.

17 Aliis terminis respondent alij, distinguendo rationem per se existendi, & rationem incommunicabilitatis: prima ratio constituit subsistentiam præsuppositivè, & importat perfectionem absolutam: Secunda incommunicabilitatis est quæ unicè importatur formaliter & constitutivè in personalitate: cumque incommunicabilitas multiplicetur ad multiplicationem relationum, multiplicantur subsistentiæ & Personæ, quamvis non perfectas existendi. *Sed contrà*, quia ex hoc sequitur tantùm, quod subsistentia absoluta sit unica, ex eo quod non multiplicatur perfectas existendi. Sed non tollit multiplicari subsistentias relativas: quia si ad rationem subsistentiæ sufficit incommunicabilitas, hac multiplicata multiplicatur etiam per vos subsistentia. Vel ergo hæc subsistentia, quam dicitis multiplicari, est strictè subsistentia, vel non? Si primum, habemus intentum: si secundùm, tollitis diffinitionem Personæ.

18 Secundo. Incommunicabilitas illa Personarum constitutiva, quam dicitis multiplicari, nequit esse aliquid purè negativum, quia Personæ ut tales sunt aliquid positivum: ergo debet esse aliquid positivum: vel igitur est aliquid subsistens, aut ratio subsistendi, vel non? Si primum, in nostra sententia estis. Si secundùm: ergo non constituit Personam; adveniret enim rei subsistenti, si nec est subsistens, nec ratio subsistendi. Quia enim spiratio activa intelligitur advenire Personæ spiranti jam subsistenti, non constituit Personam, licèt præstet Incommunicabilitatem respectu Personæ spiratæ: quod patet, quia si Filius non produceret Spiritum S. non esset illi incommunicabilis, ut modo supponimus.

19 Confirm. ex D. Thom. *hìc quæst. 29. art. 4. in corp. post med.* dicente: *Persona divina significat relationem divinam ut subsistentem.* Et *quæst. 40. art. 3. in med. corp. Remota proprietate personali per intellectum, tollitur intellectus hypostasis. Non enim proprietates personales sic intelliguntur advenire hypostasibus divinis, sicut forma subjecto præexistenti; sed se-*

ferunt secum sua supposita, in quantum sunt ipsæ personæ subsistentes: sicut Paternitas est ipse Pater: ergo perfeitas constitutiva Personæ debet afferre secum suppositum, seu esse ipsum esse per se subsistens, & non significari ut adveniens.

20 Et nota, perfeitatem existendi sub hac præcisè formalitate non multiplicari in divinis personis, quia in ratione existendi per se non datur oppositio: existere enim per se respicit esse substantiæ, & dicit quamdam incommunicabilitatem, excludendi scil. communicationem alteri ex indigentia ad essendum. Sed hæc incommunicabilitas non est, quæ requiritur ad rationem subsistentiæ relativæ; incommunicabilitas enim ad id requisita est, quæ consequitur ad oppositionem relativam, & non præcisè quæ excludit communicationem alteri ex indigentia ad essendum, quæ formaliter consistit in sufficientia essendi in se & independenter ab alio. Perfeitas, quæ dicit secundam incommunicabilitatem, est quæ multiplicatur, & quam dicimus subsistentiam relativam: alia namque perfeitas, quæ dicit primam incommunicabilitatem, quia est independens ab alio ut per se sit, & in se, non multiplicatur, quia hęc est subsistentia absoluta essentiæ, & coincidit, vel est idem cum existentia: nec hæc est relativa vel propria relationum, quia relationes non important perfectionem propriam: importarent autem, si gauderent propriâ subsistentia in tali sensu, quia illa perfeitas existendi perfectionem importat, non sic autem subsistentia prout dicit incommunicabilitatem. Vide *q. præc. art. 3. num. 52.* Ex quo constat, quòd licèt dentur tres subsistentiæ relativæ, subsistentiâ acceptâ in sensu dicto, non dantur tamen tres perfectiones relativę.

§. III.

SOLVUNTUR ARGUM. contra 1. concluſ.

21 ARg. 1. cont. 1. concluſ. subsistentia secundùm communem usum PP. & Concil. est idem ac hypostasis: sed non datur in Deo hypostasis absoluta tribus Personis communis: ergo nec subsistentia. Majorem latè probat Vazquez. Sed *resp.* falsum esse, quòd licèt subsistentia frequenter accipiatur pro hypostasi; non possit accipi in sensu absoluto: ad hoc enim inducimur auctoritate Aug. accipientis subsistentiam non præcisè relativè, & pro Persona, sed ad se & absolutè, ut diximus: & auctoritate D. Thom. qui expresse

ſubſiſtentiam abſolutam admittit, & aliorum inſignium Theologorum, & PP. quos *num.* 5. laudavimus. Et cùm præter hoc detur diſputandi neceſsitas, licuit Theologis dicere ſubſiſtentiam abſolutam, quia licèt Concilia id non dicant, tamen non contradicunt: unde & Auguſt. *ibi cap.* 4. *poſt med.* ait de nomine Perſonæ: *Licuit loquendi & diſputandi neceſsitate tres Perſonas dicere, non quia Scriptura dicit, ſed quia Scriptura non contradicit.*

22 Sed nota, quod non debet dici abſolutè, dari in Deo unam ſubſiſtentiam, quia frequentior ſubſiſtentiæ acceptio eſt pro forma præſtante incommunicabilitatem, eò quod illam ſemper importat in creaturis, ex quibus deſumitur ſignificatio ad loquendum de Deo. Debet ergo ſtatui una ſubſiſtentia, cum addito *abſoluta.* Sicut non dicimus abſolutè tres ſubſtantias, ſed cum addito *relativas*, vel tres *ſubſtantias ſive Perſonas*, ut loquitur Aug. ne detur occaſio erroris, vel negandi tres Perſonas, vel concedendi tres eſſentias.

23 Arg. 2. Natura divina ut præintellecta relationibus, licèt intelligatur ut exiſtens, nequit intelligi ut habens eſſe per ſe requiſitum ad ſubſiſtentiam: ergo. Prob. ant. Tale eſſe importat incommunicabilitatem; tum, quia ita accidit in creatis; tum, quia illa perfeitas non ſolum excludit dependentiam ab alio (aliàs humanitas Chriſti, quæ præciſivè à Verbo talem dependentiam excludit, quia per ſe eſt ſubſtantia, per ſe & independenter ab alio ſubſiſteret) ſed excludit communicabilitatem. Tum, quia illa perfeitas tribuit modum ſiſtendi in ſe, & terminationem quamdam importat: ſiſtere in ſe eſt ultra non procedere, & per conſequens alteri non communicari: & terminatio importat rationem ultimi, quod eſt eſſe terminatum in ſe, & ideò alteri non communicabile: ergo eſſentiæ ſecundùm ſe non competit perfeitas requiſita ad ſubſiſtentiam. Rurſus. Quod eſt alteri communicabile, non habet eſſe ut *quod*, ſed ut *quo*, ut patet in creatis: ſed quod non eſt ut *quod*, non ſubſiſtit: ergo.

24 Uno verbo reſponderi poteſt, hoc argumentum probare non dari in Deo ut præintellecto relationibus ſubſiſtentiam prout importat incommunicabilitatem: benè verò prout importat habere eſſe per ſe: ipſum enim argumentum admittit, Deum pro priori ad relationes poſſe intelligi exiſtentem. An autem hęc independentia, ut natura divina ſit per ſe, & alio non indigens ut ſubſiſtat, ſufficiat, ut illi attribua-

tur

tur ſubſiſtentia in aliquo vero ſenſu ; vel non poſsit attribui, quia non dicit incommunicabilitatem ; eſt litigium de voce: in eadem enim ſententia ſumus, quod naturæ pro illo priori non competit incommunicabilitas. Sed malumus cum D. Thom. & aliis PP. loqui , qui id concedunt , etſi naturæ pro illo priori noverint non competere incommunicabilitatem.

25 Ad 1. prob. ant. implicitam ex parit. ſubſiſtentię creatæ dic , naturam creatam non aliter eſſe communicabilem niſi ex perfectionis indigentia ; unde cum ſupponitur in ſuo eſſe ſubſiſtens , jam eſt completa , & ideò non eſt alteri communicabilis , ſed incommunicabilis. Cum autem natura divina ſit communicabilis non ex indigentia, ſed ex perfectionis abundantia ; poteſt habere eſſe per ſe , & cum independentia ab alio ut ſit ; & tamen eſſe communicabilis : ergo poteſt eſſe ſubſiſtens , ſeu habere eſſe per ſe , quin ad hoc requiratur, eſſe incommunicabilem.

26 Ad 2. dic , quòd humanitas Chriſti , & quælibet pars ſubſtantialis , indiget ſuppoſito & toto ut per ſe exiſtat; quia licèt excludat dependentiam ab alio tamquam à ſubjecto inhæſionis , non tamen excludit omnem aliam indigentiam alterius , ut in ſe perfectè ſiſtat; unde humanitas per ſe , & quia ſubſtantia præcisè , & alio ſecluſo , non ſubſiſtit : benè verò natura divina , quæ ratione ſui communicabilitatem ex indigentia excludit , tam ab alio ut à ſuſtentante , quàm ut per ſe ſit. *Ad 3, dic.*, modum ſiſtendi in ſe illius perfeitatis , excludere ultra procedere ut ex altero exiſtentiam habeat : ſed non excludere progreſſum ad aliud, ut ei communicet perfectionem. Et ſimiliter terminatio in ſubſiſtentia importata dicitur ultima , quia non indiget alia : non quia non poſsit aliis ex fœcunditate communicari. *Ad ult. dic*, tenere de eo quod alteri communicatur , ut ab eo perfeitatem habeat ; non de eo quod communicatur tribuens perfeitatem.

27 Ex hoc ſequitur , naturam divinam pro priori ad relationes non eſſe perſonam , etſi pro illo priori per ſe exiſtat: quia alia eſt ratio ſubſiſtentiæ, alia Perſonæ , & ſubſiſtentia latiùs patet, quàm perſona, ut diximus *num.* 7. Perſona enim dicit conſtitutivè incommunicabilitatem , ut patet ex ejus diffinitione : non ſubſiſtentia, ut patet , quia ſubſiſtentia dicitur ex eo *quod* res aliqua *per ſe exiſtit , & non in alio. Illa enim ſubſiſtere dicimus, quæ non in alio ſed in ſe exiſtunt* , ut ait D. Thom. *hìc quæſt.* 29. *art.*

2. Et ex Aug, *num.* 7. Cùm ergo id Deo competat secundum se, & non incommunicabilitas, potest dici subsistens, sed non Persona.

28 Dices, quia naturam divinam pro dicto priori intelligimus esse ut *quod* creantem, & intelligentem, ideò adstruimus subsistentiam absolutam: sed ex hoc etiam infertur esse Personam, seu suppositum, quia actiones non solùm dicuntur esse subsistentium, sed suppositorum: ergo. *Resp.* neg. min. Ideò autem dicitur non solùm *actiones esse subsistentium*, sed usitatiùs *suppositorum*; quia hoc singulari excepto, omne subsistens est suppositum. Sed si est verum, *actiones esse subsistentium*, hoc confirmat intentum. Et si subtiliter res consideretur congruentiùs dicitur, *actiones esse subsistentium*, quàm *suppositorum*, quia operari (ad cujus explicationem inductum est illud axioma) propriùs accedit, & consequitur ad esse per se, & ab alio independens, quod est esse subsistens, quàm ad esse incommunicabile, quod addit suppositum.

29 Nota etiam, Deitatem, ut Personis præintellectam posse esse subsistentem, & principium *quod* operationis essentialis, quin sit principium *quod* operationis notionalis v.g. generationis, quia ad hoc debet concipi cum paternitate, ut est ratio incommunicabiliter subsistendi, cùm inter generans, & genitum detur distinctio realis, & hæc nequit esse nisi per relationes: sed hoc non requiritur, ut Deitas intelligatur, ut per se existens, ut patet.

30 Arg. ult. Ut natura divina subsistat, sufficiunt tres subsistentiæ relativæ: ut enim patet in creatis, personalitas præstat naturæ & perfectam independentiæ à sustentante, & incommunicabilitatem: ergo superfluit subsistentia absoluta. 2. Si in Deo esset una tantùm Persona, talis personalitas præstaret naturæ & perfectam independentiæ, & incommunicabilitatem: ergo idem præstant de facto tres personalitates. 3. Natura divina pro priori ad relationes petit in Personis existere: ergo non habet repugnantiam ad essendum in alio, & sic nec subsistit pro illo priori.

Resp. ad 1. neg. ant. quia cùm perfectas independentiæ à sustentante sit perfectio, nequit à relationibus præstari, benè verò incommunicabilitas. Ad 2. dic, quòd in illo casu vel personalitas non differret virtualiter à natura, vel esset perfectio absoluta: unde ab ea posset præstari independentia ab alio tamquàm à sustentante. Ad 3. dist. ant. ratione fœcunditatis in Personis ut terminan-

ti-

tibus, conc. ex indigentia petit eſſe in Perſonis ſuſtentantibus, neg. ant. & conſ. Quia ad ſubſiſtentiam non requiritur repugnantia ad eſſendum in alio ratione fœcunditatis excludendo omnem terminationem, ſed excludendo eſſe in alio ut ſuſtentante. Perfeitas excludens eſſe in alio præcisè ut terminante pertinet ad ſubſiſtentiam in tertia acceptione aſsignata, ſeu ut importat incommunicabilitatem.

Ratio autem cur natura non dependeat à relationibus ut ſuſtentantibus, eſt, quia illæ tantùm ſunt complementum naturæ, ortum ex ſumma fœcunditate, non tamen ex indigentia, ut exercitè exiſtat; quia etſi ſine illis non poſsit exiſtere, hoc non oſtendit indigentiam: ut patet in Verbo divino, ſine quo Patris intellectus nequit exiſtere: & in poſsibilitate creaturárum, ſine qua omnipotentia non poteſt ſubſiſtere.

§. IV.

SOLVUNTUR ARGUmenta contra ſecundam concluſionem.

32 ARg. 1. ex P. Aug. qui *lib. 7. de Trinit. cap. 4.* ait: *Si autem aliud eſt Deo eſſe, aliud ſubſiſtere, ſicut aliud Deo eſſe, aliud Patrem eſſe, vel Dominum eſſe; quod enim eſt, ad ſe dicitur, Pater autem ad Filium, & Dominus ad ſervientem creaturam dicitur: relativè ergo ſubſiſtit, ſicut relativè gignit, & relativè dominatur. Ita jam ſubſtantia non erit ſubſtantia, quia relativum erit. Sicut enim ab eo quod eſt eſſe appellatur eſſentia, ita ab eo quod eſt ſubſiſtere ſubſtantiam dicimus. Abſurdum eſt autem, ut ſubſtantia relativè dicatur: omnis enim res ad ſeipſam ſubſiſtit, quanto magis Deus?* Ergo abſurdum eſt adſtruere tres ſubſiſtentias relativas.

Hìc notat Illuſtriſ. Montalvan prædictam auctoritatem (quam etiam ipſe adducit) deſumptam eſſe ex loco à nobis laudato, & non ex alio, quem citat Card. Aguirre. Sed non poſſumus non mirari, in hoc illum immorari cum non rarò ipſe infideliter citet Auguſtini, & D. Thomæ auctoritates, ut patet etiam in caſu præſenti, nam prædictam Auguſtini auctoritatem alio modo diſpoſuit. Sed hoc omiſſo quod & aliis familiare eſt,

33 Reſp. idem argum. fieri ex M. Par. contra adverſarios: nam *cap. ſeq.* docet S. D. *In Perſonis eadem ratio eſt: non enim aliud eſt Deo eſſe, aliud Perſonam eſſe, ſed omninò idem.*

Quo-

Quocirca ut substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est; ita & persona Patris non aliud quàm ipse Pater est: ad se quippe dicitur Persona, non ad Filium, vel Spiritum S. sicut ad se dicitur Deus & magnus, & bonus. Obiter nota, quod etiam hæc verba refert Montalvan, sed aliter quàm apud Augustinum reperiuntur: nam inter ly *Deus* & *magnus* apposuit hoc incisum² quo posito *Deus* est prædicatum, & sensus est ut ipse infert, quod non dicuntur tres Dij, quia Deus ad se est: in littera autem Augustini, ubi habentur, sicut sunt apposita, Deus est subjectum de quo absolutè seu ad se dictum tàm magnitudo quàm bonitas, & sensus est: Persona dicitur de Deo ad se, sicut Deus dicitur ad se magnus, & bonus.

34 Ex quo formatur sic argumentum cont. adversi. Quia magnitudo & bonitas dicuntur de Deo ad se, nequit dici dari in Deo tres magnitudines, & bonitates, juxta Aug. sed etiam Persona dicitur de Deo ad se, juxta ipsum: ergo non poterit dici, dari in Deo tres Personas. Hoc argumentum format Aug. contra Græcos, ut ostendat quod sicut tres substantias dicunt tres hypostases (quia hypostasis significat substantiam) ita etiam tres Personas possent dicere tria prosopa; *prosopon* enim idem significat apud ipsos, ac apud Latinos Persona, quod facit per syllogismum adductum.

35 Sicut ergo hoc solvere debent dicendo cum D. Thoma *hic quæst.* 29. *art.* 4. *ad* 1. Quod Persona dicitur ad se, non quia non significet relationem, sed quia illam *significat non per modum relationis, sed per modum substantiæ, quæ est hypostasis.* Vide *art.* 1. *præc. à num.* 7. Similiter dicimus, *subsistentiam*, vel substantiam, secundum aliquam significationem significare relationem, & pluraliter de Deo dici; licèt ex modo significandi non dicatur ad aliud, sed ad se. Unde sicut August. tres Personas concedit, etsi Persona dicatur ad se; similiter tres subsistentias admittere non contrariatur menti ejus, licèt subsistentia dicatur etiam ad se. Ratio est, quia dum fatetur tres Personas, tres etiam subsistentias, vel ut se explicat, *tres substantias* relativas, admittit implicitè; quia quod tantum ad se accipitur, non dicitur pluraliter de Deo: si ergo tres substantias sive Personas admittit, substantiâ dictâ à subsistendo; signum est, tres subsistentias relativas admittere, licèt non utatur hoc nomine, quia subsistentia non erat in usu tunc temporis, licèt

cèt eſſet verbum ſubſiſtere. Qui enim non abhorruit à confitendis tribus ſubſtantiis, pro Perſonis, multo minus à nominandis tribus ſubſiſtentiis abſtinuiſſet. Sed ex dictis *art. præc. num.* 9. *& hìc num.* 7. conſtat, ſubſtantias pro ſubſiſtentiis dixiſſe, & quod ſubſiſtere quandoque ad ſe, quandoque verò relativè dicatur, ut ſic conſtet, utramque præſentem concluſionem eſſe de illius mente: nam aliter ægrè poſſunt ipſius teſtimonia conciliari.

36 Arg. 2. ex D. Thom. *in* 1. *diſt.* 26. *quæſt.* 1. *art.* 1. *ad* 4. dicente: *Quæ dicuntur per reſpectum ad eſſe, prædicantur ſingulariter, ut ſubſiſtentia, & eſſentia.* Et quæſt. 8. de Pot. art. 3. ad 9. *Dicendum, quòd relatio diſtinguit in quantum eſt relatio: Conſtituit autem hypoſtaſim in quantum eſt divina eſſentia, & utrumque facit in quantum eſt divina eſſentia, & relatio*: ergo relatio non gaudet propriâ ſubſiſtentia, ſed potius à natura habet quod ſubſiſtat. Et *quæſt.* 9. *art.* 5. *ad* 13. *In rebus creatis principia individuantia duo habent, quorum unum eſt, quod ſunt principium ſubſiſtendi, natura enim communis de ſe non ſubſiſtit, niſi in ſingularibus: aliud eſt quod per principia individuantia ſuppoſita naturæ communis ab invicem diſtinguuntur. In divinis autem proprietates perſonales hoc ſolum habent, quod ſuppoſita divinæ naturæ ad invicem diſtinguuntur, non autem ſunt principium ſubſiſtendi divinæ eſſentiæ. Ipſa enim divina eſſentia eſt ſecundum ſe ſubſiſtens: ſed è converſo proprietates perſonales habent, quod ſubſiſtant ab eſſentia.*

37 Ad 1. reſp. quod ſicut ſubſtantia communiter ſumitur abſolutè, & dicitur ſingulariter, ita ſubſiſtentia ut ſubſtantiæ correſpondet, eamque denominat, non dicitur pluraliter, ſed ſingulariter: & ſicut ſubſtantia ſumitur aliquando pro Perſona & ſuppoſito, & ſic dicitur pluraliter, ita ſubſiſtentia, prout ei in hoc ſenſu correſpondet, relativè & pluraliter dici poteſt. Unde ſubdit D. Thom. *Quamvis nomen ſubſtantiæ apud uſum Sanctorum ſumatur pro hypoſtaſi.* Ad alia dic, quòd ibi S. D. tantùm docet, relationes divinas non præſtare naturę perfeitatem abſolutam, ſeu ſubſiſtentiam, prout dicit perfeitatem independentiæ ab alio ut ſuſtentante, vel in exiſtendo: in hoc enim ſenſu *ipſa natura divina eſt ſecundum ſe ſubſiſtens*, ut diximus in 1. concluſ. Sed non negat relationes tribuere naturæ perfeitatem incommunicabilitatis alteri ut ſuppoſito, quia aliter non poſſunt auctoritates iſtæ

cum à nobis in prob. concluſ. adductis, conciliari.

38 Dices. Si relatio Paternitatis tribueret naturæ divinæ perfeitatem incommunicabilitatis, illam redderet aliis Perſonis incommunicabilem: & ſic deſtrueretur myſterium Trinitatis: ergo. *Reſp.* ex D. Thom. *num.* 13. quamlibet relationem reddere naturam divinam incommunicabilem non abſolutè & quoad rem, ſed ſecundumquid & quoad modum, unde Paternitas reddit naturam alteri Patri incommunicabilem, quia natura in Patre eſt ut à ſe habita, & principium generandi: ſic autem nequit eſſe in alio: ſed non reddit abſolutè incommunicabilem, quia ipſa ex ſua peculiari fœcunditate & infinita perfectione petit eſſe in tribus ſuppoſitis: unde per quamlibet perſonalitatem veluti inadæquatè terminatur.

Alia ſolvi poſſunt ex dictis §. ant.

ARTICULUS IV.

DE HIS QUÆ PLURALITER, vel ſingulariter de Deo dicuntur.

§. I.

TRADUNTUR REGULÆ generales: & quid de ente, *& ejus paſsionibus dici debeat.*

1 DIcimus 1. *Quę conveniunt Perſonis ratione ſolius eſſentiæ, vel quæ ſubſtantivè eſſentiam ſignificant, prædicantur de divinis perſonis ſingulariter tantum.* Hac ratione non poſſumus dicere tres Deos, vel tres eſſentias, quia nomina ſubſtantiva ſignificant aliquid per modum ſubſtantiæ, ſubſtantia autem ſicut per ſe habet eſſe, ita per ſe habet unitatem, vel multitudinem; & ſingularitas vel pluralitas ſubſtantivi attenditur ſecundum formam ſignificatam: cumque in divinis ſit tantum una eſſentia vel ſubſtantia; quæ ratione eſſentię Deo conveniunt, vel ſubſtantivè dicuntur, ſingulariter tantùm prædicantur.

Aliis terminis tradit Auguſt. 5. *Trin. cap.*8. regulam generalem: *Quidquid ad ſe dicitur præſtantiſsima illa & divina ſublimitas, ſubſtantialiter dici; quod*

quod autem ad aliquid, non ſubſtantialiter, ſed relativè: tantamque vim eſſe ejuſdem ſubſtantiæ in Patre & Filio & Spiritu S. ut quidquid de ſingulis ad ſe ipſos dicitur, non pluraliter in ſumma, ſed ſingulariter accipiatur. Ideò una tantùm exiſtentia, & ſubſiſtentia abſoluta conceditur in Deo, quia conveniunt Perſonis ratione eſſentiæ, & ad ſe dicuntur: tres verò ſubſiſtentiæ, ſi pro perfeitate incommunicabilitatis uſurpentur, quia ſic conveniunt Perſonis ratione relationum. Una tantùm æternitas, una bonitas, una magnitudo, &c. quia ſubſtantialia nomina ſunt, & ad ſe dicuntur. Sed tres Perſonæ, & tres hypoſtaſes, non una, quia pro relatione ſubſiſtente accipiuntur, ut ait D. Thom. *hìc quæſt.* 39. *art.* 3. *ad* 4.

2 Dicimus 2. *Quę adjective eſſentiam ſignificant dici poſſe pluraliter*: unde poſſumus dicere tres exiſtentes, tres ſapientes, tres æternos, increatos, &c. ſi adjectivè ſumantur; quia nomina adjectiva ſignificant aliquid per modum accidentis, quod inhæret ſubjecto: accidentia autem, ſicut eſſe habent in ſubjecto, ita ex ſubjecto ſuſcipiunt unitatem, vel multitudinem. Sed ſapientia, æternitas, &c. ſunt in tribus ſuppoſitis: ergo adjectivè poſſunt dici pluraliter, tres ſapientes, tres æterni, &c. Ita D. Thom. *ibi in corp.* Et ad 1. admittit tres habentes Deitatem, ſed non tres Deos, quia Deus dicitur ſubſtantivè: habens Deitatem, adjectivè. Nec obſtat, quòd Athanaſius non admittat in Symbolo dicere tres æternos, quia Symbolum edidit contra Arianos, qui Perſonas & naturam diſtinguebant: unde ut oſtenderet, Perſonas eſſe unum & idem in natura, omnia ejuſdem naturæ attributa expreſsit per unitatem, illa ſumens ſubſtantivè, ſicut Auguſt. frequenter.

3 Dicimus 3. *Quæ conveniunt Perſonis ratione proprietatum, & ratione eſſentiæ dicuntur pluraliter & ſingulariter.* Tale eſt hoc nomen *res*, quia realitas prout opponitur ad eſſe fictum, & eſſentiæ & relationibus convenit: unde ait Aug. laud. à D. Thom. *quæſt.* 9. *de Pot. art.* 5. *ad* 14. Quod *Pater, & Filius, & Spiritus S. ſunt tres res, ut Aug. dicit in lib. de Doct. Chriſt. cap.* 5. *Si tamen res pro relativa accipiatur: ſi enim ſumatur pro abſoluto, ſic ſunt una res, ut idem Aug. dicit*; ait enim ibidem: *Trinitas una quędam ſumma res eſt.* Idem tradit D. Th. *hìc quæſt.* 39. *art.* 3. *ad* 3. Et *in* 1. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 4.

4 Quantum ad *ens* eſt aliquod

quod litigium, ſed de voce: & dicimus cum D. Thom. *in* 1. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 4. *Nomen entis ſumitur ab eſſe rei, & ideò cùm unum & idem ſit eſſe trium Perſonarum, ſi ens ſumatur ſubſtantivè, non poteſt pluraliter prædicari de tribus Perſonis, quia forma, à qua imponitur, ſcil. eſſe, non multiplicatur in eis. Si autem ſumatur participialiter, & adjectivè, ſic pluraliter prædicari poteſt, quia hujuſmodi recipiunt numerum à ſuppoſitis, & non à forma ſignificata.*

5 *Veritas* poteſt dici pluraliter adjectivè, in quantum ſunt tres perſonę, quæ veritatem important, ſed non important plures veritates, ſed unam, & ideò veritas ſubſtantivè dicitur ſingulariter. Unde D. Thom. *quæſt.* 1. *de Verit. art.* 5. *ad* 19. *Idem eſt quo Pater eſt, & quo Filius eſt, quia utrumque eſt per eſſentiam divinam, quæ una eſt, ratio autem veritatis non fundatur ſuper rationem paternitatis & filiationis in quantum hujuſmodi, ſed ſuper rationem entitatis: paternitas autem & filiatio ſunt una eſſentia, & ideò una eſt veritas utriuſque.*

6 *Bonitas & perfectio* cum non multiplicentur in divinis, nec conveniant Perſonis ratione relationum, (quia non relativè ſed tantum ad ſe dicuntur juxta Aug.) non dicuntur pluraliter ſubſtantivè, ſed tantum adjectivè, id eſt tres habentes perfectionem & bonitatem.

7 *Aliquid* eſt idem, ac aliud quid: & cum in divinis non ſit aliud & aliud, ita non multiplicatur *aliquid*. Poteſt quidem dici quod Filius eſt *alius* à Patre, ſed non quod ſit *aliud*: quia *alius* maſculinè ſumptus non importat niſi diſtinctionem ſuppoſiti, quia maſculinum genus & fœmininum eſt formatum & diſtinctum; idcircò per illud ſignificatur aliquod ſuppoſitum determinatum in communi natura. Genus autem neutrum *aliud* eſt informe, & ideò per illud convenienter ſignificatur eſſentia communis. Sicut ſi quæratur, *Quis* eſt iſte? Reſpondetur, Petrus, quod eſt nomen ſuppoſiti: ſi autem quæratur, *Quid* eſt iſte? Reſp. animal rationale. Cumque in divinis diſtinctio ſit ſecundum Perſonas, & non ſecundum eſſentiam, dicimus, quòd Pater eſt alius à Filio, ſed non aliud. Ita D. Thom. *hìc quæſt.* 31. *art.* 2. *ad* 4. Et in *ſed contrà* allegat Auguſt. dicentem: *Una eſt eſſentia Patris & Filij & Spiritus S. in qua non eſt aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus S. quamvis perſonaliter ſit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus S.*

8 E contra dicuntur *unum*,

&

& non *unus*, quia *unus* masculine significat determinatum suppositum, *unum* autem, essentiam: si ergo diceretur, quod sunt *unus*, tolleretur distinctio Personarum. Unde Aug. *lib.* 1. *contra Maxim.* qui nunc inscribitur collatio cum Maxim. *n.* 14. *post med. Aliud est, unum sunt, aliud, unus est. Quando dicitur, unum sunt, etsi non dicatur quid unum, intelligitur una substantia. Quando dicitur unus est, de duabus diversisque substantiis, necesse est, ut quæratur quid unus.*

9 Differt etiam *unitas* à veritate, quia multiplicatur etiam sustantivè, quatenus quælibet Persona est una per unitatem distinctam ab unitate alterius. Unde D. Thom. *hìc quæst.* 30. *art.* 3. *in fine corp. Cum dicimus: essentia est una, unum significat essentiam indivisam. Cùm dicimus, Persona est una, significat Personam indivisam. Cum dicimus, Personæ sunt plures, significantur illæ Personæ, & indivisio circa unamquamque earum; quia de ratione multitudinis est, quod ex unitatibus constet.* Et ad 1. *Dicendum, quod unum, cum sit de transcendentibus, est communius, quàm substantia, & quàm relatio, & similiter multitudo. Unde potest stare in divinis & pro substantia, & pro relatione secundum quod competit his, quibus adjungitur. Et tamen per hujusmodi nomina supra essentiam, vel relationem, additur ex eorum significatione propriâ negatio quædam divisionis.*

10 *Numerus* reperitur etiam in divinis. Nam dicitur 1. Ioannis 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo.* Non quidem qui se teneat ex parte essentiæ, sed tantùm ex parte Personarum: unde in Concil. Tolet. XI. in confessione fidei sic habetur. *Hæc ergo Sancta Trinitas, quæ unus & verus est Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim Personarum numerus cernitur; in Divinitatis verò substantia quid numeratum sit non comprehenditur.* Videatur etiam D. Thom. *in* 1. *dist.* 24. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad.* 1. ubi exponit auctoritatem Boet. qui de Deo loquens ait, In eo nullum esse numerum, per hoc *quod Boet. loquitur de unitate essentiali, & in essentia nullus numerus cadit: sed tantum in Personis, qui etiam non est numerus absolutè, sed numerus quidam.* Ratio est, quia numerus attenditur secundum divisionem vel distinctionem: ea ergo quæ sint divisa simpliciter, erunt multa simpliciter, quæ divisa secundum quid, erunt multa secundum quid: divisio autem simpliciter attenditur secundum essentiam, sive formam, vel secundum quan-

quantitatem seu materiam: cumque hæc divisio non detur in divinis, nec dabitur numerus simpliciter seu multitudo : datur autem divisio secundumquid, quæ attenditur secundum proprietates vel diversitatem relationum : ergo etiam datur numerus quidam vel secundumquid. Ita D. Thom. *ibi in corp.*

§. II.

DE NOMINIBUS AD declarandam unitatem essentiæ, & distinctionem Personarum.

11 TRiplicitas non datur in divinis, etsi detur *Trinitas*, quia triplicitas est numerus inæqualitatis, & significat proportionem inæqualitatis: Trinitas non sic, sed absolute dicitur, & significat numerum ternarium personarum. Nec possumus dicere, quod Trinitas est *trina*, sequeretur enim, tria esse suppositа trinitatis; & sic essent novem res in divinis. Sicut cum Deus dicitur trinus, sequitur tria esse suppositа *Deitatis*. Non ergo dantur tria suppositа *Trinitatis*, & sic Trinitas non potest dici trina. Dicimus autem *Trinitatem in unitate*, non quasi ponamus numerum in unitate essentiæ, ac si sit *ter una*, sed ut Personas numeratas ponamus in unitate naturæ. Et dicimus, *Unitatem in Trinitate*, ut denotetur, naturam esse unam in tribus suppositis divinis.

Oportet autem in his quæ de Trinitate loquimur, duos errores oppositos cavere. Ad vitandum errorem Arij, vitare debemus nomen *diversitatis* & differentiæ, ne tollatur unitas essentiæ. Possumus autem uti nomine *distinctionis* propter oppositionem relativam. Ne autem tollatur simplicitas divinæ essentiæ, vitandum est nomen *separationis*, & *divisionis*, quæ est totius in partes; ne autem tollatur æqualitas, vitandum est nomen *disparitatis*; ne verò tollatur similitudo, vitandum est nomen *alieni*, & *discrepantis*.

Ad vitandum verò errorem Sabellij vitare debemus *singularitatem*, ne tollatur communicabilitas essentiæ divinæ. Debemus etiam vitare nomen *unici*, ne tollatur numerus Personarum. Dicimus tamen unicum Filium, quia non sunt plures Filij in divinis. Neque tamen dicimus *unicum* Deum, quia pluribus Deitas est communis. Vitamus etiam nomen *confusi*, ne tollatur ordo naturæ à Personis. Vitandum est etiam nomen *solitarij*, ne tollatur consortium trium Personarum. Ita D. Thom. *hìc quæst.* 31. *art.* 2.

12 Si *solus* accipiatur categó-

tegorematicè prout est idem ac solitarius, non admittitur in divinis. Si sumatur prout est dictio exclusiva, tunc vel jungitur termino essentiali, ut cùm dicitur, *solus Deus est omnipotens*, & sic admittitur in divinis, quia sensus est, quòd omnipotentia convenit Deo, & nulli alteri, qui non sit Deus: vel jungitur termino personali, & sic excluduntur personæ divinæ quantum ad ea in quibus habent oppositionem relativam, sed non quantum ad ea in quibus conveniunt: & sic dicitur *solus Pater generat*, quia generare non competit Filio. Sed cùm dicitur *Solus Pater cognoscit Filium*, ut habetur Matth. 11. *Nemo novit Filium nisi Pater*, in hoc non excluduntur aliæ Personæ, quia non habent oppositionem cum Patre in hujusmodi notitia.

ARTICULUS V.

DE COGNITIONE DIVINARUM Personarum.

§. I.

TRINITAS NEQUIT per naturalem rationem cognosci.

1 HÆc conclusio est ferè omnium Theologorum, & dubium est generale ad omnia mysteria entitativè supernaturalia: & prob. ex dictis *tract.* 4. *quæst.* 1. *art.* 1. §. 3. Et *ex cap.* 3. *Ecclesiastici*, ubi dicitur: *Plurima super sensum hominum ostensa sunt tibi*, scil. mysteria supernaturalia fidei: & si illa sunt supra sensum hominum, ad eorum cognitionem per rationem naturalem pervenire non possumus. Videatur August. *Serm.* 189. *de Tempore.* Ratio. Per rationem naturalem in cognitionem Dei pervenire non possumus nisi ex creaturis. Creaturæ autem ducunt in Dei cognitionem, sicut effectus in causam. Hoc igitur solum ratione naturali de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est secundum quod est omnium entium principium. Virtus creativa Dei est communis toti Trinitati, & ideò pertinet ad unitatem essentiæ, non ad distinctionem Personarum: ergo per rationem naturalem tantum cognosci possunt de Deo ea, quæ pertinent ad unitatem essentiæ, non autem ea quę pertinent ad distinctionem Personarum. Ita D. Thom. *hìc quæst.* 32. *art.* 1. *in corp.*

2 Et ad 1. solvit plura, quę objici possunt, dicens, quòd Philosophi cognoverunt quædam essentialia attributa, quæ appropriantur Personis, scil. potentia, sapientia, bonitas: sed

sed non cognoverunt mysterium Trinitatis per propria, quæ sunt paternitas, filiatio, & processio. Et dum Arist. ait: *Per hunc numerum*, scilicet ternarium, *adhibuimus nos ipsos magnificare Deum unum, eminentem proprietatibus eorum, quæ sunt creata.* Non sic intelligendus est, quod ipse poneret ternarium numerum in divinis. Sed vult dicere, quòd Antiqui utebantur ternario numero in sacrificiis & orationibus propter quamdam ternarij numeri perfectionem.

3 In libris etiam Platonicorum testatur Aug. 7. *Confess. cap. 9.* se legisse, *In principio erat Verbum, &c.* sed non intelligebatur ab ipsis secundum quod Verbum significat personam genitam in divinis, sed secundum quod per verbum intelligitur ratio idealis, per quam Deus omnia condidit, quæ filio appropriatur. Et licèt appropriata tribus personis cognoscerent: dicuntur tamen in tertio signo defeciisse, id est in cognitione tertiæ Personæ; quia à bonitate, quæ Spiritui S. appropriatur, deviaverunt, dum cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, ut dicitur *Rom.* 1. vel quia ponebant Platonici unum primum ens, quod etiam dicebant esse patrem totius universitatis rerum, consequenter ponebant aliam substantiam sub eo, quam vocabant mentem, vel paternum intellectum. In qua erant rationes omnium rerum. Non autem ponebant aliquam substantiam tertiam separatam, quæ videretur Spiritui S. respondere. Sic autem nos non ponimus patrem & filium secundum substantiam differentes.

4 Quod verò Trimegistus dixit: *Monas monadem genuit, & in se suum reflexit ardorem*, non est referendum ad generationem Filij vel processionem Spiritûs S. sed ad productionem mundi, nam unus Deus produxit unum mundum propter sui ipsius amorem.

De his plura etiam *in tract. de Fide.*

§. II.

DE NOTIONIBUS PERsonarum.

5 NOtio est specialis quædam nota ex parte Personæ se tenens, ratione cujus illam cognoscimus, & ab alia discernimus. Et licèt Notio, Relatio, Proprietas personæ, & Proprietas Personalis, possint cadere in eamdem rem, non tamen conveniunt ei sub eadem ratione: nam *Paternitas* (& idem respectivè de Filiatione & Processione Spiritus S.) dicitur *relatio*, quatenus per illam

illam respicit Filium : dicitur *Proprietas personæ*, quatenus convenit uni Personę : *Proprietas personalis*, quatenus est constitutiva personæ Patris : dicitur verò *Notio* Patris, quatenus per illam devenimus in cognitionem primæ Personæ : unde ut notio, importat respectum ad intellectum cui est ratio manifestandi Personam ; & ideò communiter loquendo & in sensu proprio significatur in abstracto, ut Paternitas.

6 Istæ autem notiones sunt quinque, scil. *innascibilitas*, & *Paternitas* in Patre : *Filiatio* in Filio ; *Spiratio* in Patre & Filio ; & *processio* in Spiritu S. Ratio. Notio dicitur id, quod est propria ratio cognoscendi divinam personam. Divinæ autem personæ multiplicantur secundùm originem. Ad originem autem pertinet, à quo alius, & qui ab alio : & secundùm hos duos modos potest innotescere persona. Igitur Persona Patris non potest innotescere per hoc quod sit ab alio, sed per hoc quod à nullo est. Et sic ex hac parte ejus notio est *innascibilitas*. Sed in quantum aliquis est ab eo, innotescit dupliciter : quia in quantum Filius est ab eo, innotescit notione *Paternitatis* : in quantum autem Spiritus S. est ab eo, innotescit notione *communis spirationis*. Filius autem potest innotescere per hoc quod est ab alio nascendo, & sic innotescit per *Filiationem* ; & per hoc quod est alius ab eo, scil. Spiritus S. & per hoc innotescit eodem modo sicut & Pater, scil. communi spiratione. Spiritus S. autem innotescere potest per hoc quod est ab alio, vel ab aliis, & sic innotescit *processione* ; non autem per hoc quod alius sit ab eo ; quia nulla divina persona procedit ab eo. Sunt igitur quinque notiones in divinis. Harum autem tantùm quatuor sunt relationes. Nam innascibilitas non est relatio, nisi per reductionem. Quatuor autem tantum proprietates sunt. Nam communis spiratio non est proprietas : quia convenit duabus personis. Tres autem sunt notiones personales, id est constituentes personas, scilicet paternitas, filiatio, & processio. Nam communis spiratio, & innascibilitas dicuntur notiones personarum, non autem personales. Ita D. Th. *hìc q. 32. art. 3.*

7 De hac ratione dignoscendi Personam sub expressione notionis agit August. *in lib. 5. de Trinit. cap. 6.* Et ut Zumel observat 1. *p. q. 32. in discurs. art. 2.* fuit primus qui in hac materia nomen notionis introduxit. Ibi ergo ait : *Alia notio est qua intelligitur genitor, alia qua ingenitus. Nam quamvis de Patre Deo utrumque dica-*

tur, illud tamen ad genitum, id est ad Filium, dicitur; quod nec illi negant: (id est Ariani) *hoc autem quod ingenitus dicitur, ad seipsum dici perhibent.* Negat autem August. ingenitum dici ad se seu absolutè, quia ingenitus idem est ac non genitus; non genitus idem ac non Filius. Sicut ergo *relativè ajo, cum dico, Filius est; ad Patrem enim refero: relativè nego, si dicam, Non Filius est; ad parentem enim eamdem negationem refero, volens ostendere quòd ei parens non sit. At si quantum valet quod dicitur Filius, tantundem valet quod dicitur genitus, sicut prælocuti sumus; tantum ergo valet quod dicitur non genitus, quantum valet quod dicitur non Filius. Relative autem negamus dicendo, non Filius: relativè igitur negamus dicendo non genitus. Ingenitus porrò quid est nisi non genitus? Non ergo receditur à relativo prædicamento, cùm ingenitus dicitur.*

8 Dices. Sicut Pater à nullo est, & secundum hoc accipitur notio, quæ dicitur innascibilitas: ita à Spiritu S. non est alia Persona. Et secundum hoc oportebit accipere sex notiones. *Resp.* quòd cum Persona importet dignitatem, non potest accipi notio aliqua Spiritûs S. ex hoc, quod nulla Persona est ab ipso. Hoc enim non pertinet ad dignitatem ipsius, sicut pertinet ad auctoritatem Patris, quòd sit à nullo.

9 Dices 2. Sicuti Patri & Filio commune est, quod ab eis procedat Spiritus S. ita commune est Filio & Spiritui S. quod procedant à Patre: ergo sicut una notio ponitur communis Patri & Filio: ita debet poni una notio communis Filio & Spiritui S. *Resp.* quòd Filius & Spiritus S. non conveniunt in uno speciali modo existendi à Patre; sicut Pater & Filius conveniunt in uno speciali modo producendi Spiritum S. Id autem, quod est principium innotescendi, oportet esse aliquid speciale; & ideò non est simile.

10 Dices 3. Notio debet esse proprietas personalis; quod enim non est proprium, nequit esse ratio cognoscendi Personam: sed spiratio activa non est proprietas personalis, cùm duobus conveniat: ergo. *Resp.* quod spiratio activa est proprietas comparativè ad Spiritum S. quia illa ipsi non competit, licèt autem non sit proprietas absolutè, non tollit quod sit proprietas in aliquo sensu, ut docet D. Thom. *opusc. 3. cap. 59.* Sic licet esse bipedem non sit proprietas absoluta hominis, sicut risibilitas, est tamen proprietas comparativè ad quadrupedia. Diver-

versaque est spiractio activa à notionibus Paternitatis & Filiationis, (& ideò specialis) quia hæc reperitur in Patre & Filio, Paternitas verò in solo Patre, & Filiatio in solo Filio. Et ex adverso, quia rationes Verbi, & Imaginis non distinguuntur realiter à Filiatione, neque ex parte sui, neque ex parte personæ in qua reperiuntur; quia sunt unum & idem, & similiter in una eademque persona reperiuntur, nimirum in Filio; propterea non faciunt nisi unam notionem cum Filiatione: Et idem dicendum est de rationibus Doni & Amoris respectu Spiritûs S. quæ numerum quoque notionum non augent. Item ratio doni deficit à ratione notionis, quòd sumatur per ordinem ad creaturas: & similiter ratio Verbi quatenus dicit respectum ad illas: notio autem accipitur per ordinem ad intra.

11 Dices 4. Innascibilitas vel ratio ingeniti competit etiam Spiritui S. ergo si in Patre est notio, etiam in Spiritu S. *Resp.* ex Aug. 15. *Trin. cap. 26. in fine*: *Cum Spiritum S. genitum non dicamus, dicere tamen non audemus ingenitum, ne in hoc vocabulo vel duos Patres in illa Trinitate, vel duos qui non sunt de alio quispiam suspicetur. Pater enim solus non est de alio, ideò solus appellatur ingenitus, non quidem in Scripturis, sed in consuetudine disputantium.* Ex quibus dist. ant. Innascibilitas aliqua, scil. quòd non procedat nascendo, conc. Innascibilitas omnimoda, quòd scil. à nullo principio procedat, neg. Hæc enim solùm Patri convenit, ut Aug. ait, *Pater solus non est de alio, ideò solus appellatur ingenitus*: ergo sola innascibilitas, quæ Patri convenit, est notio. Hìc enim innascibilitas non sumitur determinatè pro sola negatione essendi per nativitatem, sed sumitur pro negatione omnis principij: quod solum competit Patri: unde meritò ait Aug: quòd licèt Spiritus S. non sit genitus, in quo convenit cum Patre, & differt à Filio, illum tamen dicere non audemus ingenitum, ne aliquis suspicetur duos qui non sint de alio, vel duos Patres in illa Trinitate, ut per hoc ostendat innascibilitatem, quæ est propria notio Patris, sumi pro negatione omnis principij, & non tantum pro negatione procedendi ab alio per generationem.

12 Dices. Illa innascibilitas, quòd Spiritus S. non procedat nascendo, notificat ipsum: ergo est notio. Similiter *inspirabilitas* notificat Filium, qui non procedit per spirationem, sed per negationem: ergo est notio. *Resp.* eas nullam exprime-

re vel denotare perfectionem, ſicut innaſcibilitas Patris, quæ licèt formaliter dignitas non ſit, à poſteriori tamen explicat dignitatem primæ Perſonæ, ſcil. auctoritatem principij per modum capitis & fontis omnium divinarum perfectionum. D. Th. *in* 1. *diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 1. *ad* 2. Et ideò cùm talis innaſcibilitas non competat Spiritui S. ut patet: & cùm per hoc quod eſt præcisè non procedere naſcendo, non explicetur dignitas Perſonæ, nec etiam à poſteriori, quia in Spiritu S. non datur innaſcibilitas, quæ excludat eſſe ab alio abſolutè; ideò illa non eſt notio. Id patet in creaturis, quibus in aliquo ſenſu convenit innaſcibilitas, in quantum non procedunt à Deo naſcendo, ſicut filius, ſed per creationem: & ſanè hæc innaſcibilitas non importat perfectionem. Similiter dicimus de inſpirabilitate: ſicut de improductivitate ſive non productione alterius Perſonæ diximus *num.* 8.

13 Aſſumptum conſtat ex D. Thom. *in* 1. *diſt.* 26. *quæſt.* 2. *art.* 3. *in fine corp.* dicente: *Si negatur ratio principij, non eſt ad dignitatem pertinens, & ideò non poteſt eſſe notio Spiritus S.* (innaſcibilitas) *nec eſſe principium alicujus Perſonæ divinæ. Si negatur ratio ejus quod eſt à principio; aut in ſpeciali, aut in generali: ſi in ſpeciali, non poteſt eſſe notio, quia quanto affirmatio eſt magis ſpecialis, tanto notio poſita eſt magis communis, ſicut non homo eſt magis commune quàm non animal, quia omne non animal eſt non homo: ſed non convertitur. Si in generali, ſic erit negatio ſpecialis, & ad dignitatem pertinens: unde faciet notionem Patris, quæ eſt innaſcibilitas, quæ ſignificat non eſſe ab alio.* Quod ait D. Thom. *negatio in ſpeciali*, intelligitur de negatione procedendi ab alio ſecundum ſpecialem modum, ſcil. per nativitatem; & de innaſcibilitate (idem de inſpirabilitate) in hoc ſenſu ait non poſſe eſſe notionem: quod ait *in generali* intelligitur de non proceſsione ab alio ſub ulla determinata ratione; ita ut innaſcibilitas neget in generali omnem proceſsionem ab alio. In hoc ſenſu ait, innaſcibilitatem conſtituere notionem Patris: ſed ſic non competit Spiritui S.

Ex hucuſque dictis ſumatim colliges quæ ſub numero poſſunt cadere in hoc ineffabili myſterio: datur enim una eſſentia, duæ Proceſsiones, tres Perſonæ, quatuor Relationes, quinque Notiones.

§. III.

§. III.

DE ACTIBUS NOTIONALIBUS.

14 SIcut notiones sunt rationes propriæ Personarum, ita etiam actus notionales sunt actus earum proprij. Illi autem sunt duo, dictio scil. seu productio Verbi, quæ convenit soli Patri; & spiratio seu productio Spiritûs S. quæ convenit Patri & Filio. Si sumantur secundum quod dicunt in recto, sic actus notionales non differunt ab essentialibus, toti Trinitati communibus: sic enim sunt intelligere & velle divinum: si sumantur in obliquo, differunt ab essentialibus, & sunt proprij Personarum; sic enim connotant relationes Personarum constitutivas. Nam ipsum dicere quo Pater producit Verbum, nihil aliud est quàm intelligere ut modificatum relatione Paternitatis, ut diximus agentes de divinis processionibus.

15 Circa actus notionales nulla est specialis difficultas inter Scholasticos, distincta ab eis de quibus egimus *in quæst. de Divin. Proces.* An autem sint voluntarij, sua claritate & brevitate resolvit Ang. Præc. *hìc quæst.* 41. *art.* 2. dicens, Patrem genuisse Filium voluntate se habente concomitanter tantum, sicut possum dicere, quod ego sum homo mea voluntate, quia scil. volo me esse hominem: & Deus vult se generare Filium. Sed non genuit Filium voluntate, si ly *voluntate* importet habitudinem principij: sicut dicitur, quod artifex operatur voluntate. Ratio, quia voluntas, & natura secundum hoc differunt in causando, quia natura determinata est ad unum: sed voluntas non est determinata ad unum. Cujus ratio est, quia effectus assimilatur formæ agentis, per quam agit. Manifestum est autem, quod unius rei non est nisi una forma naturalis, per quam res habet esse. Unde quale ipsum est, tale facit. Sed forma, per quam voluntas agit, non est una tantùm, sed sunt plures, secundum quod sunt plures rationes intellectæ. Unde quod voluntate agitur, non est tale quale est agens, sed quale vult, & illud intelligit esse agens. Eorum igitur voluntas principium est, quæ possunt sic vel aliter esse. Eorum autem, quæ non possunt nisi sic esse, principium natura est. Quod autem potest sic, vel aliter esse, longè est à natura divina; sed hoc pertinet ad rationem creaturæ, quia Deus est per se necesse esse, creatura autem est facta ex nihilo.

16 Idem dicendum est de Pro-

Processione Spiritus S. cum enim tertium argumentum, quod sibi opposuit ibi D. Th. intenderet probare, Spiritûs S. Processionem esse liberam & voluntariam, quia procedit ut amor, respondet D. Thom. ibi; Ad 3. *dicendum* quòd etiam voluntas in quantum est natura quædam, aliquid naturaliter vult, sicut voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem. Et similiter Deus naturaliter vult, & amat seipsum. Sed circa alia à se voluntas Dei se habet ad utrumque quodammodo, ut dictum est. Spiritus autem S. procedit ut amor, in quantum Deus amat seipsum: unde naturaliter procedit, quamvis per modum voluntatis *procedat*. Contra Eunomianos non volentes credere, Verbum esse Filium Dei naturâ, sed asserentes esse Filium voluntatis Dei, agit Aug. *in lib.* 15. *de Trin. cap.* 20. Et *Serm.* 105. *de Temp.* ubi ait: *Pater genuit Filium, non voluntate, nec necessitate* (hoc est ex indigentia vel coactione) *sed natura*. Videatur etiam *in lib. ad Orosium in Dial. quæst.* 7.

17 An autem respectu actuum notionalium detur potentia? Resp. Div. Thom. affirmativè *in art.* 4. quia potentia generandi significat id quo generans generat: sed omne generans generat aliquo: ergo in omni generante oportet ponere potentiam generandi, & in spirante potentiam spirandi. Vide hìc *quæst.* 1. *art.* 4. *à n.* 23.

An actus notionalis ad plures Personas terminari possit, resolvendum est juxta dicta ibi.

ARTIC. VI. DE PERSONA Patris.

AN INGENITUS *PROUT est nomen Patris consistat in privativo?*

§. UNIC.

RESOLVITUR DUBIUM.

1 DE Persona Patris agit D. Thom. in præsenti *quæst.* 33. docens ex Aug. 4. *de Trin. cap.* 20. quòd *Pater est principium totius Deitatis*. Nomen enim *principium* nihil aliud significat, quam id à quo aliquid procedit, quomodocumque procedat. Ita *art.* 1. In tertio agit de nomine *ingenitus*, quod soli Patri convenire diximus. Circa hoc est dubium, an innascibilitas, quam significat hoc nomen, ingenitus, secundum quod est proprietas Patris consistat in negativo, vel in positivo? Dicimus cum Aug. & Thom. non constitui per aliquid positivum, sed per negationem generationis vel processionis passivæ: ait enim

enim Aug. *lib.* 5. *Trin. cap.* 6. *Cum ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit dicitur.* Et cap. 7. *Ingenitus porrò quid est nisi non genitus.*

2 Et D. Thom. *ibi ad* 1, *Quidam dicunt* quod... non dicitur tantum negativè, sed importat vel utrumque simul, scil. quod Pater à nullo est, & quod est principium aliorum: vel importat universalem auctoritatem, vel etiam fontalem plenitudinem. Sed hoc non videtur verum; quia sic innascibilitas non esset alia proprietas à paternitate & spiratione, sed includeret eas, sicut includitur proprium in communi. Nam fontalitas & auctoritas nihil aliud significant in divinis, quam principium originis: & ideò dicendum est secundum Aug. quod Ingenitus negationem generationis passivæ importat... nec propter hoc sequitur, quod ingenitus non debeat poni propria notio Patris; quia prima & simplicia per negationes notificantur: sicut dicimus, punctum esse, cujus *pars non est.*

3 Et arguit contra se sic. Ingenitum aut dicitur privativè, aut negativè. Si negativè, tunc quidquid non est genitum, potest dici ingenitum: sed Spiritus S. non est genitus, neque etiam essentia divina: ergo ingenitum etiam eis convenit. Et sic non est proprium Patri. Si autem privativè sumatur, cum omnis privatio significet imperfectionem in privato, sequitur, quod Persona Patris sit imperfecta, quod est impossibile. Ad quod respondet: *Ad* 2. *dicendum*, quod ingenitum quandoque sumitur negativè tantum. Et secundum hoc Hieron. dicit Spiritum S. esse ingenitum, id est, non genitum: alio modo potest dici ingenitum aliquo modo privativè, non tamen aliquam imperfectionem importat.

Multipliciter enim dicitur privatio. Uno modo quando aliquid non habet, quod natum est haberi ab alio, etiamsi ipsum non sit natum habere illud: sicut si lapis dicatur res mortua, quia caret vita, quam quædam res natæ sunt habere. Alio modo dicitur privatio, quando aliquid non habet, quod natum est haberi ab aliquo sui generis: sicut si talpa dicatur cæca. Tertio modo, quando ipsum non habet, quod natum est habere. Et hoc modo privatio imperfectionem importat.

Sic autem ingenitum non dicitur privativè de Patre, sed secundo modo; prout scilicet aliquod suppositum divinæ naturæ non est genitum, cujus tamen naturę aliquod suppositum est genitum. Sed secundum hanc rationem etiam

de

de Spiritu S. potest dici ingenitum. Unde ad hoc, quòd sit proprium soli Patri, oportet ulterius in nomine Ingeniti intelligere, quod conveniat alicui Personæ divinæ, quæ sit principium alterius Personæ, ut sic intelligatur importare negationem in genere principij personaliter dicti in divinis. Vel ut intelligatur in nomine Ingeniti, quod omnino non sit ab alio, & non solùm quod non sit ab alio per generationem. Sic enim nec Spiritui S. convenit esse ingenitum, qui est ab alio per processionem, ut Persona subsistens: nec etiam divinæ essentiæ, de qua potest dici, quod est in Filio, vel in Spiritu S. ab alio, *scil. à Patre.* Hæc D. Thom. & similia habet *in* 1. *dist.* 28. *quæst.* 1. *art.* 1. ex quibus constat resolutio.

ARTIC. VII. DE PERSONA Filij.

AN VERBUM PROCEDAT per se in quarto modo ex cognitione omnium, quæ formaliter, & eminenter sunt in Deo?

§. I.

STATUITUR VERBUM per se procedere ex cognitione Personarum, & creaturarum possibilium.

1 EX nominibus quæ Filio applicantur, præcipua sunt ratio *Verbi*, & *imaginis*, de quibus agit D. Thom. *hìc quæst.* 34. & 35. & circa primum resolvit, *Verbum* propriè sumptum esse nomen personale, & non essentiale, seu soli Filio convenire; quod probat ex August. 7. *de Trin. cap.* 2. & *lib.* 6. *cap.* 2. ubi ait: *Verbum solus Filius accipitur, non simul Pater & Filius, tamquam ambo unum Verbum.*

2 Dubium est, an Verbum procedat ex cognitione essentiæ, & omnium divinarum personarum: non *per se primo modo*, in quo sensu convenit rei, quod ipsi essentialiter competit; sed *per se* in *quarto modo*, quod ita convenit rei & concurrit ad productionem,

dum

dum rei convenit formaliter ut causa est, & per se exigitur ut principium actionis. Non est dubium de processione in primo sensu: cum enim cognitioni Patris, per quam procedit Verbum, essentialiter conveniat esse totius divinitatem comprehensivam, ipsi etiam competit per se primo modo quod sit cognitio omnium prædicatorum divinorum: unde communiter supponunt AA. Verbum procedere ex cognitione omnium divinarum personarum, imò & creaturarum possibilium, concomitanter, identicè, & materialiter.

Sed quærimus, an cognitioni ex qua procedit, conveniat *per se* in *quarto modo*, seu de formali & tamquam principium, terminatio ad tres divinas personas; ita ut si per impossibile aliqua persona divina non cognosceretur, Verbum non procederet per talem cognitionem. Et datur locus ad hoc, quia licèt paternæ cognitioni in *primo modo* competat hæc terminatio, potest non convenire per se ut principium talis processionis: sicut homini per se convenit in primo modo quod sit rationalis, sed ut sentiat non convenit in *quarto modo*, quia ad hoc de formali se habet tantùm animalitas, rationalitas concomitanter.

3 Prima sent. docet Verbum formaliter procedere ex cognitione divinæ essentiæ tantùm. Tribuitur Scoto, Pontio, & aliis. Secunda sent. ait, Verbum procedere formaliter ex cognitione essentiæ, & personæ Patris, non autem ex cognitione ipsius Verbi, aut Spiritûs S. Ita Noster Puteanus *hìc dub.* 2. *concl. ult.* pro se allegans Scotum. Tertia sent. vult Verbum procedere ex cognitione etiam sui, non autem Spiritûs S. Ita Vazquez, & Alarcon, qui pro se allegat Nostrum Lusitanum. Quarta sent. docet, procedere ex cognitione essentiæ, omnium Personarum, & creaturarum possibilium. Ita tota nostra Schola, Puteano excepto. Thomistæ communiter: Suarez, & alij ex Societate. Mastrius cum pluribus Scotistis, quantum ad attributa, & personas, non quantum ad possibilia. Conveniuntque in eo quod hæc cognitio est intuitiva, cujus contrarium docuit Pater Raphael de Aversa.

4 Dicimus 1. *Verbum divinum per se in quarto modo procedere ex cognitione omnium essentialium, trium Personarum, & possibilium.* Prob. ex M. P. Aug. 15. *de Trin.* 14. dicente: *Proinde tamquam seipsum dicens Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia. Non enim seipsum integrè per-*

fectèque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo, quam in ipso. Ex quo. Vel Pater ea cognitione qua producit Verbum cognoscit totum se ipsum, vel non cognoscit, seu non dicit totum id quod cognoscit. Si primum: ergo per illam cognitionem cognoscit etiam Paternitatem, & Spirationem activam, quæ est in ipso: & per consequens per talem cognitionem ex qua formaliter procedit Verbum, cognoscitur Filius, qui est correlativus Paternitatis, & Spiritus S. qui est correlativus spirationis activæ; relativa enim sunt simul cognitione. Si non cognoscit totum seipsum, vel non dicit totum id quod cognoscit: ergo Pater non genuit Verbum sibi æquale, tamquam seipsum dicens: si enim seipsum dicens gignit, debet dicere omne id quod cognoscit & est in ipso necessariò, & per consequens Verbum debet procedere de tota cognoscibilitate Patris per se in quarto modo; aliàs non se ipsum integrè perfectèque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo, quàm in ipso ut dicente: esset autem amplius, si in Patre ut dicente non intelligitur cognitio trium Personarum, quæ intelligitur in Filio: esset minus in Verbo quàm in Patre, si in Patre est cognitio aliqua, quæ non intelligatur formaliter in dictione: talis enim cognitio non erit in Verbo, in quo tantum intelligitur id quod est in scientia vel cognitione de qua genitum est.

5 Per hoc præcluditur via ad recursum, quòd sufficiet ut Verbum procedat æquale Patri, quòd exprimat concomitanter omne id quod est in Patre: non autem requiritur quòd omnium cognitio se habeat antecedenter & formaliter ad Verbi productionem; *contra enim est*, quia quod requiritur ad dictionem, concurrit formaliter ad Verbi productionem: dictio enim est actus notionalis per quem filius generatur; sed Pater *tamquam se ipsum dicens, genuit Verbum*; seipsum autem dicens integrè & perfectè, debet dicere totum id quod est per se in ipso, quodque ab ipso necessariò cognoscitur: ergo cùm ad integram & perfectam dictionem formaliter requiratur cognitio de omni eo quod est in dicente, Verbum debet procedere formaliter ex cognitione omnium quę sunt in Patre.

6 Conf. Juxta Aug. ibi immediatè post laudata verba: *Quidquid est in ea scientia de qua genitum est, & in ipso est: quod autem in ea non est, nec in ipso est.* Ex quo patet Magnum P. loqui de ea cognitione, quæ

quæ se habet ut principium Verbi, hoc enim denotat ly *de qua genitum est*: ergo si in ea scientia, ut est principium Verbi, non est cognitio Paternitatis vel spirationis activæ, est autem in Patre, aliquid minus est in Verbo, quàm in Patre: non ergo per illam scientiam genuit Verbum sibi æquale per omnia. Prima cons. patet, quia quod in eâ scientia non est, nec in Verbo est. Hæc ratio directè etiam probat processionem Verbi ex cognitione possibilium.

7 Prob. ex D. Thom. *hìc quæst.* 34. *art.* 1. *ad* 3. dicente: *Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum S. & omnia alia, quę ejus scientia continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* Et quæst. 4. de Verit. art. 4. *In Deo ad hoc* quod Verbum ejus perfectum sit, oportet quod Verbum ejus exprimat, quidquid continetur in eo ex quo oritur; & præcipuè cùm Deus omnia uno intuitu videat, non divisim. Sic igitur oportet, quod quidquid in scientia Patris continetur, totum hoc per unum ipsius verbum exprimatur, & hoc modo quo in scientia continetur, ut sit verum Verbum suo principio correspondens per scientiam; & Verbum ipsius exprimat ipsum Patrem principaliter, & consequenter omnia illa, quæ cognoscit Pater cognoscendo seipsum: & sic Filius ex hoc ipso quod est Verbum perfectè exprimens Patrem, exprimit omnem creaturam: & hic ordo ostenditur in verbis Anselmi, qui dicit, quod dicendo se, dicit *omnem creaturam.*

Per hoc autem quod ait hìc, quod Verbum exprimit Patrem *principaliter*, & *consequenter* possibilia, intelligitur, quòd dum in art. seq. ait, Verbum *ex consequenti & quasi per accidens* referri ad creaturam, ly *per accidens* non sumitur contrapositivè ad *per se*, prout de illo loquimur in præs: sed contrapositivè ad *primarium*, & principale, in quo sensu est verum, Verbum non procedere, nec referri per se ad creaturas, scil. primariò & principaliter; sed hoc non tollit, quod cognitio productiva illius petat per se *in quarto modo* terminari *secundariò* ad creaturas possibiles, in quantum scil. terminatur ad illas mediâ divina essentia ut primò & principaliter repræsentata; ut probat ratio D. Thom. & unice intendit conclusio nostra.

8 Ratio fundamentalis est: Verbum per se procedit ex cognitione comprehensiva divinitatis: sed talis cognitio est per se omnium, quæ sunt formaliter, & eminenter in Deo: ergo:

Minor conſtat ex dictis *tract.4. quæſt.4.* Prob. maj. Verbum per ſe procedit ut comprehenſivè cognoſcens omnia quæ ſunt in Deo: procedit enim ut Deus, ut docet Aug. laud. *hìc quæſt. 1. art. 2. num. 1.* ſed cognitio comprehenſiva eſt attributum eſſentiale, & per ſe conſequens ad divinitatem: ergo. Nunc ſic. Sed omnia, quæ per ſe conveniunt Verbo, ei conveniunt per paternam cognitionem, vel ſunt præcognita cognitione paterna: ergo cognitio ex qua procedit Verbum, non habet terminari conſequenter ad ea, quæ ſunt formaliter in Deo, ſcil. attributa abſoluta, & relationes, ſed antecedenter, & formaliter per ſe. Rurſus. Verbum debet procedere per ſe ex cognitione perfectiſsima, & infinita, ſicut ipſum eſt per ſe perfectiſsimum & infinitum: ſed ſola cognitio comprehenſiva eſt perfectiſsima & infinita: ergo.

9. Secunda ratio. Ideò cognitio Paternitatis v. g. non eſſet formaliter requiſita ad dictionem in divinis, quia pro illo priori originis Filij, non ſunt cognoſcibiles Perſonæ, quę pro illo priori nondum ſunt: ſed hæc ratio non tenet: ergo. Prob. min. 1. ex eo enim ſequitur, eſſentiam pro illo priori non eſſe comprehenſibilem; quod non admittunt Scotiſtæ illi, qui in præſenti nobis adverſantur. 2. Tota ratio cognoſcibilitatis perſonarum ſumitur ex divina eſſentia, vel veritate eſſentiali; & ideò diximus *tract.4. quæſt.4. art.4.* non poſſe videri eſſentiam ſine attributis & Perſonis, quia conveniunt in eadem ratione viſibilitatis: ergo pro illo priori pro quo eſt cognoſcibilis eſſentia, ſunt etiam cognoſcibiles perſonæ.

3. Prioritas illa non eſt prioritas exiſtentiæ, neque intelligentiæ, ſed originis tantum: ſed prioritas originis involvit ſimultatem cognitionis: ergo non poteſt eſſentia vel perſona Patris (ut ex hoc ſententia Puteani ulterius refellatur) cognoſci, quin ſimul Filius cognoſcatur. Min. patet, quia implicat cognoſcere cauſam ut actù cauſantem, quin ſimul cognoſcatur effectus: ergo multo magis implicat, quod cognoſcatur principium originis, ut originans, quin cognoſcatur terminus originatus: unde Aug. *lib. 2. aliàs 3. contra Maxim. num. 8. Hæc non eſt*, inquit, *inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ: non quod alter prior eſſet altero, ſed quod alter eſſet ex altero.* Et D. Thom. *hìc quæſt. 42. art. 3.* ait: *Oportet ibi eſſe ordinem ſecundùm originem abſque prioritate.* Et ibi ad 2. *Neque ex parte naturæ, neque ex parte relationum una*

Persona potest esse prior aliâ, neque etiam secundùm naturam, & intellectum.

4. Si Personæ non essent simul cum essentia in eodem signo rationis, maximè quia oriuntur ab essentia : sed etiam attributa oriuntur ; & tamen juxta adversarios Verbum procedit ex cognitione attributorum: ergo & Personarum. 5. Ex fœcunditate naturæ ; cognitio enim divina non intelligitur ut fœcunda ad generationem, nisi prout modificata Paternitate: ergo pro omni priori, quo intelligitur Dei cognitio fœcunda, intelligibilis est Paternitas in vi essentiæ divinæ, & ut modificans cognitionem divinam; & per consequens non cognita Paternitate, &c.

10 Quod autem talis cognitio ex qua procedit Verbum sit intuitiva constat ex dictis, quia si non potest unum prædicatum divinum videri, quin omnia videantur, ut diximus; nequit Verbum per se procedere ex cognitione intuitiva essentiæ (quod omnes fatentur) quin per se procedat ex cognitione intuitiva omnium quæ sunt in Deo. *Secundo.* Verbum petit per se procedere per cognitionem perfectissimam: sed intuitiva & comprehensiva talis est; abstractiva autem arguit imperfectionem: aut enim res abstractivè cognita est talis, ut existentia exercita non sit prædicatum essentiale illius: aut licèt sit, tamen ad illius cognitionem cognitio non se extendit: primum dicit imperfectionem ex parte objecti, sicut potentialitas; secundum dicit imperfectionem ex parte cognitionis: ergo.

11 Advertendum est ergo, ut vitetur omnis æquivocatio, quòd aliud est cognitionem ex qua procedit Verbum esse priorem prioritate originis ad existentiam Verbi; & aliud quod terminetur ad illud pro priori ad ejus existentiam. Primum est verum: secundum falsum, si faciat hunc sensum, quod terminetur ad Verbum, & non ad ejus existentiam: si autem faciat hunc sensum, quod etiam terminetur ad existentiam Verbi, constituentem tamen aliud signum posterius ad ipsam cognitionem; sic verum est: sed propterea talis cognitio non est abstractiva, sed intuitiva, quia terminatur ad Verbum ut existens, quamvis illa cognitio, utpote principium, constituat signum prius. Sed ista prioritas signi originis non facit unum cognosci sine alio, sed unum ex alio, ut Aug. ait. Nequit ergo dici abstractiva talis cognitio Verbi, nec Spiritûs S. quia in divinis *nihil est prius, & posterius*, sed *totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.*

Sig-

12 Signa autem sic se habent. In primo signo intelligitur id quod de Deo cognoscimus pertinens ad ejus naturam: in secundo signo intelligitur id quod Deo convenit per modum attributi essentialis: in tertio quod convenit per modum prædicati notionalis. Si ergo audias, quod pro signo naturæ nondum sunt, aut nondum intelliguntur attributa, non sic illud debes intelligere, quod in illo signo nondum existant, aut nondum intelligantur attributa, sed quod quamvis pro mensura illius signi attributa realiter sint, & per eamdem cognitionem cognoscantur; tamen non cognoscuntur ut constituentia illud signum, sed ut ad aliud spectantia. Idem de cognitione possibilium. Sic in præsenti, quamvis pro priori originis ad Filium existat & cognoscatur Filius, tamen non intelligitur ut constitutivum ipsius originis, sed tamquam terminus ejus: diversitas illa signorum locum habet etiam, dum omnia simul & per eamdem cognitionem cognoscuntur, sed absque confusione: ordo enim ille prioritatis & posterioritatis in eo stat, quod si illa prædicata essent inter se distincta, cum tali ordine subjecto convenirent. Videatur Augustin. 15. *Trin. cap. 26. & dicta tract. 5. quæst. 2. art. 3. num. 7.* de scientia visionis, quæ est causa rerum, & simul intuitiva.

§. II.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

13 Arg. 1. Sola divina essentia est objectum primarium & specificativum divinæ cognitionis: ergo sola illius cognitio est in quarto modo per se requisita ad Verbi processionem. Ant. supponitur pro nunc, cons. prob. Stante solius essentiæ cognitione staret tota substantia & essentia paternæ cognitionis: sed hac stante, staret quidquid per se requiritur ad processionem Verbi: ergo. 2. Si sola natura specificat divinam cognitionem, per prius intelligitur terminari ad illam, quam ad alia prædicata divina: sed pro illo priori pro quo terminatur ad naturam, cognitio est fœcunda ad productionem Verbi: supponimus enim esse cognitionem paternam: ergo independenter à cognitione aliorum est fœcunda & productiva Verbi. 3. Dato quod Verbum procedat formaliter ex solius essentiæ cognitione & concomitanter aliorum quæ sunt in Deo, esset verus Deus & verus Filius, nam procederet formaliter similis ge-

generanti in natura, quæ ipsi ex vi præcessionis communicaretur, & per identitatem procederet similis in attributis: ergo.

14 Resp. Argumentum probare contra adversarios Scotistas, quod Verbum non procedat per se ex cognitione attributorum essentialium. 2. Resp. conc. ant. neg. cons. Ad cujus probat. dic quod præscindendo terminationem cognitionis ad naturam à terminatione ad attributa & relationes, cognitio solius essentiæ non intelligitur satis apta & expedita ad producendum Verbum; vel Verbum per illam productum foret alterius rationis à Verbo quod nunc datur: tunc enim illa cognitio ad attributa & relationes non terminata non esset perfectissima & comprehensiva, nec Deum prout est in se attingeret: ergo vel non produceret Verbum, vel illud esset alterius rationis ab eo quod modò datur, valdeque imperfectum: quæstio autem procedit de Verbo quod de facto datur.

15 Ad 2. *resp. ex dictis tract. 4. quæst. 4. art. 4. num.* 20. quod objectum primarium non dicitur tale quia possit cognosci sine alio, sed quia habet à se & in se rationem formalem suæ cognitionis, & est ratio cognoscendi alia: quod stat cum eo quod attributa & relationes simul cognoscantur, licèt ratione essentiæ. Unde si pro illo priori intelligas cognitionem terminari ad naturam, excludendo terminationem ad alia, dicimus, illam cognitionem vel non esse fœcundam & satis aptam ad producendum Verbum, vel Verbum per eam productum non esse ejusdem rationis cum eo quod nunc est: non enim esset expressivum Dei ut est in se, sicut nec foret cognitio Dei ut in se, illa ex qua in eo casu procederet. Et per hoc patet ad ultimum: in illo enim casu Verbum non esset Deus per se subsistens, cum illi non perfectè conveniret divina natura, quia non convenirent ei attributa divina. Ratio. In communicatione quæ est per intellectum id tantum communicatur Verbo, quod de objecto cognoscitur: si ergo attributorum cognitio non esset principium processionis illius, &c.

16 Arg. 2. Verbum non repræsentat personam Patris & Spiritûs S. sed procedit per se à cognitione objecti quod in se repræsentat: ergo. Prob. min. Repræsentatio vel est similitudo unius cum alio, vel supra similitudinem fundatur: sed Verbi ad alias Personas in esse Personarum, nulla est similitudo, sed dissimilitudo: ergo. *Conf.* Si Verbum procederet ex cog-

cognitione Spiritûs S. esset imago illius; cum ipsi non deficeret similitudo in natura, & origo ad rationem imaginis intellectualis requisita, quæ est origo ab alio tamquam ab objecto cognito. Sequela non tenet: ergo.

Conf. 2. Filio ut tali non communicatur per se virtus spirativa: ergo non procedit per se ex cognitione talis virtutis; ac proinde nec Spiritûs S. Conf. tenet ex dictis. Ant. prob. 1. Filio ut tali solùm communicatur natura Patris, & quæ per se ad illam consequuntur: sed spiratio activa per se non consequitur ad naturam, aliás Spiritui S. conveniret: ergo. 2. Id per se communicatur Filio, sine quo non intelligeretur in esse Filij: sed etsi non esset in Filio virtus spirativa, esset Filius in esse Filij, ut supponunt Theologi dum disputant, an distingueretur à Spiritu S. si hic ab eo non procederet: ergo. 3. Id per se Pater Filio communicat, quod Patri convenit qua Pater est: sed Patri ut tali non convenit virtus spirativa, cùm pro aliquo priori ad illam intelligatur cum omni vi generativa, quæ convenit illi per intellectum, qui est prior voluntate: ergo.

17 Ad 1. resp. Verbum repræsentare Personas Patris & Spiritûs S. repræsentatione fundata in connexione, & in similitudine ratione naturæ, quia in ipsa natura Filij continetur totus Pater, & totus Spiritus S. & Filius per suam naturam tamquam per speciem impressam cognoscit Personas illas. Et licèt Verbum in ratione Personalitatis non repræsentet Personam Spiritûs S. repræsentatione fundata in formali similitudine, sufficit quòd repræsentet repræsentatione fundata in connexione. Personam Patris repræsentat ratione connexionis & ratione Personalitatis, quia ab eo tamquam à principio procedit; & per formalem similitudinem ex vi processionis & modi accipiendi naturam.

18 Ex quo Verbum habet esse imaginem Patris, ut docet D. Thom. *hìc quæst.* 35. *art.* 2. & non Spiritûs S. quia ut sit imago requiritur, ut exprimatur ab eo cujus est imago tamquam à principio dicente in esse rei; cumque Verbum à solo Patre isto modo procedat; à se autem, & à Spiritu S. & à creaturis possibilibus, non procedat tamquam à principio reali generationis ipsius, sed ut ab objecto cognito; seu termino cognitionis; ideò solius Patris est imago, & ab illo solo procedit tamquam à dicente.

19 Quod autem ad rationem imaginis non sufficiat simil-

militudo in natura, & quælibet origo ab alio, constat ex D. Thom. ibi docente, quod DD. Latini non attribuunt nomen imaginis Spiritui S. respectu Patris & Filij, licèt Spiritus S. accipiat naturam Patris & speciem similem Patris, quia de ratione amoris non est, quòd accipiat similitudinem speciei ad id à quo procedit, sicut est de ratione Verbi: & licèt hæc similitudo conveniat amori, qui est Spiritus S. id competit ipsi in quantum est amor divinus, id est identicè, non autem formaliter ex vi processionis. Ergo non sufficit quælibet similitudo & origo.

20 Nota etiam, quod licèt Verbum procedat ex cognitione creaturarum possibilium, non dicitur Imago, aut filius illarum, licèt aliquo modo dicatur Verbum creaturarum; quia licet istæ rationes identificentur secundum rem; differunt quantum ad modum significandi: quia imago importat originem & imitationem; Verbum ultra hoc importat manifestationem; Filius processionem & similitudinem seu identitatem in natura: quæ non conveniunt Verbo, & ideò nec dicitur imago aut Filius creaturarum, nec Verbum strictè sumptum, ut dicit originem, & imitationem. Si autem Verbum sumatur ut importat rationem manifestationis, *hoc modo est aliquo modo creaturæ, in quantum scil. per Verbum creatura manifestatur: sed non oportet quod procedat ab eo cujus est* Verbum, *nisi quando scientia ex qua procedit est causata à rebus, quod in Deo non accidit,* ut ait D. Thom. *quæst.* 4. *de Verit. art.* 4. *ad* 6. & 7. Unde absque processione à creaturis potest aliquo modo dici Verbum creaturæ. Et *si largo modo similitudinem accipiamus, sic possumus dicere, quod Verbum est similitudo creaturæ, non quasi imago ejus, sed quasi exemplar; sicut etiam Aug. dicit, ideas esse rerum similitudines*, ut ait D. Thom. *ibi ad* 2. Nota etiam quod possibilia sunt tantum in Verbo per modum objecti cogniti, sed non sicut id quod per Verbum dicitur, quia Verbum sic est tantum eorum quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt. *Omne enim quod aliquo Verbo dicitur, ordinatur quodammodo ad executionem, quia Verbo instigamus alios ad agendum, & ordinamus aliquos ad exequendum id, quod in mente concipimus: unde etiam dicere Dei dispositio ipsius est. Unde sicut Deus non disponit nisi quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt, ita nec dicit: unde Verbum est horum tantum, sicut ipsorum dictorum.* D. Thom. *ibi. art.* 7.

21 Ad 2. Conf. nego ant.

Ad 1. prob. dist. maj. Si ly *per se* significet quod sufficit ad rationem Filij, conc. Si significet, quòd quidquid aliud ei communicatur, est extra conceptum Filij, neg. Ad rationem enim Filij, dum generatio est perfectissima, per se requiritur assimilatio in conditionibus individualibus, quantum patiatur distinctio inter genitum & generantem: cùmque spiratio activa sit proprietas naturæ divinæ non absolutè, sed ut in prima & secunda Persona, nec hæc convenientia tollat distinctionem inter genitum & ge nerantem; hinc est, quod talis virtus debet per se communicari secundæ Personæ, non minus quàm voluntas, & alia attributa. Hoc docet D. Thom. *hìc quæst. 36. art. 4. ad 1. Spiritus S. procedit à Patre & Filio in quantum sunt unum in virtute spirativa, quæ quodammodò significat naturam cum proprietate.* Illa igitur spiratio non est aliquid extra conceptum Filij. Quod etiam patet, quia Filius ut Filius formaliter procedit ut Deus, & sic debet ipsi communicari virtus spirativa Spiritûs S.

22 Ad 2. prob. similiter resp. quod si per ly *per se* intelligas quod substantia Filij salvatur in pura communicatione naturæ, ita ut quidquid aliud ei communicetur sit extra conceptum Filij perfectè intellecti in esse talis; sic falsum est: nam Filius ut perfectè Patri assimiletur, debet omnia accipere quorum est capax, è quibus unum est activa spiratio. Theologi in illa disputatione possunt illud supponere pro indaganda ratione distinguente Spiritum S. à Filio, considerantes Filium præcisè quoad substantiam & formalitatem filiationis: nunc consideramus illum sub expressione Verbi perfectissimè terminantis processionem à Patre: nequit autem per se terminare perfectissimam generationem & similitudinem cum Patre, & per se non procedere cum virtute spirativa, quæ supponitur in Patre.

23 Ad ult. dic quod sicut Patri qua Patri non conveniunt constitutivè & in esse generantis nec voluntas, nec æternitas, nec immensitas, sed solus intellectus, & tamen per se Filio communicantur; pariter virtus spirativa: quia prioritas inter vim generativam & spirativam compatitur cum simultate existentiæ & intelligentiæ; & Pater potest intelligi ut communicans Filio ea omnia quæ ipse in illo signo intelligit, quorumque Filius est capax.

24 Contra processionem Verbi ex cognitione possibilium nullum fit argumentum, quod est dictis hìc dissolvi non pos-

possit, & *ex tract. 4. quæst. 4. & quæst. præc.*

ARTICULUS VIII.

AN VERBUM DIVINUM per se procedat ex cognitione creaturarum futurarum & existentium?

§. I.

PROBATUR SENTENTIA negativa.

1 AFfirmat Valentia, & alij ex Societate. Ex NN. Alviz, Gavardi, & alij apud ipsum, & loquendo de cognitione futurorum contingentium conditionatorum, omnes scientiæ mediæ assertores id tueri debent, ut testatur Gonet: imo sub conditione quod in Deo daretur cognitio futurorum ante decretum, negari non potest, Verbum divinum ex illorum cognitione procedere, ut probat ipse in præsenti *num.* 80. Negant communiter Thomistæ, & ex NN. Gibbon cum Antolinez, Cornexo, Bernardino & Gamboa: à fortiori Puteanus.

2 Sed huic sententiæ quamdam moderationem adhibent Godoy, Ferre, & Aguirre, quod scil. si Verbum sumatur secundum munus repręsentandi Deum comprehensivè, quod tantùm est illi per se conveniens, non procedit ex cognitione libera creaturarum: benè verò si sumatur secundùm munus repræsentandi ac dicendi creaturas. Sed cùm ad rationem processionis ab aliquo non sufficiat quod sit Verbum ejus, verbo sumpto præcisè pro ratione manifestationis, ut diximus ex D. Thom. *num.* 20. *præc.* cumque creaturas repræsentare Verbo non conveniat principaliter; hinc est quod licèt Verbum sit repræsentativum futurorum tamquam Verbum vel dictio, possibilium tamquam exemplar vel ratio, juxta ibi dicta; nequit dici, quod proprie & per se in quarto modo ex cognitione futurorum procedat, licèt concomitanter se habeat cognitio & dictio eorum omnium quæ sunt vel fuerunt, vel erunt.

3 Unde dicimus, *Verbum absolute & proprie non procedere per se in* 4. *modo ex cognitione libera creaturarum.* Prob. ex P. August. *Serm.* 105, *de Temp.* dicente: *Pater genuit Filium non voluntate*, quod probatur à D. Thom. *hic quæst.* 41. *art.* 2. quia *quod voluntate agitur non est tale, quale est agens, sed quale vult, & illud intelligit esse agens. Eorum enim voluntas principium, est quæ possunt sic vel aliter esse. Eorum autem quæ non possunt ni-*

si sic esse, principium natura est. Quod autem potest sic vel aliter esse, longe est à natura divina. Sed scientia libera horum futurorum contingentium potuit non esse, quia voluntas est principium illorum: processio autem Verbi est simpliciter necessaria necessitate opposita contingentiæ: ergo non procedit à Patre ex cognitione futurorum contingentium.

4 Conf. Id per se non concurrit ad Verbi divini productionem, quod si auferretur, vel non intelligeretur, Verbum divinum maneret omninò invariatum: sed ita contingeret, si non intelligeretur in Deo cognitio determinata futurorum contingentium: ergo. Min. prob. ex August. 15. *Trin. cap.* 13. *Non enim* inquit *ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis; sed illis existentibus sicut oportebat, & quando oportebat, illa mansit ut erat.* Et ex D. Anselmo *in Monol. cap.* 32. *Sive ergo Pater cogitetur nullo alio existente, sive aliis existentibus, necessum est Verbum illi coæternum esse.*

5 Si dicas verum esse, quod cognitio futurorum potuit absolutè in Deo non esse: ex suppositione tamen quod ab æterno sit, non potest Deo deficere: unde poterit Verbum in se necessarium procedere per se ex illa cognitione necessaria ex tali suppositione. *Contra est,* quia non existentia Verbi est absolutè impossibilis: non existentia autem cognitionis futurorum est impossibilis tantùm ex suppositione: sed id cujus non existentia est impossibilis absolutè, nequit per se procedere ab eo, cujus non existentia tantùm est impossibilis ex suppositione: ergo. Min. ostenditur ex vi *ly per se*, nam quod dicitur procedere ab alio ex aliqua suppositione, nequit procedere ex majori necessitate quàm illa quæ competit formæ reduplicatæ in tali suppositione: sed forma vel quasi forma quæ reduplicatur in illa suppositione non habet necessitatem *per se*, sed ex libera determinatione: nam id ratione cujus convenit Deo cognitio futurorum, & Verbo repræsentatio illorum, est decretum non per se necessarium, sed absolutè liberum, & contingenter Deo conveniens: ergo quacumque suppositione facta in qua ingrediatur vel reduplicetur illud decretum liberum & contingens, nequit dici, quod Verbo conveniat *per se* procedere ex cognitione illius objecti, ad quod cognitio illa libera terminatur. 2. Quia processio Verbi quæ omnibus modis est necessaria, nequit per se procedere ex cognitione quæ absolutè potuit non esse. Sicut ergo propriè loquendo non dici-

timus Verbum esse per se expressivum contingentium, sed per accidens & ex libera determinatione, quia esse per se expressivum & esse per accidens opponuntur; ita similiter de cognitione.

6 Explicatur. Licèt Deus producat hominem ut album, tamen hæc productio hominis ut albi non est illi conveniens per se; cùm possit Deus manente essentia hominis illum non producere ut album: ergo licèt à Patre procedat Verbum ut expressivum futurorum, hæc processio non debet dici per se conveniens Verbo sub hac expressione, quia non minus contingenter convenit Verbo hæc contingentia repræsentare de facto, ac homini albedo, cum potuerit illa non repræsentare, sicut homo potest non esse albus.

2. A ratione. Quacumque suppositione facta semper est verum, quod dum reduplicatur repræsentatio futurorum in Verbo, vel processio ex cognitione illorum, non reduplicatur realiter aliquid intrinsecum & proprium in quarto modo Verbi, terminantis processionem realem ad intra; quia aliàs ratio reduplicata non erit formalitas contingens & defectibilis, sed indefectibilis & summè necessaria sicut ipsum Verbum: & etiam est verum, quod æquè benè esset ipsum Verbum, cum omni eo quod per se illi competit in quarto modo, sive procederet à Patre cognoscente talia futura, sive non cognoscente: ergo procedere à Patre illa cognoscente, & ut repræsentativum futurorum, non est per se exactum ad processionem Verbi, sed per accidens.

Illud enim esse per accidens, aut connecti per accidens cum alio dicitur, quod ita est vel ita pendet, aut quasi pendet, quod aliter vel sine illo æquè benè esset, vel existeret, ac est, aut existit cum illo. E contra tunc aliquid dicitur esse per se, vel connecti per se cum alio, quando ex essentia aut proprietate sua in 4. modo, ita est, aut ita dependet, vel quasi pendet ex eo, ut aliter vel sine illo esse non valeat. Sic Deus est per se connexus solùm cum se ipso & omnibus suis intrinsecis, ut Personis, attributis, omnipotentia, &c.

Unde dicere, quod omnino per accidens convenit Verbo qua tali procedere ex cognitione futurorum, & illa repræsentare, & quod ei ut jam repræsentanti per se conveniat ex paterna futurorum cognitione procedere; implicat in terminis, si ly *per se* denotet modum quo ipsi convenit modus procedendi ex tali libera cognitione; quia sicut illa suppositio de eo

quod

quod jam repræsentat futura, non per se illi competit qua Verbo; ita nec procedere ut futura repræsentans potest illi ut jam repræsentanti convenire per se, quia semper ratio reduplicata est aliqua formalitas non propriè in 4. modo Verbi ut terminantis processionem realem & necessariam ad intra: in quo sensu de illo instituimus quæstionem: loqui enim de illo reduplicativè ut repræsentanti futura non est sub sententiis ponendum; nec est dubium Theologicum: at de illo in hoc sensu, ultimo modo dicendi adhæret Illust. Montalban *hìc numer.* 20. apponens exemplum de homine sub reduplicatione albi, cui per se in 4. modo convenit procedere à dealbante.

Et dicere, quod Verbo ut repræsentativo futurorum convenit procedere per se à Patre ut cognoscente futura, propter rationem immediatè datam, (qua utitur Montalban ibi ut illud concedat) est supponere in quæsito id quod vertitur in dubium, scil. procedere per se à Patre ut cognoscente futura; cùm tamen non sit necessarium, quia Verbum potest esse repræsentativum futurorum, & sub hac ratione considerari, quin illud acceperit à Patre per se, & ex vi processionis, seu quin procedat per se à Patre ut cognoscente futura; per hoc solum quod concomitanter illud acceperit à Patre, cognoscente quidem futura, sed non formaliter se habente ex parte principij processionis tali terminatione ad futura: in quantum cognitio futurorum vel illorum repræsentatio non est aliquid per se spectans ad essentiam Verbi ut terminantis necessariam processionem ad intra. Hæc nota diligenter, quia per ea detegitur punctus difficultatis, & differentia inter locutiones Auctorum nostræ, & oppositę sententiæ: & quinam congruentius utantur termino *per se*.

7. Alia ratio conclusionis est ex disparitate inter cognitionem possibilium & futurorum. Verbum divinum tantum requirit per se ad sui processionem cognitionem comprehensivam Dei: sed licèt ad illam requiratur cognitio omnium possibilium; non requiritur per se cognitio futurorum; tum quia cognitio comprehensiva est prædicatum absolutum & necessarium; cognitio autem divinorum decretorum non est Deo absolutè necessaria; sed absolutè libera. Tum, quia aliàs scientia libera adderet perfectionem supra necessariam; si ad comprehensionem non sufficeret necessaria, quia munus comprehensionis maxima perfectio est: ergo.

Ex-

8 Explic. Ad cognitionem comprehensivam non requiritur per se & essentialiter terminatio ad futura contingentia ; aliàs si Deus decrevisset nullam creaturam producere , non posset se ipsum comprehendere : sufficit ergo quod Deus perfectissimè penetret suam omnipotentiam , & quidquid per illam potest producere. *Si dicas* 1: quod etsi Deus decrevisset nullam creaturam producere , non deesset scientia libera de non futuritione illarum , cùm voluntas divina non potuerit manere suspensa ab omni actu libero. *Contrà est* , quia hoc est Verbum procedere ex disjuncto scientiæ de futuritione mundi, & scientiæ de carentia futurifionis illius , quod consistit in necessitate habendi aliquam illarum , quodque Deus cognoscit per scientiam necessariam: ergo si Verbum procedit ex cognitione illius disjuncti, vel decreti vagè & indeterminatè sumpti , non procedit ex cognitione prædicati Deo liberi & contingentis. 2. Si Verbum non procedit ex cognitione futuritionis hujus mundi , nec determinatè ex cognitione non futuritionis hujus mundi , quia quolibet extremo determinato deficiente Verbum divinum æquè benè subsisteret : signum est, quod procedit ex scientia libera non determinatè, sed sub aliqua ratione futuritioni & non futuritioni communi , & per cujuslibet defectum indefectibili ; ergo non procedit ex cognitione libera ut tali , quæ aliquomodo defectibilis est.

9 Si dicas 2: quod cognitio futurorum non requiritur absolutè ad comprehensionem Dei , benè tamen ex suppositione quod sint futura. *Contra*, quia ex hoc non probatur, quod futurorum cognitio sit per se necessaria ad Verbi processionem , ex eo quod debet procedere ex cognitione comprehensiva: quia ad hanc non requiritur per se nisi quod sit cognitio objecti , & omnium quæ in illo sunt per se cognoscibilia: & per accidens tantum potest requiri, quod per eam cognoscantur alia , quæ per accidens & ex aliqua tantum suppositione accidentali sunt in illo cognoscibilia : & talia sunt futura: unde, licèt ad perfectissimam & comprehensivam cognitionem requiratur , quod cognoscantur omnia quæ sunt cognoscibilia; non probatur, quod ea quæ tantùm sunt cognoscibilia ut talia per accidens , per se requirantur ut talia ad comprehensionem.

*** *** ***

*** ***

***

§. II.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

10 ARg. 1. ex P. Aug. verbis datis *art. præc. num. 4. & 6.* quæ æquè probare videntur de cognitione futurorum, ac possibilium. *Sed resp.* Augustini verba probare de cognitione possibilium tantum, quia in eo quod hæc cognitio se habeat per se in scientia de qua genitum est Verbum, nullum est inconveniens; cùm illa per se requiratur ad cognitionem perfectissimam & comprehensivam, & sit absolutè necessaria: non sic autem cognitio futurorum, quia futura tantum ex suppositione sunt cognoscibilia: unde quia cognitio illorum, quę est in Verbo, non est aliquid per se requisitum ad esse Verbi, nec illi per se proprium in quarto modo, sed ut aliquid extra essentiam ejus; hinc tantum concomitanter & ex suppositione est in Verbo, & similiter in scientia Patris de qua genitum est, quia quidquid est in scientia Patris non per se, quia non absolutè necessarium, non facit per se ad Verbi productionem: & quod in ea non est formaliter, benè verò concomitanter, vel ex suppositione, in Verbo tantùm est concomitanter. Datur ergo inconveniens, ut illa verba de cognitione futurorum intelligantur, quia absurdum est, ut si cognitio libera futurorum non esset, quæ non esse potuit, non esset Verbum ejusdem rationis cum Verbo quod est. Non sic deficiente cognitione possibilium, quæ requiritur per se ad comprehensionem, quęque est prædicatum absolutè necessarium.

11 Arg. 2. ex D. Thom. verbis datis *art. præc. num. 7.* Pater enim concipit Verbum intelligendo omnia quæ ejus scientia continentur: futura autem ejus scientia continentur. Sed eodem modo *resp.* quòd licèt cognitio Patris, dum producit Verbum, ad futura & existentia terminetur, hæc tamen terminatio non concurrit per se ad Verbi productionem, sed merè concomitanter. Idem dicendum est de munere repræsentandi objecta futura & existentia in actu secundo: ea enim tantum per se Verbum repræsentat quorum essentia divina, ut species intelligibilis & principium *quo* intellectionis, est repræsentativa per se: sic autem non repræsentat futura contingentia, sed tantum per accidens & concomitanter, in quantum scilicet ei veluti accidentaliter seu contingenter advenit divinum decretum.

Nec

Nec contra hoc facit si dicas, Verbo debere convenire repræsentationem futurorum ex vi processionis, quia quidquid accipit à Patre per æternam generationem, ex vi suę processionis habet, juxta illud, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Et, *Quod audivit à Patre hoc testatur*: habet autem de facto futura repræsentare: ergo illa ex vi suæ processionis repræsentat. *Resp.* enim, quod ut Verbum repræsentet futura, & ut id habeat non à se, sed à Patre, non opus est quod id accipiat à Patre formaliter & ex vi processionis, sed tantum concomitanter, ut diximus *hìc quæst. 11. art. 5.* loquentes de processione Spiritus S. qui naturam divinam non ex vi suæ processionis habet à Patre & Filio, sed identicè & concomitanter.

Et si instes, quod si Verbum non habet à Patre formaliter futura repræsentare, id habebit à se: neg. suppl. quia futurorum repręsentatio non convenit Verbo per se & formaliter, sed per accidens & concomitanter in sensu explicato.

Alia argumenta solvuntur ex dictis in discursu articuli.

Quæ pertinent ad rationem *imaginis*, soluta sunt *art. præc. ad num. 7.*

***)((***

ARTIC. IX. DE PERSONA Spiritûs S.

AN SI SPIRITUS S. NON procederet à Filio, distingueretur ab illo?

§. I.

STATUITUR CONTRA Græcos Spiritum S. procedere à Patre & Filio.

1 SUpponimus tamquam fide certum Spiritum S. ex Patre Filioque procedere: oppositum docuere Græci: qui error originem duxit ex quibusdam Nestorij scriptis in prima Syn. Ephesina damnatis: *Theodoretus* enim Græcus Cyrensis Episcopus in contradict. IX. anathematismi asseruit Spiritum S. non procedere à Filio, cui acriter se opposuit D. Cyrillus Alex. pariter Græcus: & V. Syn. Generalis damnavitque Theodoretus dissoluto Concilio contra Div. Cyrill. scripsit. *N. Christianus Lupus*, quem in Ecclesiastica lectione nullus vel æquavit, aut superavit, *in Schoiiis ad Variorum PP. Epistolas cap.* 40. ait primum erroris fontem fuisse *Theodorum* Mopsuest. Episc. ut patet ex ejus Symb. per Ephesinam Syn. damnato. Et quamvis hęc veritas sufficienter fuerit diffinita in

sex Syn. Gen. post Conc. I. Constantinop. præsertim in Alexand. Ephesin. & Calced. quia tamen in illis non agebatur ex professo de hac re; videtur id fuisse primo definitum in VII. Syn. Gen. quæ est II. Conc. Nicæn. in decreto fidei ubi additum fuit: *Qui ex Patre Filioque procedit.*

2 Hanc quæst. primus concitavit Hierosolymis Joannes quidam Monachus hoc solo scelere notus. Et postea eumdem errorem resumpsit *Photius* Græci Schismatis Auctor, qui in calumnia II. in Romanam Eccles. tamquam errorem enumeravit processionem Spiritûs S. à Patre & Filio. Notat autem N. Christianus Lupus *in cap.* 5. dissertationis de octava Syn. Gen. in fine calumniæ II. quod eo tempore Romana Ecclesia nuperum Leonis III. decretum servans, sine additamento recitabat Symbolum; ideòque inter ipsam & Photium esse de hac re non potuit scandalum aut contentio: sed cum sola Francorum Ecclesia, quæ cum additamento tunc pridem recitabat. Primus qui Photio generose restitit fuit S. *Nicolaus* Pontifex.

3 Antiqui PP. Græci unanimiter docuerunt processionem Spiritus S. ex Patre & Filio, ut probat supradictus Lupus in eadem dissert. ex Cyrillo Alex. Hilario Pictavensi, S. Tharasio, Cyrillo Hieros. Basilio, & Athanasio. Et in primis illis sæculis erat modus usitatus cum apud Græcos, tum apud Latinos, Spiritum S. procedere à Patre & Filio, & à Patre per Filium: ita enim loquitur ex Latinis Tertulianus, & ex Græcis Damascenus primus fere omnium dixit Spiritum S. procedere *non à Filio, sed per Filium*, ex quibus aliqui inferunt Damascenum fuisse in errore Græcorum. Illum tamen vindicant plures DD. & præcipuè Barlaamus Episcopus Gyracensis, *Non dicit*, inquit, *quod Spiritus S. non est ex Filio, sed quia non dicitur ex Filio; ac si diceret, quod in divina Script. non invenitur verbo dictum, quia ex Filio.*

4 Istud autem loquendi discrimen videtur medio inter V. & VI. Synodum tempore fuisse in Ecclesias inductum; tunc enim floruit Damascenus, & insolens ille Latinæ Ecclesiæ accusator Joannes Monachus Hierosolym. Quinta autem Synodus fuit Constantinopol. II. sub Vigilio Pontif. anno 554. sexta fuit Constantinop. III. sub Agathone anno 680.

5 Quantum autem ad illas particulas, *qui ex Patre Filioque procedit*, videntur primo inductæ ab Hispanis: postea Francorum Ecclesiæ sub imperio

rio Caroli Magni cœperunt ad Missarum solemnia Symbolum Constantinopolitanum cantare cum tali additamento *ex Filioque*, tunc per Romanam Ecclesiam non approbato: primus enim Romanorum Pontificum qui illud admisit, fuit Papa *Christophorus*, sicque pedetentim à tota Ecclesia Latina fuit admissum.

6 Deinde *Theophilactus* illum errorem acriter propugnavit, & post ipsum plures alij Græci: propter quod anno 1097. indictum fuit in Apulia Conc. *Barense* sub Urbano II. Divo Anselmo pro Ecclesia Latina disputante. Deinde in Lateranensi sub Innoc. III. & in Lugd. sub Gregorio X. & tamdem in Florent. definitum fuit esse dogma fidei Latinis & Græcis consentientibus. At pax ista & unio inter utramque Ecclesiam parum stabilitatis habuit: mortuo enim Imperatore, statim Græci, instante *Marco* Ephesino qui in suo errore permansit, unionem sciderunt, & ad schisma redeuntes in sua pertinatia sub durissimo Turcarum jugo perseverant.

7 Veritas tamen catholica prob. ex Scriptura à M. P. Aug. *lib.* 15. *Trin. cap.* 26. illis testimoniis in quibus Spiritus Sanctus dicitur non solùm Spiritus „ Patris, sed & Filij: *Ipse est* „ *enim*, inquit, de quo dicit „ Apost. ad Galatas 4. *Quo-* „ *niam autem estis filij, misit* „ *Deus Spiritum Filij sui in* „ *corda vestra.* Et ipse est de „ quo dicit idem Filius Matth. „ 10. *Non enim vos estis qui* „ *loquimini, sed Spiritus Pa-* „ *tris vestri qui loquitur in vo-* „ *bis.* Et multis aliis divino- „ rum eloquiorum testimoniis „ comprobatur Patris & Filij „ esse Spiritum, qui propriè di- „ citur in Trinitate Spiritus „ Sanctus: de quo item dicit „ ipse Filius, *Quem ego mittam* „ *vobis à Patre*: & alio loco, „ *Quem mittet Pater in nomi-* „ *ne meo.* De utroque autem „ procedere, sic docetur, quia „ ipse Filius ait, *De Patre pro-* „ *cedit.* Et cum resurrexisset à „ mortuis & apparuisset disci- „ pulis suis, insufflavit & ait, „ *Accipite Spiritum S.* ut eum „ etiam de se procedere osten- „ deret. Et ipsa est *virtus* quæ „ *de illo exibat*, sicut legitur „ in Evangelio, *Et sanabat om-* „ *nes.*

8 Ratio à priori hujus veritatis insinuatur à P. Aug. *ibi circa fin.* dicente: *Intelligat sicut habet Pater in semetipso ut de illo procedat Spiritus S. sic dedisse Filio ut de illo procedat idem Spiritus S... si enim quidquid habet, de Patre habet Filius; de Patre habet utique ut & de illo procedat Spiritus S.* Et verbis datis *hic art. 7. numer.*

mer. 4. docet, Patrem genuisse Verbum sibi æquale per omnia. Ex quibus sic. Pater communicat Filio omnia quæ illi potest communicare; alias Filius non esset æqualis Patri: sed potest communicare virtutem spirativam, quæ est in ipso: ergo. Prob. min. Quidquid Filio non opponitur, potest Pater ei communicare: sed Filio tantum opponitur relatio paternitatis, non virtus spirativa, quia per hanc non respicit ipsum Filium ut terminum potentiæ spirativæ: ergo. Hac ratione utitur Conc. Florent. *Sess. ult.* in decreto unionis ubi ait: *Quoniam omnia quæ Patris sunt Pater ipse Unigenito Filio suo gignendo dedit præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus S. procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo etiam essentialiter genitus est.*

9 Alia ratio est. Si Spiritus S. non procederet à Filio, non distingueretur ab eo: nam distinctio in divinis personis oritur ex relativa oppositione, & oppositio in processione unius Personæ ab alia fundatur: sed si Spiritus S. non procederet à Filio, non haberet relationem oppositionis ad illum: ergo procedit à Filio. Sed licèt hæc ratio sit efficax contra Scotistas, non est adeò efficax contra Græcos: quia ad convincendum aliquem errorem in fide non est efficax argumentum illud quod Hæreticus potest simul cum Catholicis negare absque præjudicio fidei & sensus catholici; & ita contingit in præsenti. Illa enim ratio est controversa apud catholicos, & illam Scotistæ negant.

10 Dices, in Evangelio expresse non constare Spiritum S. ex Filio procedere. *Resp.* id ideò esse, quòd Dominus N. Jesus Christus ad Judæos, ipsum usurpatę divinitatis assiduè calumniantes, sit locutus dispensatorie, ideòque illorum cæcum furorem commiseratus semper dixerit Spiritum S. à Patre procedere, numquam dissertè etiam à se. Ita D. Cyrillus Alex. *contra Nestorium, lib.* 4. *cap.* 3.

11 Quantum ad conditionalem hypoteticam *si Spiritus S. non procedere à Filio*, aliqui putant admitti non posse, quia ab intrinseco destruit terminos ipsius hypoteticę, & ex illa utraque pars contradictionis sequeretur. Ita aliqui antiqui. Sed disputationis gratia admittenda est tamquam utilis ad investigandam rationem formalem distinctionis Filij à Spiritu S. suppositio enim impossibilis est duplex: alia quæ ex ipso intellectu terminorum involvit contradictionem, ut *si homo esset, & non esset rationalis, an esset discursivus*; & hæc non est

est admittenda, quia formaliter destruit & ponit subjectum suppositionis: Alia est quæ non tam immediatè implicat contradictionem, ut *Si homo non esset animal, esset tamen rationalis, an posset discurrere, vel esse albus*; & hoc disputationis gratiâ admitti potest, licèt sit impossibile: ex simili enim conditionali impossibili, scil. *Si Pater Æternus non esset charitas*, sed solus Spiritus S. argumentatur August. 15. *Trin. cap. 19. in fine*, quod in illa hypotesi Verbum esset Filius Spiritus S. ait enim Apost. *ad Colos.* 1. *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij charitatis suæ. Filius ergo est etiam Spiritus S. si non est in illa Trinitate charitas Dei nisi Spiritus S. Quod si absurdissimum est, restat ut non solus ibi sit charitas Spiritus S.* En ex hypotesi impossibili, quod Pater non sit charitas, argumentatur ducens ad absurdum, ut probet charitatem dici de tribus Personis. Similiter licèt sit impossibile, Spiritum S. non procedere à Filio, & absurdum quod non distinguatur à Filio, possumus admittere talem conditionalem, ut probemus rationem distinctionis in divinis Personis provenire à relationibus originis.

Hypotesi ergo admissa, & supposito quod distinctio personalis non attenditur in divinis penes aliquid absolutum, sed penes relationes; dubium est, an hæc distinctio desumi possit secundum relationes disparatas, an verò unicè secundum relationes oppositas originis unius ab alia. Negant Scotistæ cum Subtili Doct. & ideò asserunt, quod si Spiritus S. non procederet à Filio, etiam distingueretur realiter ab illo. Contrarium tenent Thomistæ, & ferè omnes NN. Ægidius, Gerardus, Argentinas, Puteanus, Alviz, Conson, Gavardi, Gibbon, apud quem Cornexo, & Gamboa; Benedictus à S. Jacobo, & alij. Ita etiam Gregorius Ariminensis *in* 1. *dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 2. licèt diverso ductus motivo ac reliqui Scriptores laud. quia scil. Spiritus S. non esset.

§. II.

PROBATUR SENTENTIA negativa.

12 Dicimus, quod *si per impossibile Spiritus S. non procederet à Filio, non distingueretur realiter ab illo.* Prob. ex Conc. Florent. *sess.* 18. *circa fin.* ubi Joannes Latinorum Doctor ita loquitur: *Est verò secundum Doctores tam Græcos, quàm Latinos sola relatio, quæ multiplicat Personas in divinis productionibus, quæ*

vocatur originis: ad quam duo tantum spectant, à quo alius, & qui ab alio. Quoniam igitur relationes multiplicantes Personas hæ sunt, quo quidem modo Pater est à quo alius, & Filius qui ab alio: & nulla est alia ratio distinctionis in divinis, nisi propter hoc quod aliqua Persona sit ab alia; sequitur necessariò secundum tam Græcos, quàm Latinos Doctores, ut talis Persona dicatur accipere & esse, eo quod sit ab alio: & hic est Epiphanij, magni & Basilij sensus, cum ait Spiritum accipere suum esse ex Filio, quod in divinis idem est atque procedere. Stat ergo jam prima ratio, qua dicebamus esse ab alio, imò demonstratum est. Ergo si Spiritus S. non esset à Filio, nulla esset ratio distinctionis ab illo.

13 Si dicas sufficere relationes quæ in Filio & Spiritu S. essent, ex quo uterque à Patre procedit, licet per illas non se mutuo respicerent; quia illæ relationes habent quidditates distinctas: ac per consequens licèt non esset oppositio relativa, esset relationis oppositio, & hęc oppositio disparata conservaret realem distinctionem. *Contrà est*, quia hęc solutio non cohæret cum intentione Concilij; ratio enim illa, quam demonstrativam Ioannes Theologus existimavit, inducta fuit, ut probaret contra Græcos, quod quia Spiritus S. distinguitur à Filio, necesse omnino est ut procedat ab ipso: quod nullius momenti esset, si PP. Latini existimarent relationem disparatam sufficere ad realem distinctionem: Græci enim fatebantur relationes disparatas Filij & Spiritus S. signum ergo est, Latinos intelexisse hoc argumentum ex necessitate relationis originis directæ, seu processionis unius Personæ ab alia.

14 Si 2. dicas, hoc dictum fuisse inter arguendum, sed non fuisse diffinitum: *resp.* quod licèt ita sit, nullus tamen huic rationi contradixit: imò Ecclesia hoc argumento persuasit veritatem catholicam, quam definivit de processione Spiritûs S. à Filio: & licèt non omnia quę inter disputandum à Conciliis dicuntur sint indubitatæ veritatis; illa tamen quæ sunt media quibus Conciliorum diffinitiones persuadentur; nec debent dici falsa, nec inefficacia, sed vera: si autem illa ratio sit vera, habemus intentum, quia ibi dicitur quod nulla est alia ratio distinctionis, nisi propter hoc quod aliqua Persona sit ab alia. Quod autem in dicta hypotesi Filius & Spiritus S. gauderent relatione originis seu processionis à Patre, hoc tantum probat, quod distinguerentur ab illo, non autem inter se; quia in tali ratione essendi à Patre

tre convenirent. Sic Pater & Filius de facto non distinguuntur in ratione Spiratoris, quia in hac ratione conveniunt & nullatenus opponuntur.

15 Prob. ex Aug. 5. *Trin. cap.* 11. dicente: *In eo quod propriè dicitur Spiritus S. relativè dicitur, cum & ad Patrem & ad Filium refertur, quia Spiritus S. & Patris & Filij Spiritus est.* Ex quo. Persona divina non distinguitur ab alia, nisi prout refertur ad illam: cum enim non detur distinctio per absolutum, supereſt ut detur tantùm per relationem, quæcumque sit illa: sed Spiritus S. non refertur ad Filium nisi prout est Spiritus Filij: ergo si non procedit à Filio, non distinguitur ab illo. Prob. min. Filius non refertur ad Patrem nisi prout est Filius Patris; & Spiritus S. non refertur ad Patrem, nisi prout est Spiritus Patris: ergo Spiritus S. non refertur ad Filium, nisi prout est Spiritus Filij. Sed in data hypotesi nullo modo esset Spiritus Filij: ergo nullo modo referretur ad Filium, & per consequens nullo modo distingueretur ab illo. Min. subs. prob. Spiritum S. esse Spiritum Patris & Filij solum potest verificari vel quia accipit esse à Patre & Filio; sicut Verbum est Filius Patris, quia accipit esse à Patre: vel quia daret esse Patri & Filio, sicut Pater est Pater Filij, quia illi dat esse genitum: vel quia est sub dominio Patris & Filij; nullo enim alio modo potest aliqua res dici *alterius*: sed in ea hypotesi Spiritus S. non acciperet esse à Filio, nec daret, nec esset sub ejus dominio, aliàs esset serva creatura, ut blasphæmabat Macedonius: ergo nullo modo esset Spiritus Filij, nec relativè diceretur, aut distingueretur.

16 Conf. Relationes quæ distinguunt in divinis sunt illæ quæ dicuntur ad invicem: sed relationes disparatæ non dicuntur ad invicem: ergo non sunt tales ut arguant distinctionem unius ab alio. Prob. maj. ex August. 7. *Trin. cap.* 1. *in med. Omnia quæ relativè dicuntur, ad invicem dicuntur.* Et Concil. Tolet. XI. in confess. fidei de Personis divinis dicit: *Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, & in hoc numero carent, quod ad se sunt.* Quem modum loquendi servant etiam alia Concilia & PP. ex S. Aug. *tract. 39. in Ioann.* ergo distinctio, quæ sumatur ex relatione disparata, non est conformis similibus locutionibus.

17 Ratio nostræ concluſ. traditur à D. Thom. *hìc quæst. 36. art. 2. sic.* Si Spiritus S. non esset à Filio, nullo modo posset ab eo personaliter distingui. Quod patet. Non enim est possibile dicere, quod secundum

dum aliquid absolutum divinæ personæ ab invicem distinguantur; quia sequeretur, quod non esset trium una essentia. Quidquid enim in divinis absolutè dicitur, ad unitatem essentiæ pertinet. Relinquitur ergo, quòd solùm relationibus divinæ personæ ab invicem distinguantur. Relationes autem Personas distinguere non possunt, nisi secundum quod sunt oppositæ.

Quod ex hoc patet, quia Pater habet duas relationes, quarum una refertur ad Filium, & alia ad Spiritum S. quæ tamen quia non sunt oppositę non constituunt duas Personas, sed ad unam personam Patris tantum pertinent. Si ergo in Filio, & in Spiritu S. non esset invenire nisi duas relationes, quibus uterque refertur ad Patrem, illæ relationes non essent ad invicem oppositæ, sicut neque duæ relationes, quibus Pater refertur ad illos. Unde sicut Persona Patris est una, ita sequeretur, quod Persona Filij & Spiritûs S. esset una, habens duas relationes oppositas duabus relationibus Patris. Hoc autem est hæreticum, cum tollat fidem Trinitatis.

Oportet ergo, quòd Filius, & Spiritus S. ad invicem referantur oppositis relationibus. Non autem possunt esse in divinis alię relationes oppositæ nisi relationis originis. Oppositæ autem relationes originis accipiuntur secundum principium, & secundum quod est à principio. Relinquitur ergo, quòd necesse est dicere, vel Filium esse à Spiritu S. quod nullus dicit, vel Spiritum S. esse à Filio, quod nos confitemur; & huic quidem consonat ratio processionis utriusque.

18 Dices, quòd licèt realis distinctio in divinis non ab absolutis, sed à relationibus desumatur; non est necesse quòd detur oppositio directa, sed sufficit quod disparatè se habeant ex dispari ratione, quæ est in spiratione passiva & filiatione. *Sed contra est*, quia ex capite præcisè disparis rationis in relationibus, nequit probari distinctio realis; quod patet in Paternitate & spiratione activa: illæ enim relationes sunt disparis rationis: & tamen non distinguuntur realiter, sed tantum virtualiter, vel ut volunt Scotistæ, formaliter ex natura rei: ergo.

2. Non minus disparatè se habent intellectio & immensitas, quàm Filiatio & Spiratio passiva; tam enim relativa, quàm absoluta gaudent dispari ratione, præcipuè juxta Scot. statuentes distinctionem formalem ex natura rei: & tamen disparata illa distinctio inter absoluta non inducit distinctionem realem: ergo.

3. Ma-

3. Magis dispar ratio est inter absolutum & relativum, quàm inter duo relativa, scil. inter Filiationem & Spirationem activam: sed filiatio & prædicatum absolutum Filij non distinguuntur realiter, quia non habent oppositionem directam unius ad aliud: ergo si Spiratio passiva non referatur ad Filiationem, non distinguentur realiter etiamsi gaudeant dispari ratione.

Ratio est, quia disparata distinctio tunc sufficiet ad distinctionem realem, quando extrema sint limitata; ideò enim sapientia creata realiter differt à misericordia ad quam disparatè comparatur, quia pertingit tantùm ad prædicata sapientiæ & non amplius. In divinis autem sapientia propter suam infinitatem se extendit ad prædicata cujuslibet alterius absoluti cum quo non opponitur relativè: ergo si processio & filiatio non opponuntur relativè, nequeunt distingui realiter, etsi gaudeant dispari ratione.

19 Resp. Scotistæ, discrimen stare inter relationes disparatas & prædicata absoluta, quòd illæ sunt constitutivæ Personarum, quæ sunt inter se incommunicabiles: non autem absoluta. *Sed contra* 1. nam spiratio activa & paternitas dispares rationes important: ergo si spiratio passiva & filiatio per puram distinctionem disparatam, sufficiunt constituere Personas incommunicabiles; poterit dici spirationem activam & paternitatem sufficere ad constituendas duas Personas, quod non est admittendum. *Rursus.* Relationes disparatæ ex hoc capite non habent incompatibilitatem; & hoc præcipuè est attendendum ut ex eo deducatur aptitudo ad constitutionem Personarum: sed in spiratione passiva & filiatione nihil datur, secluſa oppositione relativa ad invicem, per quod realiter distinguantur & incompatibilitatem importent; nam dispar utriusque ratio non sufficit, ut probavimus: ergo non rectè assignatur illud discrimen.

20 Dices, in spiratione passiva & Filiatione præter distinctionem disparatam reperiri quod sint termini realiter producti per duas actiones totales: & ideò relationes illæ sunt realiter distinctæ, quia repugnat quod per duas actiones reales & totales idem terminus realiter producatur. *Contra est* 1. Illæ duæ actiones, scil. spiratio activa, & paternitas, quamvis sint realiter productivæ & totales, tamen non sunt realiter inter se distinctæ, sed virtualiter, vel per vos formaliter: ergo quamvis illarum termini sint

realiter producti & totales, non oportet ex hoc capite quod sint realiter distincti, sed virtualiter vel formaliter.

21 2. Termini distinguuntur realiter, vel quia processiones activæ sunt realiter distinctæ, vel quia passivè acceptæ realiter differunt: neutrum dici potest, si Spiritus S. non procedit à Filio: ergo termini non distinguerentur realiter in illa hypotesi. Prob. min. quoad 1. part. Processiones activè sumptæ sunt actus intellectus & voluntatis: isti autem non distinguuntur realiter etiam quoad connotatum, nam paternitas & spiratio activa in nullo casu differunt realiter. Prob. quoad 2. part. Processiones passivè sumptæ sunt ipsæ relationes productæ: sed si non dicunt oppositionem relativam originis, non est unde distinguantur realiter: ergo. Dicere autem quod id provenit quia sunt termini duarum actionum totalium, non satisfacit, quia opus est probare quod in data hypotesi processiones activæ sunt actiones totales comparativè ad suos terminos: & etiam hoc dato non assignatur ratio à priori terminorum in ratione distinctorum; nam termini non constituuntur formaliter distincti per actiones, sed potius actiones distinguuntur & specificantur per terminos.

22 Aliter prob. concl. Si Filius non spiraret Spiritum S. esset spiratus à Patre: ergo esset Spiritus S. & ab illo indistinctus. Prob. ant. In illa hypotesi filiatio differret realiter à spiratione activa; si enim à Filiatione esset indistincta spiratio activa, Filio conveniret, & sic spiraret: sed filiatio nequit distingui realiter à spiratione activa, nisi Filius esset spiratus: ergo. Prob. min. Illa distinctio vel proveniret à distinctione disparata, vel ab oppositione relativa? Non 1. qui de facto etiam disparatè differunt, & non realiter: ergo secundum. Sed oppositio relativa filiationis & spirationis activæ tantum provenit ex spiratione passiva: ergo in tantum filiatio realiter differret ab activa spiratione, in quantum Filius esset spiratus.

23 Tertio est nostro Gerardo. Si Filius differret per filiationem à Spiritu S. sequeretur, quòd principaliùs & per prius distingueretur ab ipso per filiationem, quàm per spirationem activam: spiratio enim activa juxta Scotum advenit in posteriori signo rationis, & invenit in Filio filiationem: sequela non est admittenda; quia aliàs relatio opposita se tenens ex parte Spiritûs S. magis & principalius, vel per prius differret à termino non opposito, scil. filiatione, quàm ab oppo-

sito;

sito; scil. spiratione activa: ergo nec id ex quo sequitur, scil. filiationem qua talem sufficere ad distinctionem Filij à Spiritu S. ex dispari ratione utriusque.

§. III.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

24 ARg. 1. ex Div. Anselm. *in lib. de Proceſſ. Spir. S. apud D. Thom. quæſt. 10. de Pot. art. 5. in 2. argum. Habet utique à Patre eſſe Filius, ac Spiritus S. ſed diverſimodè, quia alter naſcendo, alter procedendo, ut alij per hoc ſint ab invicem*, & posteà subdit: *Nam ſi per aliud non eſſent plures Filius & Spiritus S. per hoc ſolum eſſent diverſi:* ergo etsi Spiritus S. à Filio non procederet, tamen remaneret personaliter distinctus à Filio propter diversum originis modum.

25 Resp. D. Thom. ibi *Ad 2. dicendum*, quod id quod dicit Anselm. quod Filius & Spiritus S. per hoc solum ab invicem distinguuntur, quod diverso modo procedunt, est omninò verum: sed sicut ostensum est, diverso modo procedere non possent; nisi Spiritus S. à Filio esset. Unde remoto quod Spiritus S. non sit à Filio, omninò distinctio Spiritus S. removeretur à Filio. Est autem intentio Anselmi *in lib. de Proceſſ. Spirit. S.* priùs ponere ea in quibus nos convenimus cum negantibus Spiritum S. à Filio esse: qui tamen Spiritum S. à Filio dicunt distingui. Unde verba prædicta Ansel. inducta sunt magis ut disputativa suppositio, quàm *veritatis definitio.*

26 Arg. 2. Si Spiritus S. non procederet à Patre, sed à Filio, adhuc esset realiter distinctus à Patre: ergo si procederet à Patre & non à Filio, adhuc esset à Filio realiter distinctus. Probationes consequentiæ solvuntur explicando antecedens; nam Spiritus S. procedens à Filio deberet etiam mediatè procedere à Patre, quia omnia quæ Filius habet, accepit à Patre per generationem, ut docet Aug. 3. *contra Maxim. cap.* 14. principium autem reale remotum debet realiter distingui ab eo quod est ab illo. Casu autem quo Spiritus S. non procederet à Filio, nec mediatè, nec immediatè esset ab illo, quia Pater non est à Filio: & sic per defectum originis ab eo, non distingueretur. Sed nec in hypotesi quod Spiritus S. non procederet à Patre immediatè, salvaretur distinctio utriusque per distinctionem disparatam, sed per oppositionem relativam mediatam.

tam. Unde Aug. 15. *Trin. cap.* 17. *in med.* ait: Spiritum S. principaliter de Patre procedere: *Ideò autem*, inquit, *addidi* principaliter, *quia & de Filio Spiritus S. procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit, non jam existenti & nondum habenti, sed quidquid Unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo Donum commune procederet, & Spiritus S. Spiritus esset amborum.*

27 Dices, quamvis Filius procedat à Patre, non sequitur, quod si Spiritus S. procederet immediatè tantum à Filio, etiam mediatè procederet à Patre: *tum*, quia si Pater per Filium mediatè produceret Spiritum S. Pater ut generans mediatè saltim referretur ad Spiritum S. & sic mediatè generaret illum; nam si influxus Patris per Filium transit ad Spiritum S. transire debet ea ratione qua Pater influit in Filium: in illum autem influit per generationem. Sequela autem non tenet, quia Pater qua talis solum respicit Filium, & in eo adæquatè terminatur generatio. *Tum* 2. nam si tunc casus Spiritus S. differret à Patre per relationem mediatam, qua illum respiceret ut mediatum principium sui: ergo cùm de facto Pater sit immediatum Principium Filij, consequenterque mediatum Spiritûs S. per hoc ipsum realiter distingueretur à Spiritu S. & illum respiceret relatione principij, saltim mediatâ. Ex quo sequeretur, quod de facto Spiritus S. duplici relatione reali respiceret Patrem: alia procedentis ab eo immediatè, & alia mediatè; ac proinde duplici etiam distinctione, juxta relationum numerum, ab eo distingueretur, quod etiam videtur absurdum: ergo Spiritus S. non differret à Patre nisi per relationem disparatam, ac per consequens ita differret à Filio casu quo ab illo non procederet.

28 Resp. neg. ant. ad 1. prob. implicitam dic, quod ly *Pater ut generans* solùm cadit supra generationem Filij, sed non supra generationem Spiritus S. quia supposito quod Filius tantum generetur, potest Pater mediatè referri ad Spiritum S. sed non ita ut dicatur mediatè generans Spiritum S. quia generatio non respicit illum pro termino, sicut nec relatio Paternitatis: unde Spiritus S. non potest dici genitus adhuc mediatè. Ratio. Quando effectus causæ vel principij producuntur per eamdem actionem qua principium, & ratione connexionis cum illo; tunc terminant actionem sub eadem denominatione: sicut quia proprietates attinguntur per actionem pro-

productivam naturæ ratione connexionis cum illa; si natura est genita, dicuntur etiam proprietates congenitæ: & si est creata, concreatæ. Sed quando intermediat actio distincta in principio proximo, licèt illa proveniat ab eo ut producto à principio remoto; non est necesse quod res mediatè producta accipiat denominationem secundùm actionem principij remoti, sed secundùm actionem proximam. Sic Deo creanti Cælos per hoc ipsi attribuuntur omnes effectus sublunares, qui causantur à Cælis; sed non sub eadem denominatione creatoris Cælorum: denominatio enim creantis in cælis sistit, & ad alios effectus non transit sub denominatione creatorum, sed generatorum, vel alia ratione productorum.

29 Ad 2. prob. dic consequens esse verum: de facto enim Pater per Filium producit Spiritum S. & illum per se ipsum immediatè producit. Ita D. Th. *hic quæst. 36. art. 3. ad 1. Dicendum, quod in qualibet actione est duo considerare, scilicet suppositum agens, & virtutem, qua agit; sicut ignis calefacit calore. Si igitur in Patre & Filio consideretur virtus, qua spirant Spiritum S. non cadit ibi aliquod medium; quia hæc virtus est una & eadem. Si autem considerentur ipsæ Personæ spirantes, sic cùm Spiritus S. communiter procedat à Patre & Filio, invenitur Spiritus S. immediatè à Patre procedere, in quantum est ab eo, & mediatè in quantum est à Filio. Et sic dicitur procedere à Patre per Filium. Sicut etiam Abel processit immediatè ab Adam, in quantum Adam fuit pater ejus, & mediatè in quantum Eva fuit mater ejus, quæ processit ab Adam. Licèt hoc exemplum materialis processionis ineptum videatur ad significandam immaterialem processionem divinarum personarum.*

Ad aliud, quod deducere vult argum. de duplici relatione ex parte Spiritus S. dic non tenere, quia ex parte Spiritûs S. unicum est tantum prædicatum distinctivum, passiva scil. spiratio, per quam & constituitur in esse Personæ, & respicit Spiratorem mediatum, vel immediatum; Patrem scil. & Filium tamquam immediatum, & solum Patrem ut generantem Filium tamquam mediatum.

30 Arg. 3. In hypotesi quæst. salvaretur, quod Filius & Spiritus S. procederent à Patre duplici processione in unica persona incomponibili: ergo essent Personæ realiter distinctæ. Prob. ant. 1. Filius procederet per actionem adæquatam respectu termini, scil. Verbi,

bi, & esset adæquata generatio, per illamque termino communicaretur per se primò natura sub conceptu naturæ: & Spiritus S. etiam procederet per actionem quæ esset adæquata productio Amoris, sed non esset generatio, sed spiratio, nec per illam per se primò communicatur natura, sed impulsus. Sed omnia ista sunt incomponibilia in eadem Persona: *tum*, 1. quia aliàs quælibet actio esset adæquata, & non adæquata; esset & non esset generatio: *tum* 2. quia si componeretur in eadem Persona generatio, superflueret alia actio, per quam passivam acciperet spirationem. *Tum* 3. quia actio intellectûs divini est per se productiva personæ, & similiter actio voluntatis: sed Personæ important incommunicabilitatem: ergo. *Ult.* Origo per voluntatem supponeret originem per intellectum adæquatè terminatam (actio enim intellectûs est origine prior actione voluntatis) unde supponeret Personam adæquatè constituram; ac per consequens talis actio non ad eamdem, sed ad diversam Personam terminaretur.

31 Resp. neg. ant. Ad ejus prob. dist. maj. Adæquatam respectu termini formaliter accepti, conc. realiter, neg. Duplex enim illa actio non est realiter duplex, nec incomponibilis in principio realiter, quia esto disparatè se habeant, non datur tamen inter illas relativa oppositio fundata in origine unius ab alia: cumque in data hypotesi hæc oppositio deficeret inter terminos prædictarum actionum, deficeret etiam distinctio realis inter illos, & ad summum differrent virtualiter, in quo sensu tantum esset duplex illa actio. Sicut ergo actio intellectûs est realiter, propter defectum oppositionis relativæ, actio voluntatis; ita tunc propter ejusdem oppositionis defectum ex parte terminorum filius esset formaliter Verbum, & formaliter per intellectum tantum, sed realiter esset etiam amor.

32 Ad 1. prob. min. dic, esse inefficacem, quia de processionibus activis per solam distinctionem virtualem & rationis verificatur, quòd una & non altera est formaliter generatio, & per se communicativa naturæ, & unaquæque formaliter adæquata; ita de termino hæc omnia verificari possunt absque distinctione reali per solam distinctionem virtualem. *Ad* 2. *dic*, non superfluere secundam actionem, quia per primam terminus ex vi generationis tantùm acciperet naturam & quæ per se ad eam consequuntur; spiratio autem passiva non consequitur per se ad naturam: restat ergo locus, ut

ex

ex vitalis actionis sub alia virtualitate vel formalitate acciperet spirationem passivam.

33 Ad 3. dic quod rebus ut nunc quælibet actio est productiva Personæ, sed non in hypotesi quæst. quia nunc actio voluntatis connotat principium *quod* Patri & Filio commune, relativè oppositum Spiritui S. sed tunc connotaret tantum principium *quod* Filio relativè oppositum, & non aliquid per quod Filius rei per talem actionem productę opponeretur: tantum ergo produceret relationem quamdam per modum proprietatis Filij, sed non alterius Personæ constitutivam. *Ad ult. dic*, quod sicut inter processiones activas tantum datur prioritas originis, quæ non infert distinctionem realem, sed rationis; ita pariter ex parte terminorum hæc sola prioritas & distinctio salvaretur.

34 Arg. 4. In hypotesi quæst. remaneret Filiatio: sed filiatio de facto & ut prævenit spirationem activam distinguit realiter Filium à Spiritu S. quia illa est constitutiva personæ Filij, ac per consequens ratio distinguendi illum ab omni alio: ergo. *Resp.* dist. min. Filiatio secundum quod exprimit unicè respectum ad Patrem, neg. secundum quod radicat ipsam spirationem activam, qua refertur ad Spiritum S. conc. sed in casu quæstionis non remaneret ita, sed præcisè secundùm respectum ad Patrem.

35 Instabis. Radicare spirationem activam est quid commune Patri & Filio: ergo filiatio sub conceptu radicis spirationis non distinguit personaliter Filium à Spiritu S. sed sub expressa ratione filiationis. *Resp.* quod virtus spirativa & radicatio illius secundùm id quod dicunt in recto est Patri & Filio communis: sed non secundum obliquum, quia illud in Patre est paternitas, in Filio Filiatio: & licèt Spiritus S. procedat á Patre & Filio tamquam ab uno spiratore, debet tamen essentialiter connotare realem distinctionem Personarum, quia procedit ab eis ut amor unitivus duorum, ut docet D. Thom. verbis datis *num.* 29.

36 Arg. 5. Stat Filium non spirare, & quod non spiretur: ergo stat Spiritum S. ab eo non procedere, & quod realiter ab illo distinguatur. Patet cons. ex dictis *num.* 22. Prob. ant. Stat Spiritum S. non generare, & quod non generetur: ergo à pari, quia sicut opponuntur generans & genitum, ita spirans & spiratum. *Resp.* neg. ant. & ad prob. neg. cons. quia quamvis Spiritus S. non generet, per esse spiratum opponitur relativè Filio genito saltim radicaliter: Filius enim modò accipit spi-

ſpirationem activam, per quam formaliter opponitur Spiritui S. & per filiationem radicaliter: at ſi Filius non ſpiraret, non haberet per quod illi opponeretur formaliter, ut patet, nec radicaliter, quia tunc Filiatio formalem ſpirationem non radicaret. Unde ut Spiritus S. opponatur Filio, non opus eſt ut generet, ſed ſufficit, quòd ſpiretur.

37 Arg. 6. In hypoteſi quæſt. admittitur realis diſtinctio inter Patrem & Filium ſine relativa inter eos oppoſitione; quia admittitur activa ſpiratio in Patre & non in Filio, quod eſt ſpirationem activam realiter diſtingui à Filiatione; & aliàs talis ſpiratio non opponitur relativè cum Filiatione, ſed diſparatè: ergo & admitti debet realis diſtinctio inter Filium & Spiritum S. abſque relativa inter eos oppoſitione. *Reſp.* neg. ant. ad prob. impl. dic, quod ex hoc ipſo quod in Patre admittitur ſpiratio activa, quam non ſupponimus in Filio, inferimus Filium eſſe ſpiratum, cujus contrarium docent Scotiſtæ: quod ſignum eſt, quod data tali hypoteſi, quod in uno ſit ſpiratio activa & non in alio, nec determinatur quod Spiritus S. identificetur cum Filio, nec quod diſtinguatur. Ita ergo admittitur ſpirationem activam diſtingui à Filiatione, ut probetur Filiationem non diſtingui realiter à ſpiratione paſſiva, quia ſi Spiritus S. non eſt à Filio ſpiratus, non datur per quid Spiritus S. realiter diſtinguatur à Filio. Unde ex eo convincimus Filium eſſe ſpiratum. Quod etiam requiri probavimus, ut filiatio differret realiter à ſpiratione activa, quia ſemper pro tali diſtinctione recurrendum eſt ad relationem originis. Unde tantum probatur, quod filiatio differret realiter à Patre, in quo eſt ſpiratio activa, ſed non quod Filius eſſet realiter diſtinctus à Spiritu S.

38 Arg. ult. In Patre pro priori ad proceſsionem Filij datur tota virtus productiva Spiritûs S. qui modò eſt: ſed Spiritus S. qui de facto eſt, differt realiter à Filio: ergo in Patre pro priori ad proceſsionem Filij datur virtus productiva Spiritûs S. à Filio realiter diſtincti; & ſic licèt ſolus Pater Spiritum S. produceret, illum produceret à Filio realiter diſtinctum. Major in qua eſt difficultas prob. Pater pro priori ad proceſsionem Filij habet in ſe formaliter quod Filio formaliter communicat, ut patet in Omnipotentia, licèt non oporteat quod formaliter præhabeat Filiationem, quia illam non formaliter, ſed tantum effectivè communicat; ſed per generationem formaliter communicat Fi-

Filio virtutem productivam Spiritûs S. qui modò est: ergo.

39 Resp. cum Illust. Montalv. dist. maj. Est tota virtus productiva Spiritûs S. qui modò est, *per se exigens quod ante ejus productionem communicetur Filio*, conc. *Id non exigens*; neg. Nam quando terminus producendus per aliquam virtutem per se exigit à duobus suppositis procedere, licèt tota virtus productiva in uno tantum supposito detur; non propterea à terminus ab ea procederet, sed esset in illo quasi impedita ad producendum. Sic quia actus vitalis creatus (in plurium sententia) petit essentialiter procedere à Deo, & creatura, quamvis Deus per se ipsum totam virtutem productivam illius in se præhabeat; tamen ab eo solo nequit procedere. Sic & amor amicabilis inter divinas Personas nequit ab una sola procedere, quamvis voluntas sit eadem in illis. Spiritus autem S. essentialiter petit procedere à Patre, & Filio tanquam à duobus suppositis spirantibus, petit enim procedere tanquam amor mutuus, & unitivus: licèt quia procedit ab eis secundum eamdem vim spirativam, procedat tamquam ab uno spiratore. Quare licèt pro priori ad Filium tota virtus spirativa supponatur in Patre; non propterea solus Pater est satis expeditus ad producendum Spiritum S. sed oportet, quod à Patre transeat etiam in Filio. Quod amplius constabit ex *art. seq.*

ARTICULUS X.

AN SPIRITUS S. PRO principio sui productivo per se postulet pluralitatem suppositorum?

§. I.

RESOLVITUR DUBIUM.

1 NEgat Scotus: affirmat verò D. Th. & ex NN. Gregorius, Argentina, & alij. Tertia sent. inter has media docet, quod licèt ad productionem Spiritus S. ut de facto existit, necessario per se requiratur à duobus procedere, seu ut est amor mutuus & nexus duorum; id tamen per se non exigitur ad Spiritum S. utcumque, vel ut amor ut sic. Ita N. Cornexo, Gibbon, & communiter RR. Thomistæ.

2 Pro quo advertendum est cum Cajetano *hìc art. 4. ad 1.* pluralitatem suppositorum dupliciter posse intelligi requiri per se ad productionem alicujus rei. 1. ex parte rei productæ, ut homo genitus per se exigit ad sui generationem plura suppositа, nempè Patrem, & Matrem.

2. ex parte producentis tantum; quando scil. licèt res producta æquè benè possit ab uno solo, ac à pluribus suppositis produci, & conservari; producens tamen necessario & per se exigit ad suam existentiam pluralitatem suppositorum; quo pacto pluralitas Personarum in divinis dicitur per se requiri ad productionem creaturarum, perfeitate scil. se tenente ex parte Dei producentis, non verò perfeitate se tenente ex parte creaturarum; & ideò non est perfeitas causandi, & quarti modi, sed primi & essendi; quia aliud est, aliquid per se requiri in agente seu in causa ut sit, aliud verò per se requiri in illo ad causandum, ut exemplo æternitatis, immensitatis, &c. in Deo ostenditur, quæ licèt per se requirantur ex parte Dei ut sit, non tamen ex parte effectuum ut producantur.

3 Quo supposito dico 1. *Virtus spirativa ut actu exeat in productionem Spiritus S. qui nunc est, per se & necessariò exigit existentiam in Patre & Filio*; & sic pluralitas suppositorum non solum ex parte principij, sed etiam ex parte termini per se requiritur ad productionem hujus Spiritûs S. Prob. ex Aug. 6. *Trin.* 5. *Spiritus ergo S. commune aliquid est Patris & Filij, quidquid illud est. At ipsa communio consubstantialis & coæterna; quæ si amicitia convenienter dici potest; dicatur; sed aptius dicitur charitas. Et hæc quoque substantia.* En Spiritus S. est aliquid commune duorum, & ipsa communio est consubstantialis: ergo per se ei competit esse à duobus; nihil enim magis per se est, quàm quod consubstantiale est.

4 Et 15. *de Trin.* 19. *circa fin.* ait: *Si charitas qua Pater diligit Filium, & Patrem diligit Filius, ineffabiliter communionem demonstrat amborum, quid convenientius quàm ut ille dicatur Charitas propriè, qui Spiritus est communis ambobus.* Ex quibus constat, quod Spiritus S. per se procedit ut charitas Patris & Filij, seu ut unitas, nexus & communio utriusque: sed talis amor per se exigit pluralitatem suppositorum; *minùs* enim *quàm inter duos charitas haberi non potest*, teste Divo Gregorio *homil.* 17. *in Evang.* ergo Spiritus S. qui de facto est per se exigit procedere à Patre & Filio: unde D. Thom. *hic quæst.* 36. *art.* 4. *ad* 1. *Si considerentur*, inquit, *suppositæ spirationis, sic Spiritus S. procedit à Patre & Filio ut sunt plures. Procedit enim ab eis, ut amor unitivus duorum.*

5 Secunda ratio. Deratione potentiæ spirativæ est prioritate originis per se præsuppone-

nere cognitionem notionalem omnium quę sunt in Deo, antequam intelligatur producere Spiritum S. seu amorem notionalem: siquidem nihil volitum quin præcognitum. Ergo potentia spirativa nequit intelligi exire in actualem Spirationem, quin per se præsupponat Verbum divinum productum per illam cognitionem notionalem: quod enim necessario præsupponit actionem, necessariò etiam præsupponit terminum illius. Tum sic. Sed de ratione cujusvis entitatis non incompossibilis cum Persona Verbi est, quod à Patre illi communicetur. Ergo de ratione virtutis spirativæ est, ut per se communicetur à Patre Personæ Verbi, cum illi non opponatur, neque sit illi incompossibilis, antequam exeat in productionem Spiritûs S. Ergo virtus spirativa ut exire possit in productionem Spiritûs S. per se, & necessariò exigit pluralitatem suppositorum.

6 Tertio, ex art. præced. quia si non procederet à Patre & Filio, non distingueretur realiter ab illis: sed de ratione Spiritûs S. qui de facto est, est distingui personaliter à Patre & Filio: ergo.

7 Dicimus 2. *Ad processionem Spiritus S. sub ratione amoris ut sic per se non requiritur pluralitas suppositorum.* Prob. Quia ad processionem Spiritûs S. in ratione emanationis amoris in communi tantùm requiritur procedere à voluntate ut à principio *quo*, & à supposito in quo est, ut à principio *quod*, & à cognitione, ut à principio dirigente. Ergo dato per impossibile, quod intellectus Patris non esset fœcundus, neque produxisset Filium, nihilominus intelligeremus ejus voluntatem, qua se ipsum amaret, maximè idoneam ad aliquam rationem spirationis divinæ, siquidem in Patre invenirentur tunc omnia prædicta. Ergo ad producendum aliquem Spiritum S. licèt non eumdem numero, qui de facto existit, non exigitur per se pluralitas suppositorum.

8 Prob. 2. Si processio Spiritûs S. quoad sua essentialia per se exigeret pluralitatem suppositorum; illa hypotesis communiter à Theologis admissa; Utrum si non procederet à Filio, distingueretur realiter ab illo? Ex primo intellectu terminorum contradictionem involveret; adeòque non esset admittenda, quia essentialiter destrueret subjectum suppositionis, quod essentialiter exigit procedere simul à Patre & Filio: ut ergo demus locum hypotesi, dicendum est, aliquod genus Spiritûs S. futurum, si per impossibile à solo Patre procederet. Ergo processio Spi-

ritûs S. ex sua ratione essentiali non exigit plura suppositа.

§. II.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

9 ARg. 1. Sicut se habent creaturæ ad tres personas divinas, in quibus est virtus creativa, & à quibus de facto producuntur; ita & Spiritus S. ad Patrem & Filium, in quibus est virtus spirativa, & à quibus de facto producitur: sed creaturę non petunt per se existentiam virtutis creativæ in tribus suppositis, æquè enim benè eædem numero ab unica persona produci possent: ergo Spiritus S. etiam non exigit per se existentiam virtutis spirativæ in duobus suppositis.

10 Resp. neg. maj. quamvis enim ex parte virtutis creandi & spirandi sit par ratio, quia sicut illa per se, & non per accidens exigit communicari tribus personis, ita & hęc duabus: tamen ex parte perfectatis creaturarum, & Spiritûs S. dispar est ratio; quia relatio dependentiæ creaturarum non respicit per se Trinitatem Personarum; ideò ab unica Persona æquè benè produci possunt. At hic numero Spiritus S. cùm ex sua proprietate characteristica sit nexus, & mutuus, seu unitivus amor duorum, per se petit virtutem spirativam esse simul in Patre & Filio se mutuò diligentibus, alioqui non maneret idem numero.

11 Arg. 2. Virtus spirativa prout in Patre est perfectissima, completa, & adęquata: ergo ut exeat in actualem Spirationem non petit per se esse in Filio, quia ad illud sufficit suppositum plenè constitutum in actu primo per virtutem adæquatam & completam. *Resp.* virtutem spirativam secundùm quod est in Patre pro priori originis esse completam & adæquatam ad spirandum quasi in actu primo remoto; non verò in actu primo quasi proximo (si intelligatur de virtute ad spirandum Spiritum S. realiter distinctum à Filio, qualis modo est) donec intelligatur genuisse Filium & communicare illi virtutem spirativam: existentia enim talis virtutis in Filio ita est necessaria conditio, ut sine illa principium non exiret in actualem spirationem.

Ratio: quando in uno supposito inveniuntur duæ virtutes activæ, habentes inter se ordinem in agendo, suppositum nequit prorumpere in exercitium secundæ virtutis, quamvis ex se sit adæquata, donec priùs exeat in exercitium primæ: unde homo v. g. licèt ex se habeat in-

intellectum, & voluntatem completam, prorumpere tamen nequit in amorem alicujus boni, quin prius eliciat cognitionem. Neque potest exire in actum alicujus sensûs interni, donec priùs per sensus externos apprehendat sensibilia, & ita in aliis. Simili modo licèt in Patre Æterno pro illo priori originis sint virtutes completæ generandi, & spirandi, tamen propter ordinem, quem hæ virtutes natæ sunt inter se servare, non potest exire in actualem spirationem per voluntatem, quin priùs producat Verbum per intellectum; adeòque quin Verbo producto priùs communicaverit virtutem spirativam, cùm illi non repugnet: & consequenter nequit exire in actualem spirationem, quin Verbum productum per virtutem spirativam sibi communicatam simul spiret.

12. Arg. ult. contra 2. assert. Non solum de ratione Spiritûs S. qui nunc est, sed etiam cujuslibet Spiritus S. imaginabilis, est procedere per perfectissimum amorem; quia quilibet deberet esse persona divina infinitè perfecta: sed perfectissimus amor est amor amicitiæ, qui minus quàm inter duos esse nequit; ergo processio cujuslibet Spiritûs S. imaginabilis exigit per se amorem amicitiæ; adeòque pluralitatem suppositorum, inter quæ intercedere possit.

13. Resp. ex Gibbon conc. maj. & dist. min. Amor amicitiæ est perfectissimus amor prout contraponitur amori concupiscentiæ, conc. Prout contradistinguitur contra amorem benevolentiæ, neg. quia amicitia supra benevolentiam addit solam reciprocationem, ex qua non accrescit nova perfectio essentialis. Atqui si per impossibile Spiritus S. à solo Patre procederet, adhuc dupliciter intelligi posset processisse ex amore benevolentiæ. 1. quia posset intelligi procedere ex amore, quo Pater diligeret suum Filium, licèt non intelligeretur redamari à Filio, qui amor esset sola benevolentia erga Filium; & cùm Filius non esset illius principium activum, sed tantùm objectum, non intelligeretur principium Spiritûs S. qui ex tali amore procederet. 2. intelligi posset, Spiritum S. procedere ex amore benevolentiæ, quo Pater produceret ipsum Spiritum S. amando ipsum, sicut de facto Spiritus S. procedit ex amore sui ipsius; esset enim benevolentia erga Spiritum S. quia ex vi illius illi communicarentur omnia bona divina, & versatur inter duas Personas: imò tunc etiam posset dici Spiritum S. procedere ex amore charitatis,

& unitivo, esseque nexum duorum, scil. sui ipsius producti & Patris producentis, qui à Spiritu S. redamaretur.

§. III.

PATER ET FILIUS SUNT unicum principium Spiritus S. & unus Spirator.

14 PRob. ex Aug. *lib. 5. de Trin. cap. 14.* dicente: *Si quod datur, principium habet eum, à quo datur, quia non aliunde accepit illud, quod ab ipso procedit; fatendum est Patrem & Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia; sed sicut Pater, & Filius unus Deus, & ad creaturam relativè unus creator & unus Dominus; sic relativè ad Spiritum Sanctum unum principium.* Ita etiam constat ex pluribus Concil.

15 Ratio sumitur ex D. Th. *hìc quæst. 36. art. 4.* dicente: *Pater & Filius* in omnibus unum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Unde cùm in hoc, quod est esse principium Spiritus S. non opponantur relativè, sequitur, quòd Pater & Filius sunt unum principium Spiritus S. Quidam tamen dicunt, hanc esse impropriam: *Pater & Filius sunt unum principium Spiritus S.* Quia cùm hoc nomen principium singulariter acceptum non significet Personam, sed proprietatem, dicunt, quòd sumitur adjectivè; & quia adjectivum non determinatur per adjectivum, non potest convenienter dici, quòd Pater, & Filius sint unum principium Spiritûs S. nisi unum intelligatur quasi adverbialiter positum, ut sit sensus: *Sunt unum principium, id est, uno modo.* Sed simili ratione posset dici Pater duo principia Filij & Spiritûs S. idest duobus modis.

Dicendum est ergo, quòd licèt hoc nomen, *principium*, significet proprietatem, tamen significat eam per modum substantivi; sicut hoc nomen, Pater, & Filius, etiam in rebus creatis. Unde numerum accipit à forma significata, sicut & alia substantiva. Sicut ergo Pater & Filius sunt unus Deus propter unitatem formæ significatæ per hoc nomen, Deus; ita sunt unum principium Spiritûs S. propter unitatem proprietatis significatæ in hoc nomine *principium*. Hæc D. Thom.

16 Et in solut. ad 7. ait: *Quia spirans* adjectivum est, Spirator verò substantivum, possumus dicere, quòd Pater & Filius sunt duo spirantes propter pluralitatem suppositorum; non autem duo spiratores propter unam spirationem. Nam adjectiva nomina habent nu-

numerum secundum supposita, substantiva verò à seipsis secundum formam significatam. Quod verò Hilarius dicit, quòd Spiritus S. est à Patre, & Filio *auctoribus*, exponendum est, quòd ponitur substantivum *pro adjectivo*.

17 Varietas sententiarum circa hoc est tantum de modo loquendi, in re enim omnes conveniunt, Patrem & Filium esse duo suppositа Divina realiter distincta; spirare per unibam tantùm virtutem spirativam; habere unicam, & eamdem indivisè actionem spirativam; dari tantùm unam relationem spiratoris communem Patri & Filio; dari tantùm unum terminum productum, scil. unum Spiritum S. & tandem Spiritum S. per unicam relationem spicationis passivæ respicere Patrem & Filium.

18 Circa nomina quæ tribuuntur Spiritui S. nota, quod si nomen *Spiritus Sanctus* sumatur in virtute duarum dictionum est commune toti Trinitati: si autem accipiatur in vi unius dictionis, sic ex usu Ecclesiæ est accomodatum ad significandam unam trium personarum, scil. quæ procedit per modum amoris; nam nomen *Spiritus* in rebus corporeis impulsionem quamdam, & motionem significare videtur. Nam flatum & ventum spiritum nominamus. Est autem proprium amoris, quod moveat & impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas verò illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia igitur Persona divina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, convenienter *Spiritus S.* nominatur. Ita D. Thom. *hìc quæst.* 36. *art.* 1. *in corp.* & *ad* 1. Aliam etiam rationem adducit *ibi* ex ipsa communitate ejus, quod dicitur Spiritus S. ait enim Augustin. 15. *Trin. cap.* 17. *circa fin.* Et *lib.* 15. *cap.* 11. *Quia Spiritus S. communis est ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter. Nam & Pater est Spiritus, & Filius est Spiritus, & Pater est Sanctus, & Filius est Sanctus.*

19 Tribuitur etiam Spiritui S. nomen *amoris*, licèt amor & diligere essentialiter dicatur, si consideretur in quantùm in amore non importatur, nisi habitudo amantis ad rem amatam: in quantum verò his vocabulis utimur ad exprimendam habitudinem ejus rei quæ procedit per modum amoris ad suum principium & è converso, ita quod per amorem intelligatur Amor procedens, & per diligere intelligatur spirare Amorem procedentem, sic Amor est nomen personale, & diligere vel amare est verbum notionale, sicut dicere vel generare.

rare. Ita D. Thom. *hìc quæst.* 37. *art.* 1.

20 Spiritum autem S. procedere ex amore essentiæ, attributorum, & Personarum probatur eisdem rationibus, quas dedimus *hìc art.* 7. Sed non procedit ex amore existentium creaturarum, vel futurarum, ut probatur ex dictis *art.* 8. Nec possibilium, quia illæ non sunt à Deo diligibiles, ut suo loco diximus. De nomine *Doni* vide D. Thom. *quæst.* 38.

ARTIC. XI. DE COMPARATIONE Personarum ad relationes.

QUODNAM SIT CONSTITUTIVUM Personæ in esse talis?

§. I.

REJICIUNTUR MODI dicendi aliorum.

1 DIcimus I. *dari in divinis proprietates personales constituentes divinas Personas.* Est contra *Præpositivum* negantem has proprietates, & asserentem personas divinas distingui se totis. Tribuitur etiam N. Gregorio, qui tamen nihil aliud vult, quam relationes non habere vim constitutivi distincti ex natura rei ab essentia; simpliciter tamen & absolutè docet dari relationes reales in divinis, secundùm quas datur distinctio realis.

2 Communiter prob. hæc suppositio ex Concilio Lateranensi *cap. Firmiter*, & ex Florent. *sess.* 1. ubi dicitur *personas divinas per suas proprietates differre.* Ratio: Nihil ab alio distinguitur, nisi habeat aliquid sibi proprium quod alteri non conveniat: cum igitur personæ divinæ ita in se ipsis constituantur, ut simul ab aliis distinguantur, necesse est, quòd constituantur per aliqua sibi personaliter propria, & sic per proprietates personales. *Rursus.* Illa differunt se totis, quæ in nullo conveniunt; totalis enim differentia opponitur omni convenientiæ: sed personæ divinæ conveniunt in omnibus absolutis: ergo non differunt se totis.

3 Et nota, constitutivum & constitutum dici de personis divinis, excludendo omnes imperfectiones, quas involvunt in creaturis: unde non distinguuntur realiter, & quoad rem significatam, sed tantum quoad modum significandi: etenim constitutivum concipimus quasi abstractum, & constitutum quasi concretum, sive illud ut formam quæ constituit, & istud quasi subjectum quod illam recipit: sic Pater idem significat ac habens Paternitatem, & Pa-

ter-

ternitas significat id quod præstat ut Pater sit Pater. Objectiones, quæ contra constitutivum Personarum fieri possunt, tantum procedunt de constitutione compositionis, ad quam requiritur distinctio realis, vel rationis per modum excludentis & exclusi : non de constitutione simplicitatis ad quam sufficit distinctiò virtualis, & rationis per modum expliciti & impliciti, sive includentis & inclusi. Quod enim Deus sit summè simplex, non tollit, quominus per Deitatem, sicut concretum per abstractum, constituatur.

4 Hæc autem constitutio est tantum realis virtualiter, non realis formalis, sed formalis per rationem : ad realem enim formalem constitutionem præter realitatem constituentis requiritur distinctio realis illius à constituto : sed quamvis proprietates constituentes divinas personas sint reales, non sunt tamen à Personis distinctæ, nisi distinctione reali virtuali, & formali per rationem: ergo.

5 Dicimus 2. *Proprietates personales, quibus constituuntur Personæ divinæ, non esse absolutas, sed relativas.* Est contra Joannem de Ripa, Liquetum, & alios. Prob. ex Concil. Florent. verbis datis *hìc art. 9. num. 12.* Et ex Tolet. XI. verbis ibi datis *num. 16.* in quibus dicitur, solam relationem multiplicare Personas, & in divinis non esse numerum nisi per relationes; quam sententiam statuit Concil. Tolet. verbis August. *tract. 39. in Joann.* Et 5. *Trin. cap. 8.* docet, quod *Quidquid ad se ipsum dicitur Deus, & de singulis Personis singulariter dicitur... & simul de ipsa Trinitate.* Sed proprietas constitutiva Patris, non dicitur singulariter de singulis Personis: ergo proprietates quibus Personæ constituuntur, non sunt absolutæ seu ad se, sed aliquid relativum. Ratio. Sola relatio distinguit Personas, quæ conveniunt in absolutis : ergo sola relatio est constitutiva Personæ, quia idem est constitutivum & distinctivum.

6 Dices. Subsistentia est quid absolutum : sed Personæ constituuntur per subsistentiam: ergo. *Resp.* dist. maj. sumpta pro perfectate independentiæ, conc. pro perfectate incommunicabilitatis, neg. Et in hoc sensu subsistentia est constitutiva Personæ.

7 Sed cùm relatio includat plura munera *proprietatis, actionis*, seu *originis, subsistentis*, ac *referentis*: quæ munera non sunt objectivè diversa, sed tamen possunt appellari *plura* eminenter; sicut omninò idem sunt essentia, intellectus, species, & intellectum & tamen fundant di-

versas eminentias, ratione quarum ex parte modi concipiendi distinguuntur; hinc vertitur in dubium sub qua ratione relatio constituat Personam?

8 Et licèt dubium procedat de constitutione cujuslibet Personæ, præcipuè tamen instituitur circa Personam Patris, ubi præcipuè sese offert difficultas: & ratio dubitandi sic proponitur. Pater pro priori ad generationem supponitur constitutus in esse Personę; Persona enim priùs est, quàm operetur: sed relatio Paternitatis non est in Patre pro priori ad generationem, cùm ad illam sequatur, juxta illud Phil.5. Met. *Generatio est Paternitatis fundamentum*; quod autem fundatur in alio, subsequitur ad illud: quod verò subsequitur, non constituit, quia constitutivum est quod est prius in re: ergo relatio Paternitatis non constituit Personam Patris.

9 Et nota, quòd non est dubium de Patre in ratione *Patris*, sic enim constituitur per Paternitatem, ut dicit respectum ad Filium, quia Pater reduplicativè ut talis totus est ad Filium, sine quo nequit intelligi: sed quia aliter significatur Pater ut *Persona*, & aliter ut *Pater*, restat dubium, an in ratione *Personæ* constituatur per Paternitatem sub hoc vel illo munere, vel per aliquid aliud.

10 Dicimus 3. *Patrem non constitui per innascibilitatem seu per rationem fontalis principij*. Est contra Vazquez, & alios. Prob. ex August. & D. Thom. verbis datis *hìc art. 6.* ubi probavimus rationem ingeniti negativè dici: negativum autem nequit constituere Personam, quæ est aliquod positivum: ergo. 2. Si innascibilitas consisteret in positivo, ut putat Vazquez, vel illud esset absolutum, vel relativum: sed absolutum nequit constituere Personam, ut diximus *num.* 5. ergo erit relativum. Nunc sic. Vel innascibilitas est relatio realis distincta à Paternitate, vel indistincta, vel est relatio rationis: non realis distincta, quia relationes reales essent plures quàm quatuor. Si indistincta, eadem est difficultas de ipsa ac de Paternitate. Non tertium, quia Persona est quid reale, & ideò nequit constitui per aliquid rationis: qualnvis enim constitutivum sit ratione distinctum, tamen debet esse quid reale indistinctum. Tum, quia Personæ divinæ distinguuntur & constituuntur per relationes originis, ut docent Concilia, & PP. sed innascibilitas non est relatio originis; non enim sequitur ad aliquam actionem: ergo Pater non constituitur per innascibilitatem.

11 Dicimus 4. *Personas divinas non constitui formaliter per*

per origines. Pro contraria sent. refertur D. Bonav. Pro quo nota, quòd in divinis Personis duo inveniuntur, secundùm quæ differunt, scil. origo & relatio: quæ quidem quamvis re non differant, differunt tamen secundùm modum significandi. Nam *origo* significatur per modum actus, ut generatio, *relatio* verò per modum formæ, ut Paternitas.

Prob. à D. Thom. *hìc quæst.* 40. *art.* 2. *Ad hoc quod aliqua* duo distincta intelligantur, necesse est eorum distinctionem intelligi per aliquid intrinsecum utrique, sicut in rebus creatis vel per materiam vel per formam. Origo autem alicujus rei non significatur ut aliquid intrinsecum, sed ut via quædam à re, vel ad rem. Sicut generatio significatur ut via quædam ad rem genitam, & ut progrediens à generante. Unde non potest esse quod res genita & generans distinguantur sola generatione; sed oportet intelligere tam in generante, quàm in genito ea, quibus ab invicem distinguuntur. In Persona autem divina non est aliud intelligere, nisi essentiam, & relationem sive proprietatem. Unde cùm in essentia conveniant, relinquitur quòd per relationes Personæ ab invicem distinguantur.

12 2. Distinctio in divinis Personis non est sic intelligenda quasi aliquid commune dividatur, quia essentia communis remanet indivisa; sed oportet quòd ipsa distinguentia constituant res distinctas: sed contra rationem originis est, quod constituat hypostasim vel Personam: quia origo active significata significatur ut progrediens à Persona subsistente, unde præsupponit eam. Origo autem passivè significata, ut nativitas, significatur ut via ad Personam subsistentem, & nondum ut eam constituens. Unde melius dicitur, quod Personæ seu hypostases distinguantur relationibus, quàm per originem. Licèt enim distinguantur utroque modo, *tamen prius & principalius per relationes secundum modum intelligendi.* Unde hoc nomen, Pater, non solum significat proprietatem, sed etiam hypostasim: sed hoc nomen genitor, vel generans significat tantum proprietatem; quia hoc nomen Pater significat relationem, quæ est distinctiva & constitutiva hypostasis. Hoc autem nomen generans vel genitus, significat originem, quæ non est distinctiva & constitutiva *hypostasis*. Hæc D. Th.

13 Dices, hac ratione æquè probari Personas divinas non posse constitui per relationes, quia sicut origo activa essentialiter est egressus, & passiva es-

sentialiter via, ita relatio essentialiter est tendentia ad terminum. *Resp.* quod suppositâ doctrina D. Thom. immediatè data; hæc instantia valdè urgere debet asserentes, Personas constitui per relationem secundum conceptum *ad*: nos autem non urget, qui non dicimus relationes constituere Personas secundum *ad*, sed secundum *in*; in quo sensu concipitur ut forma intrinseca subjecto.

14 Dices: ergo similiter in origine possumus intelligere duas formalitates, scil. egredi à principio, & esse in eo: & secundùm unam constituere, licèt non secundùm aliam. *Resp.* non esse eamdem rationem de relatione & origine, quia constitutivum formale rei debet illam constituere secundùm primam formalitatem quam in illo concipimus, si illud involvat duas ratione ratiocinante distinctas; constitutivum enim rei est primum quod in re formaliter invenitur: origo autem activa nequit constituere Personam secundùm primam formalitatem, quam in ea concipimus, quia hæc est egressus à principio; sicut in origine passiva prius intelligimus tendentiam ad terminum, seu esse viam ad illam, quàm esse in illo; eatenus enim passio recipitur in termino, quatenus tendebat ad illum: ergo non possunt constituere Personas secundum esse *ad*, ut probat ratio D. Thom. nec secundnm esse *in* principio, seu in termino, quod posterius in illis concipimus. In relatione autem prius intelligimus esse *in*, quæ est ratio formæ hypostaticæ, quàm esse ad terminum.

Oportet ergo ait D. Thom. *quæst.* 8. *de Pot. art.* 3. *quod filiatio sit formaliter constituens & distinguens hypostasim Filij, non autem origo neque relatio intellecta in origine; quia relatio intellecta in origine sicut & ipsa origo, non significat aliquid adhuc subsistens in natura, sed in naturam tendens.* Et *hìc quæst.* 40. *art.* 4. ait: *Origines passivè* significatæ simpliciter præcedunt secundum intellectum proprietates Personarum procedentium etiam personales. Quia origo passivè significata significatur ut via ad Personam proprietate constitutam. Similiter & origo activè significata prior est secundum intellectum, quàm relatio Personæ originantis, quæ non est personalis: sicut actus notionalis spirationis secundum intellectum præcedit proprietatem relativam innominatam, communem Patri, & Filio: sed proprietas personalis Patris potest considerari dupliciter. Uno modo, ut est relatio, & sic iterum secundum intellectum pre-

supponit actum notionalem. Quia relatio, in quantum hujusmodi, fundatur super actum. Allo modo, secundum quod est constitutiva Personæ. Et sic oportet, quòd præintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens *præintelligitur actioni.*

15 Tertius modus dicendi est Magistri Gonet, & aliorum Thomistarum, asserentium in relatione distinguendum esse munus formæ hypostaticæ, & relationis exercitæ, vel respectûs ad terminum: primum præintelligitur ad generationem, & constituit Personam; secundum supra actionem fundatur, & Personam supponit constitutam. Cetertùm hic modus dicendi, licèt quoad rem à nobis admittatur, displicet tamen quoad voces: supposito enim, quod *hypostasis* post sedatam litem circa significatum ipsius, significat Personam & non substantiam; nulli dubium esse potest, formam constitutivam Personæ esse formam hypostaticam: unde dicere, quòd relatio constituit Personam per munus formę hypostaticæ, est solvere idem per idem, seu relationem constituere Personam per hoc quod constituit Personam.

16 Unde melius alij se explicant, distinguendo in relatione conceptum *in*, & conceptum *ad*; & plures asserunt, quòd conceptus, secundùm quem relatio est forma hypostatica, est conceptus *in*. Ita Paulus à Concept. N. Gibbon & alij. Hoc tamen displicet Magistro Navarro, existimanti *in* significare *inhærentiam*, quam non debemus affirmare de divinis relationibus, etiamsi addamus *substantialem*: sed revera AA. hujus modi dicendi nolunt per *in* significari inhęrentiam, sed primarium conceptum relationis substantialis. Alij asserunt conceptum *ad* esse penes quem relatio constituit Personam, ita N. Gavardi pro se allegans plures alios.

17 Alij tamen considerant illud *ad* per comparationem ad subjectum, & sub hoc conceptu dicunt relationem constituere hypostasim. Ita Illust. Montalban, pro hoc allegans Cajetanum, Nazarium, Joannem à S. Thoma, & alios: & asserens ipsum conceptum *ad*, qui est ultimò differentialis, comparari non solùm ad terminum, sed etiam ad subjectum, quia nullum prædicatum intrinsecum est in relatione, quod subjectum non afficiat; ac proinde, quod non possit ad illud comparari. Imo suapte sui natura, inquit, per prius intelligitur relationem afficere subjectum, quam exercite referre ad terminum.

18 Hoc ultimum verum est, sed non ex eo probatur, quòd con-

conceptus ille, penes quem relatio primò afficit ſubjectum, ſit conceptus *ad* comparativè ad ſubjectum, quia *ad* ex communi Auctorum intelligentia ſumitur per comparationem ad terminum, & ad exprimendum conceptum reſpiciendi alium, vel oppoſitionem relativam, quæ non datur inter relationem & ſubjectum, aliàs relatio realiter ab eſſentia differret. Dicere autem, quòd datur duplex *ad*, vel quod conceptus ultimus differentialis relationis eſt qui dicitur *ad* comparativè ad ſubjectum; ſeu quod nullum eſt prædicatum intrinſecum in relatione, quod ſubjectum non afficiat, ac proinde quod non poſsit ad illud comparari, ut ſe explicat prælaud. Illuſtriſsimus; non video quomodo cohæreat cum locutionibus Angelici Præcept.

19 Nihil enim magis eſt intrinſecum in relatione, nec potius conceptus ultimus differentialis, quàm propria ratio relationis: ſed juxta D. Thom. *Ratio propria relationis non accipitur ſecundùm comparationem ad illud in quo eſt, ſed ſecundùm comparationem ad aliquid extra*, ut ait S. D. *hìc quæſt. 28. art. 1. ad 1. & art. 2.* ut latè conſtat ex à nobis dictis *hìc quæſt. 2. art. 2. à num. 5.* ergo hic modus explicandi non cohæret locutionibus D. Thom.

20 In tam diverſis opinandi modis litigium habet multum de nomine inter aſſerentes relationes eſſe conſtitutivas Perſonarum: illi enim conveniunt in eo, quod aliquid proprium relationum præcedit origines, aliquid complet vel conſtituit illas, & aliquid intelligitur veluti reſultans ex origine: & per primum dicunt relationes conſtituere Perſonas, per ſecundum determinare vel conſtituere originem, & per tertium reddere principium actu & completè relatum ad terminum: diſcriminantur verò in aſsignando nomine correſpondente relationi ſub munere conſtituentis Perſonam: quoad ſenſum igitur nulla eſt harum ſententiarum diverſitas, ſi placitum Gayardi excipias, qui *ad* conſtitutivum Perſonæ accipit per comparationem ad terminum: contra hunc & alios ſit

§. II.

ASSIGNATUR ET RROBATUR noſtra ſententia.

21 DIcimus, *Perſonam conſtitui per relationem ſub illo conceptu, qui ſecundùm noſtrum intelligendi modum ſignificatur objectivè in relatione primò conveniens Perſonæ & afficiens ſubjectum*; ſive ille conceptus dicatur *in*, ſive

ve *ad* comparative ad subjectum, licèt congruentius dici debeat *in* relationis, juxta dicta *d num.* 15.

22 Pro quo nota, quod relatio ut est relatio *ut sic*, non est constitutiva Personæ, quia non omnis relatio constituit hypostasim in divinis, ut patet in spiratione activa, quæ est communis duabus Personis: commune autem ut commune nequit constituere Personam, quæ importat formaliter individuam substantiam, vel singularitatem. Unde relatio tantùm potest esse constitutiva Personæ, considerata ut quid proprium uni suppositò, ut Paternitas. Sed non omne quod in relatione consideratur ut uni proprium, debet esse formale & metaphysicum Personę constitutivum, sed quod primò in ea consideratur, juxta dicta *numer.* 14. Unde ait D. Thom. *quæst.* 8. *de Pot. art.* 3. *Oportet ponere distinctivum & constitutivum. Hypostasis in divinis id, quod* primo *invenitur, non de pluribus dici, sed uni soli convenire.*

Quid autem illud sit, explicatur hoc modo. Quævis relatio ut est *ordo unius ad aliud*, tria hæc importat, *subjectum*, *respectum*, & *terminum*, & omnia in conceptu objectivo relationis importantur, quia *esse* illius subjectum, respectum, & terminum complectitur: sicut esse actionis adæquatè intelligi nequit, nisi agens, motus illius, & passum intelligatur. Sed in eo conceptu objectivo subjectum non intelligitur nisi tamquam id cujus est relatio; & si essentia relationis ordinatè cognoscatur, subjectum est primum quod intelligitur; quia non id in quo sistit respectus, sed id à quo incipit, primo intelligendum est: non ergo terminus est qui primo in conceptu adæquato relationis intelligitur; neque respectus ipse, quia hic nec ante subjectum, nec sine subjecto respiciente intelligi valet: aliàs subjectum imaginari nequit ut terminus relationis: relinquitur ergo quod id quod primò intelligitur in essentia relationis est subjectum tamquam id cujus est relatio, vel quod ad aliud ordinatur. Ergo quod primò explicat relatio in suo conceptu est esse subjecti quod refert, seu ex parte subjecti se tenere, & hoc primum munus est quod dicimus esse constitutivum Personarum. Illud autem nequit intelligi sine essentiali exigentia secundi, & licet ex modo significandi non significetur ut relativum, tale tamen est ex parte rei significatæ, nec secundum intelligi potest sine exigentia tertij, quia omnia hęc munera sunt essentialia relationi, scil.

scil. *esse subjecti quod refert, actu illud referre, & in termino sistere.*

23 Prob. ex P. August. Id per quod salvatur dari in divinis Personas, est constitutivum personarum: sed pluralitas Personarum convenit Deo secundùm relationes, & non secundùm conceptum ad terminum, sed ad subjectum: ergo Persona constituitur per relationem secundum primum conceptum quo dicit esse subjecti, & illud afficit. Prob. min. quoad 1. part. ex Aug. *lib. 7. Trin. cap. 6.* ubi ait: *Ego & Pater unum sumus. Et unum dicit, & sumus. Unum secundùm essentiam: sumus secundum relativum.* Quoad 2. prob. ex ipso ibi dicente: *Ad se quippe dicitur Persona* Patris, *non ad Filium vel ad Spiritum* S. ergo forma constitutiva Personæ ut talis debet considerari in ordine ad subjectum, & non sub formalitate respectûs ad alium, si attendatur formalis significatio personæ.

24 Prob. ex D. Th. *quæst. 8. de Pot. art. 3.* ubi in argum. 7. proponit rationem dubitandi datam *num.* 8. & respondet: „ *Dicendum, quod* de ratione „ hypostasis duo necesse est esse. „ Quorum primum est quod sit „ per se subsistens & in se indi„ visa: secundum est quod sit „ distincta ab aliis hypostasi„ bus ejusdem naturæ. Si ta„ men contingat in eadem na„ tura alias hypostases non esse, „ nihilominus hypostasis erit: „ sicut Adám, quando non „ erant aliæ hypostases in hu„ mana natura. Semper ergo „ necessarium est intelligere hy„ postasim generantem ante ge„ nerationem, quantum ad id „ quod hypostasis subsistit in se „ una existens, non tamen in „ quantum est ab aliis hypostasibus ejusdem naturæ distinc„ ta: si per solam hujusmodi ge„ nerationem aliæ hypostases „ ejusdem naturæ originentur: „ sicut Adam non fuit distinc„ tus ab aliis hypostasibus ejus„ dem naturæ priusquam mu„ lier ex ejus costa formaretur, „ & ejus filij ab eo propaga„ rentur.

„ In divinis autem non mul„ tiplicantur hypostases, nisi „ per processionem aliarum „ Personarum ab una: prius „ ergo est intelligere hypostasim Patris, in quantum est „ subsistens, quàm generare: „ non tamen in quantum est „ distincta ab aliis hypostasibus „ ejusdem naturæ, quæ non „ procedunt nisi hac generatio„ ne supposita. Relationes au„ tem in divinis etsi constituant „ hypostases, & sic faciant eas „ subsistentes, hoc tamen fa„ ciunt in quantum sunt essen„ tia divina. Relatio enim in „ quantum est relatio, non ha„ bet

„ bet quod subsistat vel subsi-
„ tere faciat: hoc enim solius
„ substantiæ est. Distinguunt
„ verò relationes in quantum
„ relationes sunt, sic enim op-
„ positionem habent. Relinqui-
„ tur ergo quòd ipsa Paterni-
„ tatis relatio in quantum est
„ constituens hypostasim Pa-
„ tris, quod habet in quantum
„ est idem substantiæ divinæ,
„ præintelligatur generationi:
„ secundùm verò quod distin-
„ guit, sic generatio paternita-
„ ti præintelligitur. Ex parte
„ verò Filij, nulla remanet dif-
„ ficultas: nam nativitas secun-
„ dum intellectum præcedit hy-
„ postasim nati, cum intelli-
„ gatur ut via ad ipsam: est
„ enim generatio via in *subs-*
„ *tantiam.*

25 Ex hoc egregio D. Th. testimonio sic argumentor. Per id constituitur Persona divina per quod redditur primò per se subsistens & indivisa in se; secundò verò ab aliis Personis ejusdem naturæ distincta: totum enim hoc cum hoc ordine est juxta D. Thom. necessarium ad rationem hypostasis: sed in relatione nihil est quo reddatur Persona primò per se subsistens & in se indivisa, ac secundò distincta ab aliis Personis, præter primum munus relationis, quo primò explicat esse Personæ quam refert; per actualem enim tendensiam ad terminum, & veluti sistentiam in illo, non redditur persona per se subsistens, & in se indivisa, sed distincta ab aliis hypostasibus ejusdem naturæ: ergo per illud primum munus relationis constituitur Persona in esse talis.

Prob. min. implic. & assumptum conf. Priùs debet Persona intelligi per se subsistens & in se indivisa, quàm intelligatur actù & exercitè distincta ab aliis hypostasibus ejusdem naturæ; priùs enim intelligitur res indivisa in se, quàm divisa actù à qualibet alia: ergo priùs debet intelligi id quo Persona divina redditur per se subsistens & in se indivisa, quàm id quo redditur actù & exercite distincta ab aliis hypostasibus. Conf. tenet, & ant. est D. Thom. Sed per relationem ut est actualis respectus producentis ad personam productam redditur Persona actù & exercite distincta ab aliis: ergo pro priori ad actualem respectum relationis debet intelligi id quo Persona redditur per se subsistens & in se indivisa: sed pro tali priori nihil est intelligibile in relatione, nisi illud primum munus quo afficit subjectum, vel eam esse Personæ quam refert: ergo per hoc primum munus redditur Persona per se subsistens & sic per illud constituitur.

26 Conf. 2. Juxta D. Th. verbis dat. Relatio Paternitatis

habet constituere hypostasim Patris in quantum est idem substantiæ divinæ, non autem in quantum est relatio, quia relatio in quantum talis, seu ut est actualis respectus ad terminum, non habet quod subsistat vel subsistere faciat, hoc enim solius substantiæ est ; habet verò quod distinguat : & sub hoc secundo munere generatio relationi Paternitatis præintelligitur ; sub primo verò Paternitas præintelligitur generationi. Quod clariùs exprimit ibi ad 9. *Relatio*, inquit, *distinguit in quantum est relatio: constituit autem hypostasim in quantum est divina essentia, & utrumque facit in quantum est divina essentia & relatio.* Et in solut. ad 1. ubi objecit Aug. 7. *Trin. cap.* 1. dicentem : *Omnis res, quæ relativè dicitur, est etiam aliquid excepto relativo*: sed Personæ dicuntur relativè: ergo sunt aliquid excepto relativo. Ergo non constituuntur per relationes. Nihil enim potest esse aliquid remoto suo constitutivo. Resp. D. Thom. quòd *Personæ divinæ sunt aliquid excepto relativo, & hoc aliquid est essentia, quę relativè non dicitur. Sic enim intelligit Augustinus.*

27 Ex iis quæ difficilia videntur, habemus 1. quòd relatio in quantum talis non constituit Personas. 2. quòd constituit in quantum est idem cum divina essentia ; vel quod Personæ sunt aliquid excepto relativo, quia constituuntur per aliquid quod est essentia, quæ relativè non dicitur : ergo Personæ constituuntur formaliter per aliquid relativum sub primo munere relationis. Prob. Personæ nequeunt constitui per essentiam ut virtualiter distinctam à relatione, ut docet D. Thom. *ibi in corp.* quia illa est communis, & absolutè de Deo dicitur ; *Nihil* autem *quod dicitur absolutè de Deo, potest intelligi ut distinctivum & constitutivum hypostasis* : sed secluſa essentia communi, & omni eo quod dicitur absolutè de Deo, & excepta relatione ut tali, nihil restat quod sit constitutivum Personę nisi relatio secundum primum munus, quod relativè non dicitur : ergo per illud constituitur Persona in esse talis.

28 Explic. Illud aliquid, quod D. Thom. appellat *essentia quæ relativè non dicitur*, est constitutivum Personæ, utpote quia est id quod remanet in Persona excepto relativo, ut ipse docet : sed non excepto relativo consistente in primo munere : ergo præcisè excepto relativo consistente in actuali exercitio. Min. pat. quia si non solum excipiatur essentia, sed etiam relatio secundùm munus

quo

quo explicat actualem respectum, & secundùm quod explicat esse Personæ quam refert, nihil restat per quod Persona constituatur. Sed D. Thom. excipit essentiam ut prædicatum commune, & relationem ut talem; & aliàs ibi docet, Personas constitui per relationes: ergo juxta ipsum relatio secundum primum munus, est constitutiva Personæ: sic enim est idem cum divina substantia, quia sic explicat subsistere, vel esse rationem subsistendi in quantum est divina, ut ait in 1. *dist.* 26. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 3. *Quamvis relationi ex hoc quod ad alterum dicitur, non debeatur quod sit res quædam: est tamen res aliqua secundùm quod habet fundamentum in eo quod refertur; & ex hoc ulterius habet IN QUANTUM EST DIVINA, quod sit hypostasis vel substantia.* En ex primo munere relationis, seu ex *in* habet esse aliquid relatio, & quia est relatio divina, habet quod sit per se subsistens: ergo relatio habet constituere hypostasim in quantum est divina essentia, quia secundum illud primum munus non differt realiter ab essentia, nec relativè dicitur, quia relativè dici salvatur secundùm munus relationis ut talis, & ut dicit respectum, quod pertinet ad distinctionem.

29 Ulterius prob. alia ratione & auctoritate D. Thomæ *hìc quæst.* 40. *art.* 1. qua explicantur dicta. *Quidam dixerunt*, proprietates neque esse Personas, neque in Personis. Qui fuerunt moti ex modo significandi relationum, quæ quidem non significant, ut in aliquo, sed magis, ut ad aliquid. Unde dixerunt, relationes esse assistentes. Sed quia relatio, secundùm quod est quædam res in divinis, est ipsa essentia, essentia autem idem est quod Persona, oportet, quòd tunc relatio sit idem quod Persona. Hanc igitur identitatem alij considerantes dixerunt, proprietates quidem esse Personas, non autem in Personis; quia non ponebant proprietates in divinis, nisi secundum modum loquendi. Necesse est autem ponere proprietates in divinis. Quæ quidem significantur in abstracto, ut quædam formę Personarum. Unde cum de ratione formæ sit, quod sit in eo cujus est forma, oportet dicere, proprietates esse in Personis, & eas tamen esse Personas; sicut essentiam esse in Deo dicimus, quæ *tamen est Deus.*

Ex quibus sic. Relatio ut constituens Personam debet significari in ipsa Persona, quia *de ratione formæ est quod sit in*

eo cujus eſt forma : ſed ſolum ſecundùm primum munus ſignificatur in ipſa Perſona, ut patet : ergo ſolum ſecundùm illud conſtituit Perſonam.

§. III.

SOLVITUR RATIO DUBITANDI cum aliis objectionibus.

30 AD rationem dubitandi poſitam *numer.* 8. reſp. diſt. min. Relatio Paternitatis ut eſt relatio, & ut dicit actualem reſpectum ad terminum, conc. min. Sub primo munere, quo primò dicit eſſe Perſonæ quam refert, neg. ita conſtat ex Div. Thom. verbis dat. *num.* 14. *in fine*, *& numer.* 24.

31 Inſtabis. Conſtitutivum eſt diſtinctivum rei : ſed paternitas ſub illo primo munere non diſtinguit Patrem ab aliis Perſonis, cùm diſtinctio Perſonarum & relationum tantùm proveniat ab actuali reſpectu ſeu à relatione ut tali ; quia *relationes ipſæ non diſtinguuntur ab invicem ſecundum quod ſunt realiter idem cum eſſentia*, ut ait D. Thom. *hìc quæſt.* 39. *art.* 1. *ad* 1. ergo. *Reſp.* quod licèt conſtitutivum rei ſit ejus diſtinctivum reſpectu aliòrum, non oportet quod in eodem ſigno in quo intelligitur actù conſtituens, intelligatur etiam actù & exercitè diſtinguens ; ut docet D. Thom. *num.* 24. nam Adam erat conſtitutus in eſſe Perſonæ antequam eſſent alij homines à quibus perſonaliter differret : habebat ergo pro tunc conſtitutivum & diſtinctivum ; ſed licèt eſſet actù in ſeipſo conſtitutus, non erat tamen actù & exercitè ab aliis diſtinctus, ſed veluti in actu primo, quatenus in ſe continebat rationem per quam in actu ſecundo ab aliis hypoſtaſibus differret, quando darentur. Similiter licèt Paternitas actù non diſtinguat Patrem à Filio in ſigno antecedente generationem per quam Filius originatur, quia tamen per illam primò redditur per ſe ſubſiſtens & in ſe indiviſus, & eſſentialiter exigit connecti cum reſpectu ad Filium, quo Pater actu ab illo diſtinguitur, per illam ſub primo munere Pater in ratione Perſonæ conſtituitur. Videatur D. Thom. *num.* 24.

32 Inſtabis 2. Conſtitutivum Perſonæ debet tribuere incommunicabilitatem : ſed paternitas illam non præſtat ſub primo munere, ſed in quantum reſpicit terminum & correlativum cui opponitur : ergo non conſtituit Patrem in ratione Perſonæ ſub illa prima formalitate. *Reſp.* diſt. maj. incommunicabilitatem *primariam*, conc. ſe-

secundariam, & supponentem aliam priorem, neg. Relatio ut talis non præstat incommunicabilitatem primariam, nam illa ut sic supponit originem, & origo supponit Personam constitutam. Si ergo de ratione Personæ est incommunicabilitas, aliqua datur pro priori ad expressum conceptum relationum: hæc ergo erit primaria Personę constitutiva. Cumque incommunicabilitas provenire non possit ab aliquo absoluto, provenire debet à relatione: non sub secundo munere, ut diximus: ergo sub primo. Assumptum patet in relatione Spiratoris, quæ est incommunicabilis Personæ procedenti; sed non constituit Personam, quia supponit aliam incommunicabilitatem.

33 Arg. 2. Relatio sub primo munere non differt virtualiter à se ipsa ut dicente actualem respectum ad terminum: ergo quidquid dicitur de relatione sub prima formalitate, dicitur etiam de illa sub secunda, & sic sub utroque conceptu est constitutiva Personæ. *Resp.* illas duas formalitates non distingui virtualiter aut ratione ratiocinata, cum sint de conceptu essentiali & metaphisico relationis, sed tantum penes diversum modum concipiendi, ex his quæ videmus in rebus creatis, ad quarum instar divina cognoscimus; videmus enim in Petro v. gr. subsistentiam & Paternitatem realiter distingui, & illam esse priorem hac: & ideò Paternitatem divinam, quæ utrumque munus præstat per se indivisè subsistendi, & respiciendi Filium, nunc in ordine ad hoc, nunc ad illud munus apprehendimus, & concipimus munus proprietatis personalis prius esse quàm munus referendi in actu exercito, quia priùs est Petrum subsistere, quàm esse Patrem. Et hęc distinctio sufficit ut unum affirmemus de uno munere & non de alio; sicut licèt in Verbo non distinguantur virtualiter ratio Filij & ratio Verbi, dicimus esse Verbum creaturarum, & non esse Filium illarum, & idem in aliis exemplis.

34 Arg. 3. Sicut de ratione relationis ut est actualis respectus est supponere Personam, ita de ratione actionis est supponere naturam: sed per nos natura divina constituitur per intelligere actuale, quod est actio intelligendi: ergo à pari. *Resp.* naturam non constitui per intellectionem sub explicito conceptu operationis & egressionis à principio, sed sub ratione ultimæ actualitatis; & ex hoc potius infertur Paternitatem sub conceptu respectûs ad terminum non constituere Personam, sicut diximus de origine.

Arg.

35 Arg. 4. Si Pater pro priori ad generationem constitueretur per relationem sub primo munere, & non sub ratione respectûs, esset Pater quamvis per impossibile non generaret: hoc non est dicendum: ergo. Sequela pat. quia quod est prius alio, esset, posteriori per impossibile ablato. *Resp.* neg. seq. nam primarium illud munus relationis est inadæquatus quidam conceptus Paternitatis, intimè cum secundario connexus intra lineam relationis, & illud essentialiter exigens; idcirco nequit primarium manere secundario ablato, nec secundarium generatione sublata.

36 Arg. 5. contra 4. assertum. Generatio activa distinguit Patrem ab aliis, & est prior Paternitate, utpote fundamentum illius: sed primum rei distinctivum est ejus constitutivum: ergo Pater non constituitur per relationem Paternitatis, sed per originem activam. Et hoc videtur August. docuisse *lib.* 3. *Orth. fid. cap.* 6. ubi ait, quòd *proprietas Patris est genuisse Filium*; & proprietas Filij quod nascatur à Patre. Sed Personæ constituuntur & distinguuntur proprietatibus: ergo Pater constituitur generatione.

37 Resp. dist maj. Est prior Paternitate, ut dicente actualem respectum, conc. Paternitate sub primo munere, neg: Sed licèt verum sit, Personas distingui tam per originem, quàm per relationes, tamen prius & principalius per relationes distinguuntur secundùm modum intelligendi, ut ait D. Thom. *verbis dat. num.* 12. quia origo seu generatio activa non significatur ut aliquid fixum & permanens, quod requiritur ad rationem constitutivi; sed ut aliquid fluens & viale, ad quod præintelligitur relatio secundùm primum munus illius. Ob eamdem rationem generatio passiva non constituit filium, esto sit prior filiatione. Ad Augustini verba resp. D. Thom. *quæst.* 8. *de Pot. ad* 14. *Quod Aug. pro eodem accipit genuisse Filium, & esse Patrem: & ideò utitur quandoque origine pro relatione.* Et similiter solvi possunt aliæ auctoritates SS. si aliquando asserunt Personas constitui vel distingui per origines.

§. IV.

DE CONSTITUTIVIS Filij, & Spiritus S. & circumincessione Personarum.

38 EX his inferes, constitutivum Personę Filij esse relationem Filiationis sub primo munere, quo explicat

cat esse Filij : & Personam Spiritus S. constitui spiratione passiva secundùm idem primum munus, quia ut ait D. Thom. *quæst. 8. de Pot. art. 3. in fine corp. Omnium hypostasum ejusdem naturæ est eadem ratio constitutionis & distinctionis.* Et rationem asserti dat *ibi* per hæc verba dicens : *Impossibile est ergo* dici, quod hypostasis Filij constituatur sua nativitate, nisi in quantum intelligitur, quod nativitas ejus terminatur ad aliquid quod formaliter constituit. Ipsa autem relatio ad quam terminatur nativitas, est Filiatio. Oportet ergo quod Filiatio sit formaliter constituens & distinguens hypostasim Filij ; non autem origo, neque relatio intellecta in origine : quia relatio intellecta in origine, sicut & ipsa origo, non significat aliquid adhuc subsistens in natura, sed in naturam tendens.

39 Dices, ad relationem non datur per se actio vel motus, ut dicitur 5. *Physic.* sed Persona Filij est terminus per se actionis generativæ : ergo nequit constitui per relationem. *Resp.* illud tenere de relatione, quæ est accidens ; illa enim non producitur per veram actionem, sed solummodo resultat : non autem tenet loquendo de relationibus divinis, quæ sunt substantiales & per se subsistentes, unde non indigent fundamento, sed ipsæ sibi ipsis sunt fundamentum, quamvis etiam fundentur in essentia divina, non ex aliqua indigentia, sed ex abundantia & fœcunditate, ex qua etiam essentia divina subsistit in relationibus. Filiatio ergo quamvis sub expresso conceptu referentis intelligatur subsequi ad terminum constitutum, sub primo tamen munere subsistentis Filium in ratione termini & Personæ constituit. Idem de Spiratione passiva.

40 Hìc agendum erat de æqualitate & similitudine divinarum Personarum: sed videantur dicta *hìc quæst. 2. art. 1. num. 23. & art. 3. à num. 12.* ubi egimus de magnitudine, quæ est fundamentum æqualitatis divinarum Personarum, & de similitudine videantur dicta *hìc quæst. 1. art. 3. num. 8. in fin. & quæst. 2. art. 3. num. 13.*

41 Hìc etiam agit D. Th. *quæst. 42.* de circumincessione divinarum Personarum, quæ est reciproca existentia unius Personæ in alia : ita ut semper circum ipsam veluti incedat : quod fit triplici modo ; primo ratione essentiæ, quæ communis est omnibus Personis : illud enim est maximè in alio, cujus tota essentia est in ipso, cùm nihil sit magis intimum unicuique rei, quàm ejus essentia. 2. ratione correlationis mutuæ, quia unum oppositorum relativè

vè est in altero secundùm intellectum, cùm relativa sint simul natura & definitione: unde relatio Paternitatis concipitur esse terminativè in Filio, & vicissim relatio filiationis in Patre; & utraque in Spiritu S. quamvis enim illæ relationes non habeant oppositionem immediatam cum illo, benè tamen mediatam, quatenus mediante relatione Spirationis activę terminantur ad spirationem passivam, per quam constituitur Spiritus S. & ita terminativè sunt in ipso.

3. Ratione originis; cum enim origo in divinis sit per actiones immanentes cognitionis & amoris, sequitur, quod Filius tamquam Verbum & terminus cognitionis est in Patre, tamquam terminus in suo principio; & vicissim Pater in Filio, tamquam principium in suo termino, & Spiritus S. ut terminus amoris remanet intra principium suum; hoc enim est de ratione actionis immanentis. Et quia principium in divinis non habet actionem à se distinctam, sed sibi realiter identificatam, ideò ipsum etiam principium remanet intra suum terminum, id est Pater & Filius in Spiritu S. Et sic personæ sunt in seipsis invicem per circumincessionem, vel circuminsessionem.

ART. XII. DE MISSIONE Personarum.

AN, ET QUIBUS DIVINIS Personis conveniat mitti? Quid & quotuplex sit missio?

§. I.

RESOLVITUR PRIMA & 2. pars; & quid importet missio.

1 Missio est exitus seu egressus ejus, qui mittitur, à mittente ad aliquem terminum. Unde in missione duo importantur. Quorum unum est habitudo missi ad eum à quo mittitur. Aliud est habitudo missi ad terminum, ad quem mittitur. Per hoc autem quòd aliquis mittitur, ostenditur processio quædam missi à mittente; vel secundum imperium, sicut Dominus mittit servum; vel secundum consilium, ut si consiliarius mittere dicatur regem ad bellandum; vel secundum originem, ut si dicatur, quod flos emittitur ab arbore. Ostenditur etiam habitudo ad terminum, ad quem mittitur, ut aliquo modo ibi esse incipiat: vel quia prius ibi omnino non erat, quò mittitur: vel quia incipit ibi aliquo modo esse, quo prius non erat.

Cer-

2 Certum eſt, divinas Perſonas non poſſe mitti per imperium, conſilium, aut motum localem; quia omnes hæ miſſiones involvunt imperfectionem ſubjectionis, vel ignorantiæ, vel defectus præſentiæ in omni loco, quæ in divinis Perſonis locum non habent. Certum etiam fide eſt, dari in divinis miſsionem unius Perſonæ ab alia ſecundum originem ſeu proceſsionem; quatenus ſcil. Perſona procedens dicitur in tempore mitti ab illa à qua æternaliter procedit ad aliquid operandum vel faciendum. Scriptum eſt enim ad Galat. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere.* Supra quæ Auguſt. *lib.* 2. *Trin. cap.* 5. *poſt med. Cùm hoc à Patre & Filio factum eſſet, ut in carne Filius appareret, congruenter dictus eſt miſſus ille, qui in ea carne apparuit; miſiſſe autem ille, qui in ea non apparuit.* Et *lib.* 4. *cap.* 20. probat id ipſum ex illo *ſap.* 9. *Emitte illam de ſanctis cælis tuis, & mitte illam à ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret.* Et de miſsione Spiritus S. ait Chriſtus *Joann.* 16. *Mittam eum ad vos*, & *cap.* 14. *Quem mittet Pater in nomine meo.*

3 Ratio. Cùm una Perſona non poſsit mitti ab alia per imperium, conſilium, aut motum localem, nam omnes Perſonæ ſunt æquales in perfectione, ſummè ſapientes, & immenſæ; reſtat, ut tantum poſſit dici mitti ab alia, à qua æternaliter procedit, ad aliquem terminum, Unde Auguſt. *lib.* 4. *Trin. cap.* 20. probat, unam Perſonam non eſſe minorem alia, aut inæqualem alteri, à qua dicitur mitti, *quia non ſecundùm imparem poteſtatem, vel ſubſtantiam, vel aliquid quod in eo* (id eſt Verbo) *Patri non ſit æquale, miſſus eſt; ſed ſecundùm id quod Filius à Patre eſt, non Pater à Filio.*

4 Dubium eſt, an miſsio ſupponat pro ipſa cauſatione effectus, quæ eſt temporalis, ut aliqui exiſtimant; an vero ſimul pro origine & proceſsione æterna unius Perſonæ ab alia, ſicut docet frequentior opinio. Dicimus ergo, miſsionem importare proceſsionem Perſonarum, & productionem effectus in tempore. Prob. ex Auguſt. *lib.* 2. *Trin. cap.* 5. *in princ.* inferente ex illo antecedenti, *A Patre exij, & veni in hunc mundum. Ergo à Patre exire, & venire in hunc mundum, hoc eſt mitti.* Et *lib.* 4. *cap.* 20. *in med. Non ergo eo ipſo quo de Patre natus eſt, miſſus dicitur Filius: ſed vel eo quod apparuit huic mundo Verbum caro factum; unde dicit*, Exivi à Patre,

tre, & veni in hunc mundum: *Vel eo quod ex tempore cujuſquam mente percipitur, ſicut dictum eſt*, Mitte illam ut mecum ſit, & mecum laboret. *Quod ergo natum eſt ab æterno, æternum eſt*: Candor eſt enim lucis æternæ. *Quod autem mittitur ex tempore, à quoquam cognoſcitur.* Et D. Thom. *hìc quæſt. 43. art. 1. Miſsio divinæ Perſonæ convenire poteſt, ſecundùm quod importat ex una parte proceſsionem originis à mittente, & ſecundum quod importat ex alia parte novum modum exiſtendi in alio.*

5 Ratio. Miſsio Perſonæ divinæ eſſentialiter importat exitum à Perſona mittente, ut conſtat ex illo Auguſt. *A Patre exire, & venire in hunc mundum, hoc eſt mitti.* Sed hic exitus nequit eſſe alius quam proceſsio æterna ab illa, quia egreſsio, quæ eſt per miſsionem ſecundum imperium vel conſilium, dicit imperfectionem: ergo importat originem & proceſsionem æternam.

6 Conf. Si miſsio ſupponeret pro ipſa tantum productione effectus, non eſſet ratio, cur Pater non diceretur miſſus, cùm producat effectum temporalem quem miſsio aliarum perſonarum connotat: ſed *Pater numquam legitur miſſus*, ut ait Auguſt. 2. *Trin. cap.* 5. ergo quia miſsio importat in ſui ratione proceſsionem ab alio ſecundum originem. Unde Auguſt. 4. *Trin. cap.* 20. dicit quod *Pater cùm in tempore à quoquam cognoſcitur, non dicitur miſſus. Non enim habet de quo ſit, aut ex quo procedat.* Ex quo infertur, quod id quod in recto & principaliter importat miſsio eſt origo unius Perſonæ ab alia, ſi miſsio conſideretur quoad ſuam entitatem: ſi autem conſideretur præciſe quoad denominationem miſsionis & rationem ſui nominis, ſic non conſiſtit principaliter in aliquo notionali, quale eſt origo: ſed in eſſentiali, quale eſt effectûs productio, utpote Trinitati communis: ab effectu autem tamquam à termino ad quem ſumitur miſsionis denominatio. Infertur etiam nullam Perſonam poſſe ſe ipſam mittere, quia nulla procedit à ſe.

7 Infertur etiam, quod tantùm Filio & Spiritui S. convenit mitti, quia uterque procedit ab alio, Filius à Patre, à quo & mittitur, & Spiritus S. à Patre & Filio. An autem Filius mittatur à Spiritu S. à quo non procedit, quod quidam aſſerunt, alij vero negant; ſolvendum eſt ſub diſtinctione: ſi enim miſsio Verbi inadæquatè ſumatur ratione effectus ab ipſa connotati, ſic non ſolum à Patre, ſed etiam à ſe & à Spiritu S. miſſus poteſt dici Filius; effec-

effectus enim ille non ſolum à Patre, ſed & à Spiritu S. & à Filio producitur: unde *ſi Perſona mittens intelligatur eſſe principium effectus*, ait D. Th. *hìc art.* 8. *ſecundùm quem attenditur miſsio, ſic tota Trinitas mittit Perſonam miſſam.* Et in hoc ſenſu intelligitur illud Iſaiæ 48. *Nunc miſit me Dominus Deus, & Spiritus ejus.* Et illud Auguſt. 2. *Trin. cap.* 5. *poſt princ. Filius mittitur & à ſe, & à Spiritu S.* & Spiritus S. etiam mittitur & à ſe, & à Filio, ut ait D. Thom. *ibidem.* Si autem miſsio ſumatur prout includit & deſignat non ſolum effectum viſibilem aut inviſibilem, ſed etiam perſonam ab alio exiſtentem, ſic Filius tantum à Patre mittitur; unde ait D. Thom. *ibi*: *Si mittens deſignetur ut principium perſonæ, quæ mittitur, ſic non quælibet perſona mittit, ſed ſolum illa cui convenit eſſe principium illius perſonæ.*

§. II.

EXPLICATUR ULTIMA pars, & quod tantum temporaliter dicatur miſsio.

8 QUod miſsio importet etiam non ſolum æternam proceſsionem, ſed productionem effectus in tempore, probatur alia ratione, quia juxta D. Th. miſsio in divinis dicitur *temporaliter tantum.* Ratio. Nam ex his quæ important originem divinarum perſonarum, quædam important ſolam habitudinem ad principium, ut *proceſſio*, & *exitus*: quædam cum habitudine ad principium determinant proceſsionis terminum; vel æternum, ut *generatio*, & *Spiratio*; vel terminum temporalem, ſicut *miſsio*, & *datio*: mittitur enim aliquid ad hoc, ut ſit in aliquo, & datur ad hoc quod habeatur. Perſonam autem divinam haberi ab aliqua creatura, vel eſſe novo modo exiſtendi in ea (non propter mutationem perſonæ divinæ, ſed propter mutationem creaturę) eſt quoddam temporale. *Unde miſsio & datio dicuntur temporaliter tantum*; generatio autem & ſpiratio ſolum ab æterno: proceſsio & exitus dicuntur æternaliter, & temporaliter; nam filius ab æterno proceſsit ut ſit Deus; temporaliter autem, ut etiam ſit homo ſecundum miſsionem viſibilem, vel etiam ut ſit in homine ſecundum inviſibilem miſsionem. Ita D. Thom. *hìc art.* 2.

9 Ex his infertur, miſsionem aliam eſſe *inviſibilem*, aliam *viſibilem*: prima eſt, quæ fit interno & inviſibili modo per infuſionem gratiæ, & Charitatis

in cordibus nostris, juxta illud Joann. 14. *Si quis diligit me... ad eum veniemus, &c.* & Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* Hæc missio facta est ad omnes creaturas intellectuales, quę gratiam & Charitatem acceperunt, ut Augustt. docet 3. *de Trin. cap.* 4. *& lib.* 15. *cap.* 27. & D. Thom. *hìc art.* 6. Unde facta est ad Patres veteris Testamenti; quia licet Joann. 7. dicatur: *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat Jesus glorificatus*, id intelligitur de illa datione, quæ cum signo visibili facta est in die Pentecostes.

Facta est etiam hæc missio ad Christum in principio suæ conceptionis, non autem postea, cum à principio suæ conceptionis fuerit plenus omni sapientiâ & gratia. Et ad Beatos in ipso principio Beatitudinis: postmodum autem ad eos fit missio invisibilis, non secundùm intensionem gratiæ, sed secundum quod aliqua mysteria eis revelantur de novo, quod erit usque ad diem judicij. Fit etiam in baptismo hominis vel in prima justificatione, & secundum augmentum gratiæ, ut ex Aug. docet D. Thom. *hìc art.* 6. *ad* 2. sed tamen secundum illud augmentum gratiæ, præcipuè missio invisibilis attenditur, quando aliquis proficit in aliquem novum actum, vel novum statum gratiæ: ut cum proficit in gratiam miraculorum, aut Prophetiæ, vel in hoc quod ex fervore charitatis exponit se martyrio, aut abrenuntiat his quæ possidet & religiosus efficitur, aut quodcumque opus arduum aggreditur. D. Thom. ibi. Missio *visibilis* est quæ fit modo visibili per aliquod signum sensibile manifestativum missionis invisibilis.

10 In missione invisibili non mittitur Pater, quia licèt per gratiam etiam animam inhabitet, propriè tamen mitti non dicitur, eo quod non procedat ab alio, ut diximus: mittitur autem Filius per modum sapientiæ & Verbi spirantis charitatem, & dirigentis voluntatem ad effectum amoris: unde Aug. dicit. 4. *de Trin. cap.* 20. Quod *tunc invisibiliter Filius unicuique mittitur, cum à quoquam cognoscitur, atque percipitur*: & Spiritus S. per modum amoris, doni, & charitatis, quia ad hoc quod aliqua Persona divina mittatur ad aliquem per gratiam, oportet, quod fiat assimilatio illius ad divinam Personam, quę mittitur, per aliquod gratiæ donum. Et quia Spiritus S. est amor, & Filius Verbum spirans amorem; per donum charitatis anima Spiritui S. assimilatur; & ideò secundùm modum charitatis attenten-

tenditur missio Spiritus S. & Filius non secundum quamlibet perfectionem intellectus mittitur, sed secundum talem instructionem intellectus, qua prorumpat in affectum amoris, ut dicitur Joan. 6. *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Unde missiones Filij & Spiritus S. dicuntur inseparabiles, quia neutra est sine gratia gratum faciente in qua communicant, nec una Persona separatur ab alia. Missio autem visibilis fit ita ut una Persona manifestetur sine altera, ut patet in mysterio Incarnationis, & in missione Spiritus S. in die Pentecostes.

§. III.

ALIA DUBIA SOLVUNTUR.

11 AN autem missio invisibilis fiat tantùm secundum donum gratiæ gratum facientis? solvendum est affirmativè cum communi sent. Theologorum, ex Aug. 3. *de Trin. cap.* 4. laud. à D. Thom. *hìc art.* 3. in *Sed contrà*, dicente: *Spiritus S. procedit temporaliter ad sanctificandam creaturam.* Cum igitur sanctificatio creaturæ non fit, nisi per gratiam gratum facientem, sequitur, quod missio invisibilis divinę Personæ non fit, nisi per gratiam gratum facientem. Ita D. Thom. ibi.

12 An autem in missione invisibili Personæ divinæ ratione gratiæ Deus det semetipsum, ita ut tota Trinitas sit specialiter etiam secundum suam substantiam in anima justi? Respondemus affirmativè contra Vazquez & alios, asserentes Personas missas non esse præsentes in anima justi præsentia speciali, sed communi immensitatis; ita ut si Deus non esset immensus, Personæ missæ non essent per gratiam realiter præsentes animæ illi ad quam dicuntur mitti.

13 Prob. ex illo ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*, ubi distinctio fit inter charitatem diffusam, & Spiritum S. datum: ergo non solum datur Spiritus S. virtualiter & secundum sua dona, sed secundum substantiam. Unde Aug. *serm.* 185. *de Temp.* ait: *Affuit Spiritus S. in hac die fidelibus, non solum per gratiam visitationis, & operationis, sed per ipsam præsentiam Majestatis, atque in vasa non jam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit unguenti.* Ubi distinguit gratiam visitationis & operationis, pertinentis ad immensitatem (proindeque causæ suos effectus producentis) à præsentia Majestatis, qua suam propriam communicat substantiam. Et *epist.* 57. *ad Dar-*

Dardan. Fatendum est, inquit, *Deum ubique esse per divinitatis præsentiam, sed non ubique per gratiam habitationis.* Ubi per ly *habitationis* alium modum specialem designat divinæ præsentiæ & existentiæ in anima justi, pręter illum qui est communis per immensitatem.

14 Ex D. Thom. hìc: *Super istum modum communem*, quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam & præsentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius, *est unus specialis, qui convenit naturæ rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Et quia cognoscendo, & amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea, sicut in templo suo.*

15 Prob. ratione ex N. Gavardi. Non minus Deus est agens immediatum, quatenus auctor naturæ, quàm quatenus auctor gratiæ: sed quatenus auctor naturæ est in omnibus rebus, quas producit actualiter: ergo quatenus auctor gratiæ est in illis subjectis, quæ supernaturaliter sanctificat: sed sanctificat tantum aliquas, non omnes creaturas: ergo sicuti ex eo, quod sit in omnibus rebus, quas creat ut auctor naturæ, arguitur modus generalis existentię Dei in rebus, ita ex eo quod sit tantum in aliquibus creaturis quas sanctificat ut auctor gratiæ, arguitur modus specialis existentiæ Dei in rebus. Maj. pat. nam Deus ut auctor naturæ est agens immediatum, quia ejus virtus est ejus substantia: sed non minus ejus substantia est sua virtus supernaturalis, quàm sit virtus naturalis: ergo. Min. princip. probata est *tom. 1. in art. de Immensitate.*

16 Conf. Si Personę divinæ essent tantum præsentes animæ ad quam invisibiliter mittuntur, quatenus producunt effectum gratiæ sanctificantis, in missione invisibili solum essent præsentes per immensitatem: sed in tali missione debent esse alio modo præsentes: ergo. Prob. min. Missio essentialiter respicit personam, & dicit exitum & processionem æternam: sed ista suadent præsentiam personalem & secundum substantiam, quia non salvantur in sola productione effectus, quæ probat præsentiam generalem, aliàs Pater diceretur missus: ergo.

17 Nota quod licèt Pater non dicatur missus, propter dicta §. ant. est tamen physice, & secundum substantiam præsens animæ, cui alię Personæ invisibiliter mittuntur; juxta illud

illud, *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Et ratio eſt, quia illa præſentia & miſsio non fit niſi ratione gratiæ & mutuæ amicitiæ Dei & hominis: fieri autem non poteſt, ut homo juſtus diligat unam Perſonam divinam, quin diligat alias: vel quod ab una diligatur, quin diligatur etiam à tota SS. Trinitate.

18 Alia ratio ſumitur ex natura amoris amicitiæ; *amor* enim *eſt virtus unitiva*, ut Dyoniſius ait; & unio eſt vel affectiva, vel effectiva: prima eſt eſſentialis amori, 2. finis amoris; nam tendit ad hoc ut amici uniantur quantum ad præſentiam realem & perſonalem; & hinc nata ſunt illa axiomata, *Amicus eſt alter ego*, *Anima plus eſt ubi amat, quàm ubi animat.* Et ſi aliquando amici non poſſunt eſſe perſonaliter præſentes, id erit ex imperfectione amoris creati, & obſtaculis extrinſecis, quibus eorum deſiderium fruſtratur.

Sed amor divinus eſt perfectiſsimus, efficax, & infruſtrabilis manente objecto dilectionis: ergo ſi per impoſsibile Deus non eſſet ubique per immenſitatem, ſed tantum in Cælo, & homo juſtus in terra; ex hoc ipſo quod juſtus Deum diligeret, neceſſe foret quod Deus viciſsim diligeret juſtum, atque ita ipſum ſibi perſonaliter uniret. Vel ergo Deus juſtum è terra elevaret ad Cælum, vel ipſemet è cælo ad terram deſcenderet, ut ſubſtantialiter unirentur. Hoc enim faceret, ſi in illa hypoteſi vellet incarnari: ergo ſimiliter reſpectu unionis amicabilis.

19 Quomodo autem de facto hæc unio phyſica, & præſentia ſubſtantialis fiat in anima juſti, explicatur ab exemplo præſentiæ animę noſtræ: hęc enim eſt nobis phyſicè pręſens per modum formæ phyſicæ; & ulterius per modum ſubjecti experimentaliter à nobis cogniti, dum experimur in nobis eſſe; prima præſentia poteſt eſſe ſine ſecunda, ut patet in dormientibus. Ad hunc modum Deus, præter illam præſentiam per immenſitatem, qua donat nobis eſſe & operari, fit in nobis novo modo phyſicè, & non ſolum intentionaliter, præſens, per experimentalem cognitionem & dilectionem, quæ radicantur in gratia. Unde D. Thom. *hic art.* 5. *ad* 2. *Signanter*, inquit, *dicit Auguſtinus quod Filius mittitur, cùm à quoquam cognoſcitur, atque percipitur. Perceptio autem experimentalem quamdam notitiam ſignificat, & hæc propriè dicitur ſapientia, quaſi ſapida ſcientia.*


Non autem oportet, quod hæc cognitio, & dilectio ſit actualis, ut ait D. Thom. *ſup. Epiſt.*

Epiſt. 1. *ad Cor. cap.* 3. *lect.* 3. *Spiritualiter*, ait, *dicitur Deus habitare tamquam in familiari domo in Sanctis, quorum mens capax eſt Dei per cognitionem & amorem, etiamſi ipſi in actu non cognoſcant & diligant, dummodo habeant per gratiam habitum Fidei & Charitatis.* Ex præcedentibus D. Thom. verbis conſtat, illam experimentalem cognitionem pertinere ad donum ſapientiæ, non ad virtutem fidei.

20 Nec contra hoc facit, quod hoc donum & alia Spiritûs S. conſequantur ad Charitatem; quia hoc tantum tenet, conſiderando illa dona *ex parte dantis*; *cum* enim *primum movens & inclinans ad dandum ſit ipſe amor, ſic datio Spiritus S. eſt prior datione Filij*: ait D. Thom. *in* 1. *diſt.* 15. *quæſt.* 4. *art.* 2. *ad* 2. Si enim conſiderentur *ex parte donorum, tunc ſimpliciter notitia præcedit amorem; & ex parte illa miſsio Filij miſsionem Spiritus S.* ait D. Thom. ibidem. Unde per donum Sapientiæ experimentalis illa cognitio percipi poteſt.

21 Dices, nullus juſtus citra revelationem poteſt eſſe certus, quod SS. Trinitas inhabitet in ipſo: ſed de quibus experimentalem notitiam habemus, certi ſumus: ergo nullus talem habet experimentalem cognitionem invisibilis miſsionis.

22 *Reſp.* quod ſi experientia ſit undequaque perfecta, ſicut in Beatis, cauſat omnimodam certitudinem; ſi autem imperfecta, ſicut in Viatoribus, non cauſat certitudinem; & ita contingit in præſenti materia; unde D. Thom. alibi ait, hanc notitiam eſſe *quaſi experimentalem*, quia ſubjectum non certum undequaque reddit, ſed conjecturaliter; ut ait *in* 1. *diſt.* 15. *quæſt.* 4. *art.* 1. *ad* 1. *Me habere actuale donum, in quo Perſona divina detur, non poſſum ſcire certitudinaliter in actu, propter ſimilitudinem actuum moralium ad actus meritorios, etſi poſsim ex aliquibus ſignis conjicere, niſi per revelationem fiat certitudo, & ideò dicit Job. Si venerit ad me, non videbo eum: ſi abierit, non intelligam*, cap. 9. *quia certitudinaliter gratia gratum faciens, in qua eſt adventus divinæ Perſonæ, cognoſci non poteſt; quamvis ipſum donum perceptum ſit in ſe ſufficienter ductivum in cognitionem advenientis Perſonæ.*



§. UL-

§. ULTIMUS.

DE VISIBILI MISSIONE Filij, & Spiritus S.

23 Missio visibilis est in duplici differentia, alia est quasi in essendo, & per veram & intrinsecam unionem creaturæ, in qua Persona divina apparet; & talis fuit missio visibilis Filij: *In terris enim visus est, & cum hominibus conversatus est: in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, per assumptionem scilicet humanæ naturæ in unitatem hypostasis divinæ. Altera est tantum in repræsentando, non per unionem veram & realem, sed per unionem signi: & talis fuit missio visibilis Spiritus S. in specie columbæ.

24 Et nota, quod Patribus veteris testamenti fuerunt factæ visibiles apparitiones; quæ quidem missiones visibiles dici non possunt, quia non fuerunt factæ ad designandum inhabitationem divinæ Personæ, sed ad aliquid aliud manifestandum: unde ait August. 2. *de Trin. cap.* 17. *in fine*: *Multa talia visa* facta sunt illis temporibus, non evidenter nominato, & designato in eis vel Patre vel Filio vel Spiritu S. sed tamen per quasdam valde probabiles significationes nonnullis indiciis existentibus, ut nimis temerarium sit dicere, Deum Patrem numquam Patribus aut Prophetis per aliquas visibiles formas *apparuisse*.

Sed ut monet *lib.* 4. *cap. ultim. in fin. Antiquis Patribus nostris* ante incarnationem Salvatoris, cum Deus apparere dicebatur, voces illæ ac species corporales per Angelos factæ sunt; sive ipsis loquentibus vel agentibus aliquid ex Persona Dei... sive assumentibus ex creatura quod ipsi non essent, ubi Deus figuratè demonstraretur *hominibus*. Et licet creaturæ visibiles sub quarum specie Spiritus S. manifestatus est in Lege gratiæ, formatæ fuerint ministerio Angelorum, non tamen ad significandum personam Angeli, sed Spiritûs S. & quia Spiritus S. erat in illis sicut signatum in signo, ideo visibiliter dicitur Spiritus S. mitti, & non Angelus.

25 Missio visibilis Filij differt à missione visibili Spiritus S. quod illa est una tantum: semel enim Filius apparuit in carne, nec aliam sumpsit figuram. Missio autem Spiritus S. est multiplex, quia pluries & sub diversis speciebus dignatus est apparere.

26 Prima species visibilis missionis Spiritûs S. fuit sub specie columbæ in Jordane,

quando Christus D. à Joanne baptizatus fuit; cui dictum fuerat: *Super quem videris Spiritum descendentem, sicut Columbam, & manentem super eum, ipse est, qui baptizat in Spiritu S.* Super quod Parens August. *tract.* 4. 5. & 6. plurima habet. Et *lib.* 2. *Trin. cap.* 5. *in fine.* Quare autem Spiritus S. apparuerit in Columbæ specie, docet *lib. de Agone Christ. cap.* 22. ubi inquiens, quod Spiritus S. non est natus de Columba, nec assumpsit naturam Columbæ, quia Columbas non venerat redimere, sicut Filius naturam humanam, quia venerat hominem liberare; sed solummodò assumpsit Columbæ speciem, ut significaret Christi innocentiam, puritatem, & charitatem, concludit: *Illa causa est, quòd non Columbas liberare venerat Spiritus S. sed hominibus significare innocentiam, & amorem spiritalem, quod in Columbæ specie visibiliter figuratum est.*

Illam autem Columbam fuisse verum animal est expressa Augustini & Thomæ sententia; ait enim Mag. Parens *ibi: Neque hoc ita* dicimus, ut Dominum Jesum Christum dicamus solum verum corpus habuisse, Spiritum S. autem fallaciter apparuisse oculis hominum: sed ambo illa corpora, vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat, ut homines falleret Filius Dei, sic non decebat, ut homines falleret Spiritus S. sed omnipotenti Deo, qui universam creaturam de nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus Columbæ sine aliorum Columborum ministerio figurare, sicut ei non fuit difficile verum corpus in utero Mariæ sine virili semine fabricare: cum natura corporea & in visceribus feminæ ad formandum hominem, & in ipso mundo ad formandam columbam imperio Domini voluntatique *serviret.*

Hac ratione & auctoritate Augustt. utitur D. Thom. *in* 3. *p. quæst.* 39. *art.* 7. licèt contrarium docuerit *in* 1. *dist.* 16. *art.* 3. *ad* 3. ut enim advertit Cajetanus in Comment. illius art. in veteribus editionibus, *tantam habuit D. Thomas reverentiam ad Augustinum, ut absque trepidatione aliqua affirmaverit, columbam illam verum fuisse animal, propter Augustini auctoritatem, potius quàm illius rationem, qua utitur D. Thom. contra suam in* 1. *dist.* 16. *art.* 3. *ad* 3. *qua tenuit, columbam illam non fuisse verum animal*: quia verò Cajetanus hanc Angelici Præcept. erga Augustinum reverentiam, imitari noluit, sed oppositum contra utrumque S. D. expressè docuit, meritò illius articuli commentarium expunctum est

ab

ab operibus D. Thom. Aliqua contra se adducit & solvit ibi S. D. quæ sola lectione indigent: nos autem Deo dante alibi hanc sententiam fusiùs & commodiùs dilucidabimus.

27 Secunda Missio fuit sub specie Nubis lucidæ in Transfiguratione Dñi in Monte; dicitur enim Matth. 17. *Et ecce Nubes lucida obumbravit eos*; ut Divinitatem in corpore Christi latentem conspiciendam videntibus, quantùm possent, ostenderet; propterea Parens August. *lib.* 3. *de Mirabil. Sac. Script. cap.* 10. *ait*: *Licèt in hac ostensione Domini facies Solari splendore fulserit, non ipsa caro splenduit, sed divinitas latens in corpore luminis sui portiunculam conspiciendam foris videntibus quantum poterat, ostendit.*

28 3. In specie aquæ, dicitur enim *Joann.* 7. *Qui credit in me.... flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Et post. *Si scires Donum Dei* (id est Spiritum S.) *& quis est qui dicit tibi*: *Da mihi bibere*; *tu forsitam petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam*; ut indicaret, ait August. 15. *Trin.* 19. Spiritum S. facere, ut homines saliant in vitam æternam. Propterea dici potest gratia Spiritûs S. lavari maculas peccatorum, candidari corda, & animas venustari, ut contigit *Samaritanæ* Peccatrici.

29 4. Fuit sub specie flatûs, seu ventûs: dicitur enim *Joann.* 20. *Insufflavit & ait*: *Accipite Spiritum S.* cùm enim esset daturus Spiritum S. in specie ignis, ut magis accenderentur amore charitatis, voluit flatum, seu ventum præcedere. Bis autem dedit Apostolis Christus Dominus Spiritum S. post resurrectionem suam, semel in terra, & semel in cœlo; ut duplici amore, Dei scil. & proximi inflammarentur. Sic docet Aug. 15. *Trin.* 26. ubi ait: *Quid vero fuerit, causæ ut post resurrectionem suam, & in terra prius daret, & de Cælo postea mitteret Spiritum S. hoc ego existimo, quia per ipsum Donum diffunditur charitas in cordibus nostris, qua diligimus Deum, & proximum secundum duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet & Prophetæ.*

30 5. Fuit in specie ignis habentis linguæ figuram; ignis quidem, quia ut inquit August. *in Psalm.* 18. *Sicut ignis venit Spiritus Sanct. fœnum carnis consumpturus, aurum cocturus, & purgaturus*; Linguæ autem omnium linguarum, ut indicaret Ecclesiam, quæ Spiritum S. verum Deum fassura erat, ædificandam esse ex omnibus linguis, id est ex omnibus gentibus; ut docet idem August. *lib.* 30. *cont. Faustum cap.* 15. ubi ait: *Ut etiam hoc signo promitteret in*

linguis omnibus, hoc est in omnibus gentibus futuram Ecclesiam, quæ illum, sicut Patrem, & Filium, verissimæ prædicaret.

Nunc jam illa sint hujus tractatus & voluminis terminus, quibus Augustinus sextum de Trinitate librum concluſsit: *In illa*, inquit, *Summa Trinitate* tantum est una, quantum tres simul, nec plus aliquid sunt duæ, quam una: Et in se infinita sunt. Ita & singula sunt in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia. Qui videt hoc vel ex parte, vel per speculum & in ænigmate, gaudeat cognoscens Deum, & sicut Deum honoret, & gratias agat: qui autem non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cęcitatem ad calumniandum. Quoniam unus est Deus, sed tamen Trinitas. Nec confusè accipiendum est, *ex quo omnia, per quem omnia*: nec diis multis, sed *ipsi gloria in sęcula sęculorum, Amen.*

Omnia sub correctione Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ.

FINIS TOMI II.

IN-

INDEX
OMNIUM LIBRORUM, ET TRACTATUUM,

QUI IN OPERIBUS MAGNI PARENTIS Auguſtini continentur, ordine alphabetico digeſtus, cum remiſsionibus & collatione tam veteris, quàm noviſsimæ editionis.

EDITIO NOVA. || EDIT. LOVAN.

A

De duodecim Abuſionum gradibus.
App.T.VI.pag.211. || App.T.IX. || 395.

De Actis cum Felice Manichæo, lib. 2.
T.VIII.p.471. || T.VI. 471.

Contra Academicos lib.3.
T.I. 249. || T.I. 175.

Contra Adimantum Manichęi diſcipulum liber 1.
T. VIII. 3. || T. VI. 72.

De Aſcenſione Domini Sermo extra ordinem. In nova editione primò vulgatus.
T.V. 1521. ||

De Adverſitate temporali
App.T.V. 500. || T.X.ſerm.111.

De conjugiis Adulterinis lib.2.
T. VI. 387. || T. VI. 350.

EDITIO NOVA. || EDIT. LOVAN.

In Adulteros
App.T.V.478. || In ſerm.ex Vig- || ner.ſer.37.

De eſu Agni
App.T.VI. 285. || App.T.X. Ed. || Par.375.

De Agone Chriſtiano lib. 1.
T.VI. 245. || T.III. 286.

De Agri Dominici cultura
T.VI. 597. || T.IX. 316.

Altercatio Auguſtini cum Paſcentio
App.T.II. 41. || T.II.App.Epiſt. || 178.

Dialogus de Altercatione Eccleſiæ & Synagogæ.
App.T.VIII.19. || App.T.VI.367.

De Amicitia
App.T.VI.65. || App.T.IV.528.

De Amore Dei & Amore ſeculi.
T.V. 1329. || Ex Sirmondianis || ſer.31.

De Amore hominis in hominem
T.V.1487. || In ſerm.ex Sirmon. || ſer.32.

Anastasij ad Landuleum Epistola de subsequente scriptura. Scriptura de detectione ac translatione S. Stephani in urbem Bizantium, quam Anastasius Latinitate donavit.
App.T.VII. 11. || App.T.X.630.
De Anima & ejus origine contra Vincentium Victorem lib.4.
T.X. 338. || 2.part. T.VII.481.
De duabus Animabus contra Manichæos lib.1.
T.VIII. 75. || T.VI. 58.
De Spiritu & Anima
App.T.VI. 35. || App.T.III.410.
De immortalitate Animæ lib.1.
T.I. 387. || T.I. 242.
De quantitate Animæ lib.1.
T.I. 401. || T.I. 248.
Annotationum in Job lib.1.
1.part. T.III. 625. || T.IV.393.
De Antichristo
App.T.VI.243. || App.T.IX.454.
In B. Joann. Apocalipsim expositio.
App.T.III.159. || App.T.IX.352.
Sermones de verbis Apostoli.
T.V. variis in loc. || T.X. à p.93.
Arausicani Concilij Canones.
App. T.X. 157. || App. 2. part. || T.VII. 595.
De libero Arbitrio lib.3.
T.I. 569. || T.I. 265.
De libero Arbitrio & gratia.
T.X. 718. || 2.part. T.VII.517.
De Arbore scientiæ boni & mali.
App.T.V. 1. || T.IX. 452.
Opera polemica adversùs Arianos.
T.VIII. || T.III. & VI.
Sermo contra Arianos.
T.V. 1313. || T.X. serm. 40. || de Tempore.
De Trinitate, sive de Scripturis veteribus & novis contra Arianos.
T.V. 1485. || T.X. 93.
Sermo contra Judæos, Paganos, & Arianos.
App.T.VIII. 11. || T.VI. 23.
Sermo Arianorum
T.VIII. 621. || T.VI. 272.
Contra Sermonem Arianorum lib.1.
T.VIII. 625. || T.VI. 274.
De Auguriis
App.T.V.462. || T.X. serm.241. || de Temp.
De Assumptione B. Mariæ.
App.T.VI.249. || App.T.IX.421.
Augustini vita Auctore Possidio.
App.T.X.258. || T.I.
Indiculus librorum, tractatuum, & Epistolarum Augustini, cura Possidij editus.
App. T.X. 281. || T.I.

B

DE Baptismo contra Donatistas lib.7.
T.IX. 79. || 1.part. T.VII. 32.
De unico Baptismo contra Petilianum.
T.IX. 527. || 1.part.T.VII. 82.
De peccatorum meritis & remissione, & de Baptismo parvulorum ad Marcellinum lib.3.
T.X. 1. || 2.part.T.VII.277.
De mysteriis Baptismatis sermones 3.
App.T.VI. 288. || App.T.X. ex Vignerio.

De

De tempore Barbarico.
T. VI. 608. || T. IX. 322.
De vita Beata.
T. I. 297. || T. I. 212.
De Benedictionibus Jacob Patriarchæ.
App. T. III. 31. || App. T. III. 427.
De natura boni contra Manichæos lib. 1.
T. VIII. 502. || T. VI. 228.
De bono conjugali.
T. VI. 319. || T. VI. 330.
De Bono Disciplinæ
App. T. VI. 295. || App. T. IX. 425.
De Bono viduitatis.
T. VI. 369. || T. IV. 321.
Ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum, lib. 4.
T. X. 411. || 2. part. T. VII. 450.
Augustini nomine ad Bonifacium, & contrà, epistolæ breviores sexdecim.
App. T. II. 1. || App. T. II. 371.
Breviculus Collationis cum Donatistis.
T. IX. 545. || 1. part. T. VII. 215.

C

EPistola Cælestin. Pont. pro August.
App. T. X. 131. || App. 2. part. T. VII. 504.
Sermo ad Cæsareensis Ecclesię plebem Emerito præsente dictus.
T. IX. 617. || 1. part. T. VII. 247.
Homiliæ plurimæ Sancti Cæsarij Arelatensis.
T. V. var. in loc. ||
De Cantico Exodi.
T. V. 1437. || Serm. 2. ex additis à Sirmon.
De Cantico novo tractatus 1.
T. VI. 590. || T. IX. 313.
De Castitate
App. T. V. 481. || App. T. X. ser. 243. de Temp.
De Castitate & munditia.
App. T. V. 485. || T. X. serm. 249. de Temp.
De Castitate Conjugali.
App. T. V. 486. || T. X. ser. 244. de Temp.
De sobrietate & Castitate
App. T. VI. 227. || App. T. IX. 435
De Cataclysmo tractatus I.
T. VI. 602. || T. IX. 318.
De Catechizandis rudibus lib. 1.
T. VI. 263. || T. IV. 295.
Categoriæ decem
App. T. I. 21. || App. T. I. 111.
De rectitudine Catholicæ conversationis
App. T. VI. 265. || App. T. IX. 444.
Epistola ad Catholicos contra Donatistas, vulgò de unitate Ecclesiæ lib. 1.
T. IX. 337. || 1. part. T. VII. 141.
De Charitate, seu laudibus Charitatis.
T. V. 1348. || T. IX. 326.
Item App. T. VI. 298. ||
De Charitate & Cæco illumina-to.
T. V. 1345. || T. X. serm. 52. de Temp.
De Pace & Charitate.
T. V. 1395. || Ex Sirmond. serm. 36.
De dilectione Charitatis & odio Cupiditatis.
App. T. V. 444. || T. X. ser. 8. ex homil. L.

De decem Chordis lib. 1.
T. V. || T. IX. 268.
Quare natus & passus sit Christus.
App. T. V. 404. || T. X. de Sanctis || 19. & in App. 75
Quòd Christianorum tempora prædicta sint.
App. T. V. 528. || T. X. ser. 35. || ex homil. L.
De Christiano nomine cum operibus non Christianis
App. T. V. 436. || T. X. serm. || 215. de Temp.
Quales sint Christiani boni & mali.
App. T. V. 438. || T. X. ser. 216. || de Temp.
De vita Christiana.
App. T. VI. 183. || App. T. IX. 416.
De Civitate Dei contra Paganos lib. 22.
T. VII. || T. V.
De vita & moribus Clericorum suorum 2. Sermones.
T. V. 1379. || T. X. ser. 49. de || Diversis.
Regulæ Clericis traditæ fragmentum.
App. T. I. 39. || App. T. I. 366.
De cognitione veræ vitæ.
App. T. VI. 169. || App. T. IX. 401.
Breviculus Collationis cum Donatistis.
T. IX. 545. || 1. part. T. VII. 215.
Post Collationem ad Donatistas lib. 1.
T. IX. 581. || 1. part. T. VII. 232.
Collatio cum Maximino Arianorum Epifcopo, aliàs lib. 1. cont. Maxim.
T. VIII. 649. || T. VI. 283.
Liber contra Collatorem
App. T. X. 171. || App. 2. part. || T. VII. 582.
Commonitorium (vulgo Augustini) de recipiendis Manichæis qui convertuntur.
App. T. VIII. 37. || App. T. X. edit. || Par. 377.
Ad Competentes sermo exhortatorius.
App. T. V. 439. || T. X. ser. 116. || de Temp.
De nuptiis & Concupiscentia ad Valerium lib. 2.
T. X. 279. || T. VII. 2. p. 343.
De Confessione peccatorum
App. T. V. 415. 417. || T. X. ser. 12 || ex hom. L.
Confessionum lib. 13.
T. I. 69. || T. I. 28.
De bono Conjugali lib. 1.
T. VI. 319. || T. VI. 330.
Ad Conjugatos sermo.
T. V. 1503. || T. X. ser. 49. ex || hom. L.
De consensu Evangelistarum lib. 4. 2. part. T. III. 1. || T. IV. 160.
De Contemptu mundi.
App. T. VI. 293. || App. T. IX. 423.
Ad Continentes sermo.
T. V. 1375. || T. X. ser. 53. de || Verbis Dom.
De Continentia lib. 1.
T. VI. 297. || T. IV. 308.
De Contritione Cordis.
App. T. VI. 131. || App. T. IX. 399
De convenientia decem plagarum, & 10. præceptorum.
T. V. 41. || T. IX. 326.
De Correptione & gratia lib. 1.
T. X. 750. || 2. p. T. VII. 531.

De Correptione proximi.
T.V. 1493. || T.X. ser. 5. ex ho= || mil.L.
De utilitate credendi ad Honoratum lib.1.
T.VIII. 45. || T. VI. 34.
Contra Cresconium grammaticum Donatistam lib.4.
T. IX. 389. || 1.part.T.VII. 161.
Sermones de Consolatione mortuorum.
App.T.VI.259. || App.T.IX.432
De Cultura agri Dominici.
T. VI. 597. || T. IX. 316.
De Cura pro mortuis gerenda lib. 1.
T. VI. 515. || T. IV. 288.
Augustini nomine ad Cyrillum, & contrà, de laudibus Hieronymi.
App. T.II.18. || App.T.II. epist. || 18.

D

De definitionibus orthodoxæ fidei lib. 1.
App.T.VIII.75. || App.T.III.380
Ad Demetriadem Pelagij epistola
App. T. II. 5. || T. II. 372.
Principia Dialecticæ
App. T. I. 15. || App.T.I. 111.
Dialogus LXV. quæstionum.
App. T.VI. 7. || App.T.IV.420.
De substantia Dilectionis.
App.T.VI. 71. || App.T.IV.510
De diligendo Deo.
App.T.VI. 75. || App.T.IX.367.
De Disciplina Christiana tractatus 1.
T. VI. 581. || T. IX. 310.
De bono Disciplinæ.
App.T.VI.295. || App.T.IX.425.
De Diversis Sermones
T. V. || T.X. 446.
De Divinatione Dæmonum lib. 1.
T.VI. 505. || T.III. 321.
De essentia Divinitatis.
App.T.VIII.67. || App.T.IV.504
De Doctrina Christiana lib.4.
1.part. T.III. 1. || T. III. 3.
De salutaribus Documentis.
App.T.VI.193. || App.T.IV.518
Liber de Ecclesiasticis Dogmatibus.
App.T.VIII.71. || App.T.III.380
De Dominica & aliis Diebus festis piè celebrandis.
App.T.V. 466. || T.X. ser.251. || de Temp.
Opera polemica contra Donatistas.
T.IX. || T.VII. 1.p.
Excepta & scripta vetera ad Donatistarum historiam pertinentia.
App.T.IX. 11. || App. 1. p, T. || VII. 271.
De quodam Donatista qui reversus est ad Ecclesiam.
T.V. 1405. || serm. 38. ex Sir= || mon.
De lite & concordia cum Donatistis.
T.V. 1398. || T. X. serm. 91. || de Diversis.
De septem vitiis & septem Donis Spiritùs S.
App.T.VI. 217. || ex supplemen= || to Vignerij.
De octo Dulcitij quæstionibus lib. 1.
T.VI. 121. || T.IV. 280.

E

In Ebrietatis malum II. ſermones.
App.T.V. 490. || T.X. ſer.231. || de Temp.

Liber de Eccleſiaſticis Dogmatibus.
App. T.VIII. 71. || App. T.III. || 380.

De moribus Eccleſiæ Catholicæ
T. I. 587. || T. I. 319.

In illud, Ego ſum qui ſum.
T. V. 37. || T. VI. 365.

De faciendis Eleemoſynis 3. ſermones.
T. V. 1495. || T. X. ſerm. 19. || ex homil. L.

Plures alij.
App. T. V. 514. || T. X. ſerm. 228. || de Temp.

De Geſtis cum Emerito
T. IX. 625. || 1. part. T. VII. 250.

De generalitate Eleemoſynarum
App. T. VI. 300. || App. T. X. edit. || Par. ex Vign.

Enchiridion de fide, ſpe, & charitate lib. 1.
T. VI. 195. || T. III. 85.

De Epicureis & Stoicis
T. V. 711. || T. VI. 363.

Epiſtolę 270. ſecundum temporum ordinem diſpoſitæ.
T. II. || T. II.

Expoſitio Epiſt. ad Roman. inchoata.
2. p. T. III. 925. || T. IV. 360.

Expoſitio quarumdam propoſitionum ex Epiſtola ad Romanos lib. 1.
2. part. T. III. 903. || T. IV. 367.

Expoſitio Epiſtolæ ad Galatas lib. 2. part. T. III. 941. || T. IV. 376.

In Epiſtolam Joannis tractatus 10.
2. part. T. III. 825. || T. IX. 236.

Contra duas Epiſtolas Pelagianorum libri ad Bonifacium IV.
T. X. 411. || 2. p. T. VII. 450.

Contra Epiſtolam Parmeniani lib. 3.
T. IX. 11. || 1. p. T. VII. 6.

Contra Epiſtolam Petiliani lib. 3.
T. IX. 205. || 1. p. T. VII. 89.

Sermo Eraclij præſente Auguſtino habitus.
T. V. 1523. in nova edit. additus.

De vita Eremitica ad ſororem
App. T. I. 41. || App. T. I. 367.

Sermonum ad Fratres in Eremo, aliqui
T. V. || App. T. X. 712.

Sermones ad Fratres in Eremo.
App. T. VI. 305. || App. T. X. 712.

Quæſtionum Evangeliorum lib. 2.
2. part. T. III. 327. || T. IV. 141.

Quæſtionum 17. in Evang. ſecund. Matth. lib. 1.
2. part. T. III. 277. || T. IV. 156.

In Evangelium Joannis tractatus 124.
2. part. T. III. 289. || T. IX. 3.

F

Contra Fauſtum Manichæum lib. 33.
T. VIII. 183. || T. VI. 89.

De Actis cum Felice Manichæo lib. 2.
T. VIII. 471. || T. VI. 206.

Contra Felicianum Arianum de Fide Trinitatis liber.
App.T.VIII. 39. || T.VI. 323.
De quarta Feria tractatus I.
T.VI. 597. || T. IX. 316.
De Fide & operibus lib.1.
T. VI. 165. || T.IV. 25.
De Fide rerum quę non videntur lib.1.
T.V. 141. || App. T.IV. 507.
De Fide contra Manichæos liber Euvodio tributus.
App.T.VIII. 25. || T.VI. 236.
De Fide Catholica IV. Sermones.
App.T.V.384. || T.X.deTemp.6. || & 125. 129. 191
Expositio Fidei & interpretatio nominis ejus
App.T.V. 433. Cæsarij serm.65.
Liber de Fide ad Petrum
App.T.VI. 19. || App.T.III.384.
De Fine sæculi lib.1.
T.II. 742. || T.II. epist.80.
Acta seu disputatio contra Fortunatum Manichæum lib.1.
T. VIII. 93. || T. VI. 65.
Fragmenta.
T.V. || T. X. 615.
Fragmenta in nova editione addita XVI. T.V.
Contra Fulgentium Donatistam incerti auctoris liber.
App.T.IX. 1. || App.1.p.T.VII. || 271.
Contra epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti lib.1.
T.VIII. 151. || T. VI. 45.

G

Responsiones ad capitula calumniantium Gallorum
App. T. X. 198. || App. 2. part. || T. VII. 573.
Contra Gaudentium Donatistam Episcopum lib.2.
T.IX.635. || 1.part.T.VII. 54.
De Genesi contra Manichæos lib.2
T. I. 645. || T. I. 345.
De Genesi ad litteram imperfectus lib.1.
1.part. T.III. 93. || T. III. 188.
De Genesi ad litteram lib.12.
1.part. T.III. 117. || T.III. 198.
Responsiones ad excerpta, quæ de Genuensi civitate sunt missa.
App.T.X.214. || App.T.VII.579.
De Grammatica liber
App. T. I. 1. || App. T. I. 100.
De Gratia novi testamenti.
T. II. 422. || T. II. epist. 120.
De Gratia Christi & de peccato originali contra Pelagium, ad Albinam, Pinianum, & Melaniam lib.2.
T.X. 230. || 2.part.T.VII. 325.
De Gratia & libero arbitrio ad Valentinum & cum illo Monachos Adrumetinos lib.1.
T.X. 718. || 2.part.T.VII. 517.
De correptione & Gratia ad eosdem lib.1.
T.X. 750. || 2.part.T.VII. 531.
Liber suspecti auctoris de Prædestinatione & Gratia
App.T.X. 50. || App.2. part. T. || VII. 616.

H

De triplici Habitaculo.
App. T. VI. 159. || App. T. IX. 391.
De Hæresibus, ad Quodvultdeum lib. 1.
T. VIII. 1. || T. VI. 5.
Tractatus contra quinque Hæreses.
App. T. VIII. 1. || T. VI. 15.
Quæstionum in Heptateuchum lib. 7.
1. part. T. III. 379. || T. IV. 37.
Homiliæ quinquaginta.
T. V. || T. X. 35.
De Hominis creatione.
App. T. VI. 292. || App. T. IX. 452
De Honestate mulierum.
App. T. V. 488. || T. IX. 326.
De Humilitate & timore Domini
App. T. V. 499. || T. X. ser. 213. || de Temp.
Quod Scripturæ Humiles benedixerint, & superbos maledixerint.
App. T. V. 496. || ex Vigner. || ser. 39.
Hypomnosticon contra Pelagianos & Cœlestianos, vulgò liber Hypognosticon.
App. T. X. 6. || App. 2. part. T. VII. 597.

I

De sententia Jacobi lib. 1.
T. II. 594. || T. II. epist. 29.
Ad inquisitiones Januarij lib. 2.
T. II. 123. || T. II. epist. 118.
De utilitate Jejunij tractatus 1.
T. VI. 613. || T. IX. 336.
De Incarnatione Verbi ad Januarium libri duo ex Origene collecti.
App. T. VIII. 51. || App. T. IV. || 492.
De mysterio Trinitatis & Incarnationis 2. sermones.
App. T. V. 400. || T. X. ser. 58. de || Verb. Dom.
In die octavarum Infantium.
T. V. 1372. || T. X. serm. 20. ex || 50. homil.
De dilectione inimicorum.
T. V. 1491. || T. X. ser. 170. de || Temp.
Alij duo sermones.
App. T. V. 447. || ser. 168. de Temp. || & 6. ex L. hom.
Annotationum in Job lib. 1.
1. part. T. III. 625. || T. IV. 393.
In Joannis Evang. tractatus 124.
2. part. T. III. 289. || T. IX. 3.
In Epist. Joann. ad Parthos tractatus 10.
2. part. T. IV. 825. || T. IX. 236.
De Susana & Joseph.
T. V. 1323. || ex Carthus. M. S. || ser. 2.
Tractatus adversùs Judæos.
T. VIII. 29. || T. VI. 39.
De extremo Judicio 3. Sermones.
App. T. V. 409. || 67. de Temp. de || Sanctis 39. 40.
Contra Julianum hæresis Pelagianæ defensorem lib. 6.
T. X. 498. || 2. part. T. VII. || 365.
Contra secundam Juliani responsio-

sionem imperfectum opus sex libros complectens.
T. X. 874. || ex supp. Vignerij.
Ad Juvenes sermo.
T. V. 1500. || T. X. de Temp. || ser. 246.

L

De Lectione & meditatione legis Dei.
App. T. V. 507. || T. X. ser. 112. || de Temp.
Ut populi Lectiones divinas audire studeant.
App. T. V. 508. || Cæsarij ser. 97.
Contra adversarium Legis & Prophetarum lib. 2.
T. VIII. 549. || T. VI. 243.
De Libero arbitrio lib. 3.
T. I. 569. || T. I. 265.
De gratia & Libero arbitrio ad Valentinum, & cum illo Monachos Adrumetinos, lib. 1.
T. X. 718. || 2. part. T. VII. 517.
Locutionum libri 7.
1. part. T. III. 325. || T. III. 41.

M

DE Magistro lib. 1.
T. I. 541. || T. I. 232.
Expositio cantici Magnificat.
App. T. VI. 247. || App. T. IX. 455
De Moribus Manichæorum lib. 1.
T. I. 687. || T. I. 319.
De Mandatis Dei servandis.
App. T. V. 441. || T. X. App. 1.
Manuale
App. T. VI. 135. || App. T. IX. 385
De Martyribus vel Phylacteriis.
App. T. V. 464. || ex Vigner. 29.
Collatio cum Maximino Arianorum Episcopo, alias lib. 1. contra Maxim.
T. VIII. 649. || T. VI. 283.
Contra eumdem Maximinum Arianum lib. 2.
T. VIII. 667. || T. VI. 283.
Meditationes.
App. T. VI. 107. || T. IX. App. 334
De Mendacio lib. 1.
T. VI. 419. || T. IV. 3.
Contra Mendacium lib. 1.
T. VI. 447. || T. IV. 14.
De Mirabilibus Sacræ Scripturæ lib. 3.
App. T. III. 1. || App. T. III. 394.
De Miraculis S. Stephani ad Evodium lib. 2.
App. T. VII. 25. || App. T. X. 632.
De opere Monachorum lib. 1.
T. VI. 475. || T. III. 293.
De Moribus Ecclesiæ & de Moribus Manichæorum.
T. I. 687. || T. I. 319.
De cura pro Mortuis gerenda lib. 1.
T. VI. 515. || T. IV. 288.
De Mortuorum consolatione
App. T. VI. 259. || App. T. IX. 432.
De contemptu Mundi.
T. V. 1334. || App. T. IX. 423.
Item App. T. VI. 293.
De incauta familiaritate extraneorum Mulierum.
App. T. V. 488. || T. X. serm. 250. || de Temp.
De Mulierum honestate sermo.
Idem qui supra.
De Musica lib. 6.
T. I. 443. || T. I. 133.

N

De natura & gratia contra Pelagium ad Timasium & Jacobum lib. 1.
T. X. 127. || 2. part. T. VII. 310.
Sermones ad Neophytos
App. T. VI. 287. || à Jacobo Sirmondo editi.
De eo quod Neophytis ex oleo sancto aures & nares à Sacerdotibus illiniantur.
App. T. VI. 288. || ex Sirmond.
De unctione capitis & de pedibus eorum lavandis.
App. T. VI. 291. || ex Sirmond.
De Nuptiis & concupiscentia ad Valerium lib. 2.
T. X. 279. || 2. part. T. VII. 343.

O

De Obedientia.
App. T. VI. 298. || App. T. IX. 426. ||
Opus imperfectum contra secundam Juliani responsionem sex libros complectens.
T. X. 874 || ex Vignerij supplem.
De Opere Monachorum.
T. VI. 475. || T. III. 293.
De fide & Operibus.
T. VI. 165. || T. IV. 25.
Oratio adversus Judæos.
T. VIII. 29. || T. VI. 30.
Orandum esse attentè & de sermonibus otiosis.
App. T. V. 471. || Cæsarij ser. 82.
Ut genua flectantur in oratione, & de verbis otiosis vitandis.
App. T. V. 475. || Cæsar. serm. 85.
In die anniversaria Ordinationis episcopalis.
T. V. 1484. || T. X. ser. 24. ex || hom. 50.
De Ordinationis Aug. die.
T. V. 1308. 1311. || ibi ser. 25.
De Ordine lib. 2.
T. I. 315. || T. I. 195.
Ad Orosium contra Priscillianistas & Origenistas lib. 1.
T. VIII. 611. || T. VI. 268.
De Ovibus.
T. V. 248. || T. IX. 283.

P

Sex quæstiones contra Paganos.
T. II. 273. || T. II. epist. 49.
De Scala Paradisi
App. T. VI. 169. || App. T. IX. 393.
Contra Parmenianum lib. 3.
T. IX. 11. || 1. part. T. VII. 6.
Pascentij altercatio cum Augustino.
App. T. II. 41. || T. 11. epist. 178.
De Pastoribus.
T. V. 225. || T. IX. 274.
De Patientia lib. 1.
T. VI. 533. || T. IV. 316.
Sermones duo de Pace, instante collatione cum Donatistis.
T. V. 1391. || ex Sirmond. ser. 35.
De laude Pacis.
idem qui supra. ||
Peccatoris speculum.
App. T. VI. 155. || App. T. IX. || 437.

De Peccato originali contra Pelagium.
T. X. 230. || 2.part.T.VII. 325.
De Peccatorum meritis.
T. X. 1. || 2. part.T.VII. 277.
De gestis Pelagij ad Aurelium lib. 1.
T.X. 191. || 2.part.T.VII. 324.
Contra duas epistolas Pelagianorum, libri ad Bonifacium IV.
T.X. 411. || 2.part.T.VII. 450.
Opera Polemica contra Pelagianos.
T.X. || T.VII. 2.p.
De Peregrinatione nostra in hac vita per fidem.
T.V. 1338. || Nunc primò vulgatus.
De Perfectione justitię hominis, epistola seu liber ad Eutropium & Paulum.
T.X. 167. || 2.part.T.VII. 508.
De dono Perseverantiæ liber.
T.X. 822. || 2.part.T.VII. 558.
Contra litteras Petiliani lib. 3.
T.IX. 205 || 1. part.T.VII. 89
De Martyribus vel Phylacteriis.
App.T.V. 464. || ex Vigner. 29.
De Pœnitentia IX. Sermones.
App.T.V. 417. || T.X. ser. 66. || de Temp.
De utilitate agendæ Pœnitentiæ 2. Sermones.
T.V. 1350. 1363. || T. IX. 332. || & 50. ex 50.hom.
De Pœnitentibus.
T.V. 1506. || T.X.serm.41.inter || hom.50.
De vera & falsa Pœnitentia.
App.T.VI.231. || App.T.IV.511
De Prædestinatione Sanctorum ad Prosperum & Hilarium liber.
T.X. 790. || 2.part.T.VII.546.
Liber suspecti auctoris de Prædestinatione & Gratia.
App. T.X. 50. || App. 2.part. T. || VII. 616.
Libellus incerti auctoris de Prædestinatione Dei.
App. T.X. 59. || App.2.part. T. || VII. 620.
De Præscientia Dei lib. 1.
T. II. 678. || T. II. epist. 57.
Prosperi Aquitani pro Augustino contra iniquos doctrinæ ipsius de gratia & Prædestinatione reprehensores apologetica opuscula, scilicet.
Liber contra Collatorem.
App. T.X. 171. || App. T.VII. || 582.
Responsiones ad capitula calumniantium Gallorum lib. 1.
App. T.X. 198. || App.2.part.T. || VII. 573.
Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum lib. 1.
Ibid. 207. || ibi 577.
Responsiones ad excerpta quæ de Genuensi Civitate sunt missa lib. 1.
Ibid. 213. || App.T.VII. 579.
Ejusdem liber sententiarum ex Augustino.
App.T.X.223. || App.T.III.428.
Enarrationes in Psalmos.
T. IV. || T. VIII.
Psalmus contra partem Donati.
T. IX. 1. || 1. part. T. VII. 3.
Psalterium quod Augustinus Matri suę composuisse fertur.
App. T.VI. 245. || T.IX. 332.

De quadam Psallendi consuetudine.
App. T. V. 473. || Cæsarij serm. 183.

De Purgatoriis Pœnis & inferni Puteo.
App. T. V. 413. || T. X. serm. 40. de Sanctis.

De Pugna animæ.
T. V. 627. || T. IX. 332.

Q

QUæstiones sex contra Paganos.
T. II. 273. || T. II. Epist. 49.

Quæstionum in Heptateucum, seu de divinis libris lib. VII.
1. part. T. III. 379. || T. IV. 37.

De diversis Quæstionibus ad simplicianum lib. 2.
T. VI. 81. || T. IV. 264.

De diversis Quæstion. LXXXIII. lib. 1.
T. VI. 1. || T. IV. 229.

Quæstiones veteris & novi Testamenti.
App. T. III. 41. || App. T. IV. 426.

Quæstiones veteris & novi Testamenti post vulgatæ.
App. T. III. 143. || App. T. IV. 478.

De octo Dulcitij Quæstionibus.
T. VI. 121. || T. IV. 280.

Quæstionum 98. Evangelicarum lib. 1.
2. part. T. III. 237. || T. IV. 141.

Quæstionum 17. Evangelicarum secundùm Matthæum.
2. part. T. III. 277. || T. IV. 156.

Quæstiunculæ de Trinitate.
App. T. VIII. 49. || App. T. III. 426.

R

DE Rectitudine catholicæ conversationis.
App. T. VI. 265. || App. T. IX. 444.

Regula ad servos Dei.
T. I. 789. || T. I. 363.

Regula secunda.
App. T. I. 39. || App. T. I. 366.

Regulæ Clericis traditæ fragmentum.
App. T. I. 39. || App. T. I. 366.

De vera Religione lib. 1.
T. I. 747. || T. I. 299.

De Remissione pecatorum.
T. X. 1. || 2. part. T. VII. 277.

Responsiones ad capitula calumniantium Gallorum.
App. T. X. 198. || App. 2. part. T. VII. 573.

Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum.
App. T. X. 207. || App. 2. part. T. VII. 577.

Responsiones ad excerpta, quæ de Genuensi Civitate sunt missa.
App. T. X. 214. || App. T. V. 579.

De Resurrectione mortuorum 11.

Sermones.
T. V. 1406. || T. X. serm. 19. de Diver.

Retractationum lib. 2.
T. I. 1. || T. I. 3.

De Revelationibus S. Stephani.
App.T.VII.1. || App.T.X.630.
Principia Rhetorices.
App. T. I. 33. || App. T.I.128.
Epistolæ ad Romanos inchoata exposítio lib. 1.
2.part.T.III.925. || T.IV. 360.
Sermo de Rusticiano subdiacono à Donatistis rebaptizato & in diaconum ordinato.
T. IX. 677. || Ex supplem. || Vignerij.

S

DE Sacrificio vespertino.
T.V.1320. || ex Sirmond.8.
De Scala paradisi.
App.T.VI. 169. || App. T. IX. || 393.
De fine Sæculi.
T. II. 742. || T. II. Epist. 80.
De vanitate Sæculi.
App.T.VI.292. || App.T.IX.425.
De Salutaribus documentis.
App.T.VI.193. || App. T. VI. || 518.
De Samsone.
T. V. 1441. || T.X.serm.107.de || Temp.
De Sacræ Scripturę mirabilibus, lib. 3.
App. T.III. 1. || App.T.III.394.
Contra Secundinum Manichæum, lib. 1.
T. VIII. 523. || T. VI. 219.
Prosperi liber Sententiarum ex Augustino.
App. T. X. 223. || App. T. III. || 428.

Liber XXI. Sententiarum.
App. T. VI. 1. || App. T. IV. || 417.
Sermones ad populum habentur, in quatuor classes distributi.
T. V. || T. X.
Sermones de Scripturis veteris & novi Testamenti secundum ordinem Scripturæ.
T. V. || T. X.
Sermones de verbis Domini.
T. V. || T. X. 3.
De Sermone Domini in monte, lib. 2.
2. part.T.III.165. || T.IV. 329.
Sermones de Sanctis secundum ordinem festorum.
T. V. || T. X. 404.
Sermones de Tempore.
T. V. || T. X. 208.
Sermone de diversis.
T. V. || T. X. 446.
Sermones 17.à Parisiensibus editi.
T. V. || T. X. 431.
Sermones XI. ex majoris Carthusiæ manuscriptis.
T. V.
Sermones à Jacobo Sirmundo additi.
T. V.
Sermones ab Hieronymo Vignerio additi in prima & secunda parte Suplementi.
T. V.
Sermones quoque hìc nunc primum vulgati numero XVIII
T. V.
Sermones dubij, qui scilicet non certò habendi videntur pro Augustinianis, in quinta classe.
T. V. || T. X.

Sermones Suppositij, quaternis similiter clasibus comprehensi.
App. T.V. || App. T.X.

De Sepultura Domini.
App. T.V. 408. || T. X. serm. 133.de Temp.

De Sobrietate & castitate.
App. T. VI. 227. || App. T. IX. 435.

Soliloquiorum, lib. 2.
T.I. 355. || T.I. 219.

Soliloquia.
App. T.VI.85. || App.T.IX.373.

Speculum.
1.part.T.III.681. || T.III. 324.

Speculum.
App. T. VI. 145. || App. T. IX. 410.

Speculum peccatoris.
App.T. VI. 155. || App. T. IX. 437.

De Spiritu & littera, lib. 1.
T. X. 86. || 2.part.T. III.309.

De Spiritu & anima, lib.1.
App.T.VI.35. || App.T.III.410.

De Stoicis & Epicureis.
T. V. 711. || T. VI. 363.

De Susana & Joseph.
T. V. 1323. || ex Carthus. 2.

De Symbolo ad Cathecumenos tractatus 4.
T. VI. 547. || T. IX.291.

Item de Symbolo 7. Sermones.
App.T.V. 390. || serm.de Temp. 192.& seq.

Item de Symbolo.
App.T.VI.278. || App.T.X.687.

De Symboli fide & bonis moribus.
App.T.V.399. || T.X. serm.195. || de Temp.

T

De Tempore barbarico.
T.VI. 608. || T. IX. 322.

De Timore Dei.
T. V. 1340. || T. X. serm. 17. || de Sanctis.

De Trinitate libri 15.
T.VIII. 749. || T.III. 85.

De Trinitate sive de Scripturis veteribus & novis contra Arianos.
T.V. 1485. || T. X. serm. 1. de || Verb. Apost.

Quæstiones de Trinitate & Genesi ex Alcuino descriptæ.
App.T.VIII. 49. || App. T.III. 426.

Liber de Trinitate seu unitate Dei.
App.T.VIII.63. || App.T.IV.497

Dialogus de unitate Trinitatis.
App.T.VIII.71. || App.T.X.edit. || Par.377.

De Sancta Trinitate.
App. T.V. 381. || T. X. serm. 189.de Temp.

De Mysterio Trinitatis & Incarnationis 2. Sermones.
App. T.V. 400. || T.X. serm.3. || de Temp.

Quæstiunculæ de Trinitate.
App. T.VIII. 49. || App. T.III. 426.

V

De *Vanitate sæculi.*
App.T.VI. 292. || App. T. IX. 425.

Qua-

Qualiter excipiendum Dei Verbum
App.T.V. 504. || T.X.ſerm.26.
|| ex 50.homil.
De verbis Apoſtoli ſermones
T.X. variis in loc. || T.X. 93.
De Verbis Domini ſerm.
T. X. variis in loc. || T.X. 3.
De Videndo Deo.
T.II. 474. || T.II. epiſt.112.
De bono viduitatis lib.1.
T.VI. 369. || T.IV. 321.
De anima & ejus origine contra Vincentium Victorem lib. 4.
T. X. 338. || 2.part.T.VII.481.
Reſponſiones ad capitula objectionum Vincentianarum.
App.T.X.207. || App.T.VII.577
Quare ſancti Viri in hoc ſæculo in peccatoribus vindicaverint.
App. T.V. 457. || ſerm. 38. ex
|| Vigner.
De ſancta Virginitate lib.1.
T.VI. 341. || T. VI. 338.
De Viſitatione infirmorum lib. 2.
App.T.VI.253. || App.T.IX.428
De beata Vita lib. 1.
T.I. 297. || T. I. 212.
Ad eos qui putant quòd illis ad Vitam æternam ſufficiat, ſi malè non fecerint.
App. T.V. 431. || Cæſarij ſer. 64.
De Vita Chriſtiana.
App.T.VI.145. || App.T.IX.416
Vitæ veræ cognitio.
App.T.VI.169. || App.T.IX.401
Auguſtini Vita auctore Poſsidio
App. T.X. 258. || T.I.
Vitæ Eremiticæ forma.
App. T.I. 41. || App.T.I. 367.
De conflictu Vitiorum & Virtutum.
App.T.VI.219. || App.T.IX.440
De Urbis excidio tractatus 1.
T.VI. 622. || T.IX. 330.



ELENCHUS RERUM NOTABILIUM,

QUÆ IN HOC TOMO II. CONTINENTUR.

A

Actus intellectus participat efficaciam ab actu præcedenti voluntatis, pag. 24. col. 1. Actus *notionalis* sunt actus proprij Personarum, dictio, & spiratio, 429. Non sunt liberi & voluntarij, ibi.

Æqualitas & similitudo non est relatio realis distincta à personalibus, 350. col. 1. Æqualitas attenditur secundum magnitudinem, 365. Inæqualitas vel dissimilitudo non attenditur secundum distinctionem relationum, ibi. Similitudo non dicitur in divinis secundum relationem, 300. col. 1.

Amici. Quomodo quæ per amicos possumus per nos posse censeamur? 49. col. 2. Cupiunt esse personaliter præsentes, 495. col. 1.

Amor est vis unitiva affectivè essentialiter, & effectivè per modum finis amoris, 495. c. 1. Ratio amoris, & Boni in Spiritu S. numerum notionum non augent, 427. col. 1. Amor est nomen proprium Spiritus Sancti, 471. col. 2.

Angeli Custodes numquam dimittunt totaliter peccatorem ante horam mortis, 70. col. 2. De Angelorum prædestinatione, 209. col. 2.

Animalia etiam nociva Universo sunt utilia, 5. c. 2. & 8. c. 2.

Animæ Sanctorum. In eis substantialiter inhabitant divinæ Personæ, & non solum per immensitatem, 493. col. 2.

Annihilatio esset supra ordinem à rebus exactum, si daretur, 239. col. 2.

Antiochus non verè pœnituit, 66. col. 1.

Ars in quo differat à Providentia? 31. col. 1.

Augustinus non retractabit quæ in quæstione 2. ad Simplicianum docuit, 189. Quænam sit ejus mens in tali quæst. cir-

circa prædestinationem gratuitam? 190. Retractavit aliqua ex Expositione super Epist. ad Romanos, 191. c. 2. Fuit primus, qui nomine *notionis* usus fuit in materia SS. Trinitatis, 425. col. 2.

Auxilia sufficientia omnibus offeruntur, 32. col. 2. Alia sunt proximè sufficientia, alia tantùm remotè, 35. col. 1. Potestas proxima non constituitur per gratiam efficacem, ibi. & 45. col. 2. Quid sit auxilium proximè sufficiens, quid remotum, 36. & 80. col. 2. Non omnibus conferuntur auxilia proximè sufficientia, 37. col. 1. & 46. Justis dum instat præceptum, conferuntur auxilia intrinseca sufficientia, 43. col. 2. Omnibus peccatoribus conferuntur auxilia remotè sufficientia, 47. Maximè dum urget præceptum, 50. col. 2. Similiter dicendum de infidelibus, & Paganis, 53. Contrarium damnavit Facultas Theologica *Colonienſis*, 60. col. 1. Deus non prævenit omnem conatum & actum moraliter bonum auxilio supernaturali, 170. col. 2. Nec movetur ad collationem auxilij sufficientis ex intentione & fine pœnitentiæ, 245. col. 2.

Axioma de *facienti quod est in se*, &c. explicatur, 166. *Quæ sunt eadem uni tertio*, &c. quomodo intelligendum in divinis? 344. Et *actiones sunt suppositorum*, 414. col. 1.

B

Bona temporalia cur Deus conferat impiis? 8. col. 1.

Bonitas substantivè non multiplicatur in divinis, 420.

C

Causa. Vide *Principium.*

Caterinus, quid senserit circa prædestinationem? 145.

Charitas. Præmium essentiale gloriæ consequitur electus, qui aliquando peccavit, secundum quantitatem charitatis in qua est dum resurgit & moritur, 214. col. 2. Habebit majus gaudium de operibus in prima charitate factis, ibi.

Christus. Illius prædestinationem nullum bonum ejus præcessit, 155. col. 2. Vide *Gratia.*

Circumincessio divinarum Personarum quid sit? 370. & 4.

Claudicatio. Quidquid est in ea de motu est ex virtute motiva animalis: quod de defectu est à tibia, 505.

Consilium regulatur per eubuliam, 12. col. 1. Potest in Deo admitti, 11.

Cornelius Centurio non *fuit* infidelis negativè ante instructionem D. Petri, 82. col. 2. Perseveravit in appetitu boni & fuga mali, 83. col. 2. Habuit fidem implicitam Incarnationis, 84. col. 2. & 85. Non sine fide oravit, nec sine auxilio, 87.
Corona quæ est alicujus ex prædestinatione non amittitur, 188. col. 2. Vide *Gloria.*

D

Decretum prædefinitivum entitatis peccati non præcedit permissivum malitiæ, 120. Datur decretum executivum distinctum ab intentivo, 204.
Deus ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis, 2. Potest dici solicitus, 11. col. 1. Justus erat antequam esset malum, ibi. col. 2. Quomodo intelligatur peccatores obdurare, 64. Quandoque eos qui impedimentum gratiæ præstant auxilio suo prævenit, 75. col. 1. Deus tantum permissivè se habet erga malitiam, 88. col. 1. & 98. Actio peccati in quantum actio causatur per se ab ipso, 91. Non concurrit physicè & immediatè in formalem malitiam, 93. Non nisi volens quidquam facit, 94. col. 1. Physicè prævie concurrit ad materiale peccati, 100. Fatuos creans non est auctor fatuitatis, 102. col. 2. Non est acceptor Personarum, 158.
Diabolus omnes & singulos adultos tentat, 57.
Dignitas est absoluta & ad essentiam pertinet in divinis, 366. Vide *Pater & Filius.*
Dispositio. Quid sit? 30. col. 2.
Doni ratio non est notio Spiritus S. 427. col. 1.
Dupin recte Augustini placita circa Prædestinationem ennumerat, 180. col. 1.

E

Electio non respicit media ut præcise effectus finis, 26. c. 1. Vide *Usus.* Potest dari inter omnino æquales, 192.
Esau non vere pœnituit, 66. c. 1. Fuit circumcissus, sed per nequitiam cordis in hominis terreni vetustate permansit, 275. col. 2. In ejus persona reprobi significantur, 276.
Existentia. Non dantur in divinis tres existentiæ relativæ, 398. & 411. Hoc cohæret cum eo, quod dentur tres subsistentiæ relativæ, 403. col. 2.

F

FAtum qùomodo posſit admitti, & in quo differat à Providentia? 32. col. 1.
Fides non eſt prima gratia, 86. Vide *Cornelius*.
Finis eſt prius volitus, quàm media, 182. & ſeq. ad electionem efficacem prærequiritur efficax intentio finis, ibi.

G

GEneratio Verbi divini explicatur 318. col. 2. Ut aliquid dicatur generari non ſufficit, quod evadat utcumque ſimile generanti in natura, 331. col. 2.
Gloria immediate in ſe non eſt debita omni creaturæ rationali, etiam ſuppoſita elevatione ad ordinem ſupernatulem, 267. col. 2. Quomodo in gloriæ, collatione reſplendeat miſericordia & juſtitia, 206. col. 1. Electio efficax ad gloriam ut coronam eſt ante prævisa merita, 176.
Glorificatio eſt effectus prædeſtinationis, 211.
Gratia. Non datur diſpoſitio ad primam gratiam, 150. col. 2. Gratia per peccatum interrupta eſt in electis effectus prædeſtinationis, 212. Gratia primò Adamo collata non fuit effectus prædeſtinationis, 213. col. 2. & 227. col. 2. Gratia creationis non eſt abſolutè & propriè gratia Chriſti, 224.
Gubernatio in quo differat à diſpoſitione & aliis, 30. & 31.

H

HÆretici in aliquibus conveniunt cum Catholicis, 105.
Hypoſtaſi quid ſignificer, 395.
Homines non præciſe conveniunt in aliquo purè naturali, 76.

I

IMago quid requirat ad ſui rationem, 324. col. 1. & 441. Non dicitur abſolutè, 325. col. 1. & 350. Græci docent Spiritum S. eſſe imaginem Patris & Filij, ibi. & 441. col. 1. Verbum non eſt imago Spiritûs S. aut creaturarum poſsibilium, 440. c. 2.
Imperium eſt actus intellectus, 13. col. 2. Tria ad illud concurrunt, 14. col. 1. Imperare competit Deo, 15. col. 2. Datur in Deo triplex imperium, 16. col. 2. Sed non imperium monaſticum, 19. Imperium, in quo conſiſtit providentia, non

non est monasticum, 27. col. 2. Respectu insensibilium datur etiam imperium, 28. col. 2. Ad quam mentis operationem pertineat, 29.

Impio cur Deus conferat bona temporalia? 8. col. 1. Cur mali permittantur in mundo? 10. col. 1. Pauci mali multis bonis nocere non audent, 10. col. 1.

Infidelis. Datur infidelitas negativa, 78. col. 1. Quomodo componatur cum eo quod omnes recipiant auxilium sufficiens ad salutem? 79.

Innocentia ceteris paribus dignior est pœnitentia, 240. c. 1.

Intellectus est potentia assimilativa, 328. col. 2. Non autem voluntas, 330.

D. Joannes Chrisostomus non fuit in sententia semipelagianorum, 159. col. 2.

Justificatio est effectus prædestinationis, 211.

L

Laureola virginitatis negatur illi qui semel peccavit contra talem virtutem, 280. Laureola martyrij non negatur illi, qui non est passus martyrium, per modum pœnę, ibi.

Lex æterna differt à providentia, 31. col. 2.

Libertas est in voluntate sicut in subjecto, sed in intellectu sicut in causa, 13. col. 2.

Liber vitæ. Quid per librum vitæ intelligatur? 247. c. 2. An aliquis deleri possit de libro vitæ? 248. col. 1.

M

MAla non sunt præter ordinem, 8. col. 2. Quomodo sub providentia cadant, 9. Provisor permittit prudenter minus malum ad consequutionem majoris boni, 231. & 232. col. 1.

Manichæi. De errore illorum circa Prædestinationem, 144. col. 2.

Materiale peccati. Vide *Peccatum.*

Medicus, si ut exerceret artem suam, optaret esse multos ægrotos, ejus medicina crudelis esset, 234. col. 1. & 2. Ordinem sanandi non accipit Deus ut medicus ab ægroto, 238. In remedium majoris morbi patitur infirmum in leviorem morbum incidere, 238. Aliquando dolor dolore tollitur, ibi. col. 2.

Missio divinarum Personarum supponit pro processione æterna & productione effectus in tempore, 489. col. 2. Solus Pater non dicitur missus, 490. Filius mittitur non solùm à Patre, sed à Spiritu S. & à se in aliquo vero sensu, 491. col. 1. Missio divinarum Per-

Perſonarum dicitur temporaliter tantùm, ibi. col. 2. Miſsio inviſibilis facta eſt ad omnes creaturas, quæ gratiam & charitatem acceperunt, 492. Fit etiam quando aliquis proficit in aliquem novum actum vel ſtatum gratiæ, & quando quis efficitur Religioſus, ibi. Filius mittitur per modum ſapientiæ ſpirantis charitatem: Spiritus S. per modum amoris, ibi. Miſsio inviſibilis non fit niſi per gratiam gratificantem, 493. col. 1. In miſsione inviſibili tota trinitas ſpecialiter etiam ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt præſens animabus Sanctis, 493. col. 2. Quomodo fiat hæc præſentia, 495. col. 2.

B. M. Bonica interfuit cuidam diſputationi, & ſententiam correxit, 12. col. 1.

Muſicæ uſus in Eccleſia approbavit Aug. 256. col. 1. De utilitate & laudibus canticorum ſpiritualium, ibi.

N

Notio. Auguſtinus fuit primus qui hoc nomine uſus fuit in materia SS. Trinitatis, 425. col. 2. Notiones in divinis ſunt quinque, 425. Vide *Actus.*

O

Obſtinatio importat quamdam firmitatem in peccato, 68. col. 2. Partim accipienda eſt ex Deo, partim ex libero arbitrio, ibi.

Ordo. Quid ſit, 31. col. 1. Mala non ſunt præter ordinem, 8. col. 2.

Originale peccatum. Vide *Reprobatio.*

Origines non conſtituunt Perſonas divinas, 475. Prioritas originis includit ſimultatem cognitionis, 436. col. 2. & 437. col. 2. In origine activa prius eſt conceptus egreſsionis, quàm eſſendi in principia, 476. col. 1.

Opera viribus naturæ elicita quomodo ſint diſpoſitiones ad gratiam, 164. col. 2.

P

Parvuli ſine baptiſmo decedentes nullam intrinſecè realitatem ſupernaturalem recipiunt, 38. Et cur? 74. col. 1. Ipſis non negatur baptiſmus tantum in pœnam originalis, 39. Baptiſmus non eſt omnibus proxime applicabilis, 41. col. 2.

Pater & Filius. Vide *Trinitas.*

Peccator numquam recedit ab or-

ordine divinæ voluntatis, 18. col. 1. Nullus in hac vita potest esse perfecte obstinatus, 48. col. 2. Possunt pœnitere de quovis peccato, ibi. Sed hæc potentia non debet dici talis præcisè secundum potentiam extrinsecam alterius, 49. Nullus est in hac vita, qui mentis obstinationem non possit deponere, 65.

Peccatum nullum est in hac vita propriè irremissibile, 70. col. 1. Peccatum quod dicitur irremissibile est impœnitentia finalis, ibi. Deus tantum permissivè se habet erga malitiam peccati, 88. col. 1. Nequit homini consulere materiale peccati, 118. c. 2. Nullus potest sibi velle prędeterminatione ad materiale peccati, 123. col. 1. Pro formali malitiæ nequit dici effectus prędestinationis, 236. In aliquo sensu potest dici utile ad pœnitentiam, 243. col. 1.

Pelagiani & Semipelagiani. De illorum erroribus erga prædestinationem, 145.

Permissio peccati in electis ex motivo humilitatis est effectus prædestinationis, 230. Similiter ex motivo pœnitentiæ, ibi, & 231. Sic potest esse volita, quin fit volitum peccatum, 232. col. 2. Peccata reproborum permittit Deus ex intentione salutis electorum, 233. col. 1. Quas utilitates afferant tales permissiones, ibi. Deus ex suo supremo dominio, & ut ostendat fragilitatem creaturæ, & necessitatem gratiæ, &c. permittit peccatum quoad primum esse, 274. col. 1. Permissio peccati an sit effectus reprobationis in reprobis, 282.

Persona importat perfectionem, sed non ratione relationis, 380. col. 1. Quomodo in Deo producere Personas sit de ratione perfectionis, 381. col. 1. Quid significet, 393. & 396. Natura divina secundum se non est Persona, 413. col. 2. Persona non debet dici constitui per relationem sub conceptu formæ hypostaticæ, 477. col. 1. Nec sub conceptu *ad* sive ille consideretur in ordine ad terminum, sive ad subjectum, 477. & seq. Constituuntur per relationem sub primo conceptu quo afficit subjectum, 478. col. 2. Non omnis relatio divina constituit Personam, 479. col. 1. Persona potest esse constituta in esse talis, quin consideretur ut actù ab aliis distincta pro omni signo constitutionis ipsius, 480. col. 2.
Vide *Missio*.

Divus Petrus. Quomodo intelligendum sit dictum Augustini: *Putabat se posse quod se velle sentiebat*, 61. & 62.

Pharao habuit auxilium, quo posset deponere obstinationem, 66.
Pluvia. Vide *Tempestates.*
Pœnitentia ex cujus intentione permittit Deus peccata non sumitur præcisè ut remissiva peccati, 234. col. 1. Plus Deus gaudet de Pœnitente quàm de innocente, 240. col. 1. In quo sensu Pœnitentia dicenda sit bonum occasionatum, 241.
Potentia non ponitur in divinis respectu actuum essentialium, 304. col. 2. Datur in Deo vera potentia generativa, ibi. & 430. Filius non habet potentiam ad generandum, 315. col. 1. Sed habet potentiam, quam habet Pater, ibi. Vide *Auxilium*, & *Peccator.*
Præcepta Dei non sunt homini impossibilia, 44. & 50. col. 2. Vide *Imperium.*
Prædestinatio quot modis accipiatur, 124. col. 2. Quomodo differat à providentia? 127. col. 2. Est pars subjectiva providentiæ, 128. col. 2. Quid sit, 129. col. 2. De subjecto, fine, & objecto illius, 131. col. 2. De actibus concurrentibus ad illam, 132. Non consistit in judicio regulante electionem, 133. Opera bona moralia viribus naturæ elicita non sunt dispositiones ad prædestinationem, 151. Nulla datur causa ad illam ex parte nostra, 153. Quid requiratur ad rationem effectus prædestinationis, 210. Prædestinatio fuit facta post prævisum originale peccatum, 222. col. 1. Est certa certitudine causalitatis, 246. col. 2. Nullus potest salvari sine prædestinatione formali, 140.
Prædestinatorum numerus ita certus est, ut nec augeri possit nec minui, 247. col. 2. Nullus in hac vita scire potest se esse in numero Prædestinatorum, ibi. Major est reproborum multitudo quàm electorum, 248. col. 2. Christianorum etiam hominum major pars damnatur, quàm salvatur, 249. col. 2.
Prædestinationis signa quænam sint, 254.
Premium. Vide Charitas.
Principium in quo differat à causa? 295. col. 1. Doctores Latini non utuntur nomine causæ in divinis, sed principij, ibi. Dupliciter potest accipi principium, 314. col. 1.
Prioritas. Vide *Origines.*
Privatio dicitur multipliciter, & non sub omni consideratione imperfectionem importat, 431. col. 2.
Processiones divinæ sunt duæ, 294. Suntque verè actiones, 297. In quo consistant? 299. Quodnam sit principium processionum divinarum,

306. & seq. Cur sola processio Verbi sit generatio? 325. Processiones non debent dici seipsis distinctæ, 320.
Providentiæ divisio, 3. col. 1. etiam minima subsunt divinę providentiæ, 4. & 5. similiter tempestates, 4. & 7. Fuit in Deo ab æterno, 11. col. 2. Quinam actus concurrant ad providentiam, 12. col. 2. Consistit in actu intellectus, 14. Respicit tantùm ordinem in finem, non eventum ordinis, 17. col. 2. Non frustratur in aliquo effectu, 18. col. 2. Non datur in Deo providentia monastica, sed æconomica vel politica, 20. col. 1. In quo differat à gubernatione, dispositione & aliis 30.
Prudentia Datur in Deo, 11. & 137.
Puer. Vide *Parvuli.*

R

Relatio in divinis est substantia, 341. Sed non significat per modum substantię, 352. col. 2. Paternitas & Filiatio non differunt realiter à Spiratione activa, 345. col. 2. Dantur quatuor relationes in divinis, 348. Æqualitas non est relatio realis distincta à personalibus, 350. col. 1. Relatio non est de conceptu formali essentiæ, nec è contra, 352. Propria ratio relationis non accipitur secundum comparationem ad subjectum, 353. col. 1. & 356. col. 1. & sæpe alibi.
Si relationes dicunt perfectionem, perfectio relativa non est una tantum in divinis, 361. col. 2. Non dantur in Deo tres perfectiones relativæ, 367. Non important perfectionem strictè relativam, 371. Licèt considerentur ut forma hypostatica, 383.
Relatio ut talis non concipitur expressè ut in actu, nec ut in potentia, 382. col. 1. Ratio accidentis non transcendit relationem creatam secundum conceptum *ad*, 388. col. 2. Conceptus *in* potest considerari ut quid commune aliis prædicamentis accidentium, & ut quid speciale, 389. col. 2. & seq.
In divinis duo tantum dicuntur esse prædicamenta, substantiæ, scilicet, & relationis, 392. col. 1. Relationes possunt dici tres res, 419. col. 2. Relationes disparatæ non distinguunt realiter in divinis, 455. & seq. Vide *Persona.*
Reprobatio comparative sumpta inter parvulos originali peccato infectos non habet causam, nisi solam voluntatem divinam, 258. col. 2. Non potest Deus sine ullis demeritis creaturæ illam deputare in

in interitum, 259. Reprobatio hominum est post signum prævisionis peccati originalis, 261. col. 2. & 268.
Reprobi, quibus originale numquam dimittitur reprobantur positive propter originale, 261. Illi quibus dimittitur reprobantur *negativè*, sed non propter originale, 263. & 266. excluduntur á regno tamquam à beneficio indebito, 267. col. 1. Illi, quibus originale dimittitur non reprobantur *positivè* ante peccati actualis prævisionem, 270. col. 2. Priùs præscit Deus peccata reproborum illa ordinet in ostensionem justitiæ punitivæ, 273. col. 2. Quæ conditiones requirantur ad effectum reprobationis? 281. Quinam sint, vel non sint effectus reprobationis? ibi. An reprobus possit salvari? 286. col. 2.

S

Similitudo. Vide *Æqualitas.*
Solicitudo admitti potest in Deo, 11. cap. 1. In quo differat à providentia, dispositione, &c. 30. col. 1.
Sors non datur, ubi merita considerantur, 178.
Subsistentia divina continet creatam secundum perfectionem incommunicabilitatis, 385. Datur in divinis una subsistentia absoluta, 405. & tres relativè, 407. Subsistentia aliquando sumitur pro Persona, aliquando pro substantia, 406. & 412. col. 1. & 416. col. 2.
Substantia prædestinati est effectus Prædestinationis, 218. Admitti possunt in divinis tres substantiæ relativæ, 400. col. 2. & 406. & 412.
Superbia est maximum peccatum, sed non tam manifestum quàm Luxuria: ideò in remedium illius permittit Deus superbum ruere in peccata carnalia, 238. col. 1.

T

Tempestates subsunt divinæ providentiæ, 4. col. 1. Cur pluat in mari? 7. col. 1. Cur fulmina percutiant montem & non latronem, 7. col. 2.
D. Thomas à Villanova. Ejus auctoritatibus plures sententiæ comprobantur, 127. & 181. col. 2. & 211. col. 1. & 248. col. 1.
Trajani anima precibus B. Gregorij liberata, 285.
Tribulationes prosunt justis, 7.

TRINITAS.

Trinitatis existentia probatur, 290.

290. De erroribus Hæreticorum circa hoc myſterium, 289. Quæ ſunt appropriata Perſonis, tribus conveniunt, 309. col. 2. Cur ſapientia approprietur Filio, ibi. Mens humana eſt quędam imago Trinitatis, 326. col. 1. & 327. col. 2. Quænam pluraliter, quænam ſingulariter de Deo dicantur, 418. col. 2. Datur in Trinitate numerus ſecundumquid, ſed non ſimpliciter, 421. col. 2. Trinitas nec eſt trina, nec in ea eſt triplicitas. 422. Quibus nominibus uti debeamus ad declarandum hoc myſterium, 422. Non eſt cognoſcibile per rationem naturalem, 423.

Pater ſolus dicitur ingenitus, 427. Ingenitus non dicitur ad ſe, 426. col. 1. Ingenitus dicitur privativè de Patre abſque imperfectione, 431. col. 2. Pater non conſtituitur per innaſcibilitatem, 474. col. 2.

Pater & Filius ſunt unum principium Spiritus S. 313. col. 2. & 470. Paternitas & Filiatio non differunt realiter à ſpiratione activa, 345. col. 2. Eadem dignitas eſt in Patre & Filio, 366. Dicuntur unum, ſed non unus, 421. col. 1. Duo ſpirantes, ſed non duo ſpiratores, 470. col. 2.

Filius. Verbum ſolum eſt Filius, 318. col. 2. Ratio Verbi & ratio Filij non ſunt virtualiter diſtinctæ, 340. col. 1.

Filius non eſt aliud à Patre, ſed aliud, 420. col. 2. Verbum eſt nomen perſonale, 432. Procedit per ſe ex cognitione triuum Perſonarum & creaturarum poſsibilium, 433. Illa cognitio eſt intuitiva, 437. col. 1. Verbum aliquo modo eſt Verbum creaturarum, 441. col. 2. Non procedit ex cognitione creaturarum futurarum aut exiſtentium, 443.

Spiritus Sanctus eſt nomen proprium tertiæ Perſonæ, 471. Cur non dicatur genitus? 321. col. 1. & 325. Non procedit modo libero, nec etſi ſic procederet, non ideò non eſſet Filius, 323. col. 2. Spiritus S. tantum identicè procedit ut Deus, 334. col. 2. Spiritum S. non audemus dicere ingenitum, 427. & 432. Non procedit liberè, etſi procedat ut amor, 430.

Primus qui aſſeruit Spiritum S. non procedere ex Filio fuit Theodorus Mopſueſtiæ Epiſc. 449. col. 2. Idem docuit Joannes Monachus Hieroſolym. Et Photius, 450. col. 1. Eum *ex Patre Filioque procedere* fuit primo definitum in VII. Syn. Gen. 450. col. 1. Damaſcenus non docuit contrarium, ibi. col. 2. Poteſt dici procedere à Patre *ex* Filio, & *per* Filium, ibi. Quando or-

orta fuerit varietas hujus locutionis? ibi. Patriculæ: *Qui ex Patre Filioque procedit* primo inductæ videntur ab Hiſpanis, poſtea à Francis, ibi. Spiritus S. procedit à Patre & Filio, 451. col. 2. Cur hoc non ſit expreſſum in Evangelio? 452. col. 2. Si non procederet â Filio, non diſtingueretur realiter ab illo, 453. col. 2. *Principaliter* procedit à Patre, 460. c. 1. Immediatè & mediate, 461. col. 2. Virtus productiva Spiritus S. quæ eſt in Patre per ſe exigit ut communicetur Filio, 465. & ſeq. Sed non eſt ratione amoris ut ſic, 467. col. 2. Ex quorum amore procedat, 472. col. 1. Vide *Amor*.

V

Verbum. Vide *Trinitas*.

Voluntas. Non reſiſtentia non illius ad gratiam, eſt cauſa ad prædeſtinationem, 147. col. 2. Poteſt imperare ex motivo gratuito quod ex debito eſt faciendum, 201. c. 1. Quomodo ſtet voluntas de ſalute omnium cum gratuita Prædeſtinatione, 208. Quinam ordo detur inter voluntatem abſolutam & conditionalem, 208. col. 2. Voluntas antecedens ſolum reſpicit homines in quantum homines, eos ordinando ad Beatitudinem, 227. col. 1.

Vocatio efficax eſt in electis effectus prædeſtinationis, 211. Similiter vocationes ineffaces, 215.

Uſus activus mediat inter electionem, & executionem, 20. col. 2. In Deo non diſtinguitur ab efficaci mediorum electione, 21. col. 2. Bonus uſus liberi arbitrij eſt effectus prædeſtinationis, 157.